UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

urn:nbn:de:hbz:466:1-83695

Visual Library

Th. 889a.

C. IX. 10.

Rev. Patr.

# JOAN. LAURENTII BERTI

Ord. Eremit. S. Augustini,

# THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA, SEU LIBRI DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

## OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM SANE PRÆSTANTISSIMUM,

IN DECEM TOMOS DIVISUM

JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS. AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

## TOMUS VI.

QUI

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

AC

DE BAPTISMO, PRÆCIPUAS DISSERTATIONES COMPLECTITUR.

*Editio prima in Germania multum auctior atque correctior.*

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Monachii & Pedeponti,
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis Maximiliani Simonis Pingizer, Tipogr. Aug. 1749.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CENSURA.

*Quo eruditionis delectu, quave judicii præstantia, ac animi moderatione priora quinque Volumina* de Theologicis Disciplinis *Adm. Rev. P. Mag. Jo. Laurentius Berti hujus Collegii Regens elucubravit, iisdem planè, parique scribendi methodo, ac felicitate posteriores libros de Sacramentis in genere, & in specie publicæ expectationi donat. In his porrò libris eximius Auctor quæcunque circa Sacramenta à Deo revelata sunt, nedum religiosè amplectitur, ut nec ab iis vel latum unguem discedat, sed splendidè illustrat, & contra Acatholicos fortiter tuetur: & quæ permittuntur Scholarum libertati tanta cautione pertractat, ut in opinionum delectu ad Ecclesiæ doctrinam, sensum, ac voluntatem se totum componat. Quapropter cum de mandato Reverendissimi totius nostri Ordinis Præsulis libros hosce attentè perlegerim, ac omnia in iis repererim Catholicæ Fidei firmandæ multùm utilia, & moribus piè formandis aptissima, dignissimos judico, qui publici juris fiant.*

*Romæ in Conventu S. P. Augustini die* 3. *Januarii* 1742.

Fr. Joannes Andreas Onofri Genuensis Procurator Generalis Ordinis Eremitarum S. P. Augustini.

# CENSURA.

*Ut in aliis quinque* De Disciplinis Theologicis *Voluminibus Eximius Auctor Pater Mag. F. Joannes Laurentius Berti emunctioris naris Theologorum expectationem vel vicit, vel implevit, ita in tribus hisce postremis, in quibus agitur de Sacramentis in genere, & in specie, exquisitissimo Summi Pontificis BENEDICTI XIV. judicio satis eundem facturum non dubito. Hic enim Sanctissimus Pontifex, dum benignè exciperet Auctorem, & lucubrationes ab eo humillime oblatas; eundem humanissime admonuit: ut de Sacramentis scripturus omnes tum ingenii, tum doctrinæ, ac eruditionis nervos intenderet in hac maximi momenti materia pertractanda, & in optimo lumine collocanda. Quam quidem vel adhortationem, vel jussionem tanto studio, sedulitate tanta implevisse mihi videtur egregius Auctor, ut facile credam, lucubrationes hasce vel Sapientissimo Pontifici probatum iri: Quod perinde est ac dicere, eas esse omnibus numeris absolutas; quippè quibus Hæreticorum circa Sacramenta errores & portenta funditus evertuntur, Ecclesiæ dogmata nervosè firmantur, Catholicorum placita vel urbanè revincuntur, vel solidè comprobantur. Quare, ut præclarum Opus in lucem prodeat tam ad Theologorum commodum, quam ad Ecclesiæ utilitatem dignissimum judico. Sic censebam in Conventu S. Patris Augustini de Urbe die prima Martii* 1742.

Fr. Hieronymus Augustinus Zazzeri Arretinus in Archigymnasio Urbis publicus S. Scripturæ Interpres, Academiæ Theologicæ Censor, ac Sacræ Rituum Congregationis Consultor.

# FR. FELIX LEONI
## A JUVENATIO

Sacræ Theologiæ Magister, totius Ordinis FF. Eremitarum S. P. Augustini Prior Generalis.

*Cum opus* De Theologicis Disciplinis *complectens libros de Septem Ecclesiæ Sacramentis à Rev. P. Magistro F. Jo. Laurentio Berti hujus Almæ Urbis Regente elaboratum, nostri Ordinis Theologi à Nobis deputati recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; Nos tenore præsentium facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos reliquum spectat, videbitur.*

*Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die* 1. *Maji* 1742.

F. Felix Leoni Generalis.

*Nostri mun. aff. Sig.*

*Reg. lib.* 3.

Magister Fr. Angelus Maria de Origo Ordinis Secretarius.

IMPRIMATUR,

*Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.*

Ferdinandus M. de Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.

# CENSURA.

*Mandata Reverendiſſimi Patris Aloyſii Nicolai Ridolfi, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri perſequens accuratè legi libros* Theologicarum Diſciplinarum *de Sacramentis, erudite conſcriptos ab Adm. R. Patre Magiſtro Joanne Laurentio Berti Doctiſſimo noſtri Aevi Theologo; atque cum in eis nihil deprehenderim fidei, ac morum regulis diſſonum, cenſeo in pulicam lucem poſſe proferri, præſertim cum Auctoris ſcribendi ſtudium, & eruditionis copia plurimum laudis ſibi vindicent*

*Datum in Collegio S. Mariæ Tranſpontinæ Kal. Decembris anni* 1741.

Frater Petrus Thomas Cacciari Carmelita, Cleri Romani Examinator Apoſtolicus, & in Collegio Urbano Propogandæ Fidei Theologiæ Polemicæ Lector.

# CENSURA.

*QUos nunc in publicam lucem profert Libros de Sacramentis Adm. Rev. P. Magiſter Jo. Laurentius Berti Vir pietate, doctrina, atque eruditione clariſſimus, illos jubente Reverendiſſimo P. Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtro Aloyſio Nicolao Ridolfi attentè & magna cum animi oblectatione perlegi, atque omnia in illis reperi Catholicæ Fidei, & bonis moribus conſona. Antiquam quippe, & ex puriſſimis Scripturarum, & Traditionis fontibus hauſtam doctrinam adverſus Novatorum calumnias egregius Auctor vindicat, Theologicas controverſias paſſim occurrentes copioſo argumentorum apparatu, prudentique ſententiarum delectu illuſtrat, ac minus opportunam quorumdam Criticem ſumma cum animi moderatione caſtigat: paucis verò multa complectens ea ſtyli elegantia, eaque claritate, ac diligentia ſingula pertractat, ut partam præcedentibus Operibus Nomini ſuo celebritatem augeat, operi autem huic pretium ſingulare apud æquos rerum æſtimatores conciliet. Ita cenſeo.*

*Ex Ædibus S. Petri ad Vincula 3. Kal. Martii* 1742.

D. Antonius Andreas Galli Abbas Canon. Regul. Smi Salvatoris, & Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

*Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. S. P. A. Magiſter.*

# AUGUSTINI

## *In ſubſequens Opus de Sacramentis Præludium.*

PRimo itaque tenere te volo, quod eſt hujus diſputationis caput, Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ſicut ipſe in Evangelio loquitur, levi jugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi. Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis Societatem novi populi colligavit a. *Etenim* in nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, ſine quo non poteſt perfici pietas b. *Cum itaque* prima Sacramenta, quæ obſervabantur & celebrabantur ex lege, prænuntiativa *eſſent* Chriſti venturi, quæ cum ſuo adventu Chriſtus impleviſſet, ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta, non enim venit ſolvere legem, ſed adimplere; alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam juſtitia fidei revelata c. Omnia *hæc* Sacramenta cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus d. Quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoſcit, ut ea non carnali ſervitute, ſed ſpiritali potius libertate veneretur. Ut autem literam ſequi, & ſigna pro rebus quæ iis ſignificantur accipere, ſervilis infirmitatis eſt; ita inutiliter ſigna interpretari, malè vagantis erroris eſt e.

DE

a. Epiſt. 118. nunc 54. ad Januar. num. 1.
b. Lib. 19. contra Fauſtum cap. 11.
c. Eodem libro 19. cap. 13.
d. Lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 10. num. 22.
e. De Doctr. Chriſt. lib. 3. cap. 9. num. 13.

# DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER TRIGESIMUS,

*In quo generatim, atque universè disquiritur quidquid spectat ad septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta.*

TRADIDERAT in cruce spiritum, omnemque consummaverat expiationem, humani generis Conditor, & Reparator, quemadmodum à nobis ad calcem præcedentis voluminis scriptum est; quando confractis latronum cruribus, *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua*, id attenstante in capite Evangelii decimo nono, qui & eventus hujus inspector fuit, prædilecto, castissimoque discipulo. Non diu me hoc in Opere detinebit sive conditio militis, sive magnitudo miraculi, tametsi hæc duo haud vulgarem rerum copiam suppeditare queant Theologicis disquisitionibus; sed perpauca tantum prologii præmittam loco, quoniam postulat quamcunque operam summa dignitas & amplitudo latentium in Aqua & Sanguine mysteriorum. Fuerunt quidem haud numero pauci, quos inter Joannes Calvinus, Nicolaus Nancellus, Emmanuel Tremellius, Theodorus Beza, Joannes Gerardus Vossius, aliique insani homines, qui non ex Evangelicis verbis, neque ex auctoritate ac traditione Majorum, sed è Galeni, & Hippocratis Aphorismis, atque ex historiis Anatomicis Andreæ Laurentii pensitantes postremum illud Christi miraculum, verè maximum, & cum illo comparandum, quod initio à Domino in Cana Galilææ legimus fuisse patratum, non alium cruorem ex perforato Salvatoris latere profluxisse autumarunt, præter humorem in *pericardio*, sive, ut Caspar Bartolinus, & Thomas filius conati sunt demonstrare, in cavitate thoracis, tunicisque pectoris latitantem. Quem profecto errorem arbitror apertissime refutari sola Evangelici textus accurata lectione; quoniam beatissimus Evangelista, postcaquam dixerat, *Continuo exivit sanguis & aqua*, forte prævisa incredulitate futurorum hæreticorum, sese veridicum prodigiosæ rei testem subjectis verbis asseruit, *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: & ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis.* Quis enim tali verborum significatione oppignorat fidem suam ad naturalem rem comprobandam? Prætermitto traditionem Veterum adeo hac in parte exploratam, ut Bulgariæ Archiepiscopus Theophylactus, suis in

Evangelia editis Commentariis, istiusmodi homines, quamvis nondum exortos, appellaverit sycophantas, delatores scilicet mendaciorum. Mitto insuper latentem illum *in pericardio* humorem, tradentibus ipsis, ad quos provocant, peritis medicæ artis, non aquam rectè dici, cum biliosus omnino sit, amarus sapore, & colore subflavus: manasse demum separatum à sanguine, quod miraculi eximii censendum esse argumentum, neque denegare ausus est ad annum vulgaris Aeræ tricesimum tertium Samuel Basnagius. Neque verò futurum aliquem puto, quem Thomæ Bartolini permoveant cavillationes; dum cap. XI. Operis, quod inscripsit *de Latere Christi aperto*, ait antiquos Patres, nulla facta mentione aquæ, sanguinis tantummodo meminisse, Barnabam præsertim, Gregorium Nyssenum, atque Hieronymum, nec non Joannem Baptistam Mantuanum, qui in Fastis cecinit:

*Inde cruor confusus aquis hastilia circum*
*In digitos lapsus, tetigit cum lumina, morbum*
*Sustulit.*

Dum enim laudati Patres affirmant è Christi latere fluxisse sanguinem, minime negant illinc pariter egressam aquam: nec nobis attendenda sunt verba quælibet poetarum; quamquam Mantuanus cruorem *confusum aquis* dicat *circum hastilia:* &, si carmine certandum est, antiquior Aurelius Prudentius utrumque in Enchiridio sejunxit, *laticem, atque cruorem.* Prudentium autem imitatus est Marcus Hieronymus Vida Canonicus Regularis eloquentissimus, scribens in VII. Christiadum,

*Et purum laticem, & rorem exilisse rubentem.*

Atque hæc tantum adversus miraculorum irrisores duximus adnotanda.

In Militis pariter, qui lancea petivit sacratissimum Christi pectus, conditione sedulò investiganda diu, ut dicebam, non immorabor; sed quædam molli brachio, celerique manu conscribam. Appellatum militem illum Longini nomine fert opinio communis, sive ex σόγχη, *lancea*, ut placet compluribus, sive usitato apud Latinos vocabulo, quod nos arbitramur verisimilius. In libris quippe veterum nomina occurrunt Velii Longini Grammatici, Cassii Longini Jurisconsulti, Dionysii Longini Rhetoris; neque ignotum est à Longo Longinum derivari, ut à Macro Macrinum, Marcellinum à Marcello, aliaque benè multa: in Martyrologio etiam Romano quinque saltem Longini sub nomine veneramur, inter quos idibus Martiis Longinus ille, cujus modo mentionem facimus. Adnotatum eo loci à Baronio sacras Longini exuvias apud nos in Romana S. Parentis Augustini Aede servari, in hanc translatas ex antiquiori S. Tryphonis: de iisdem gloriantur Mantuani Cives, qui cum ex vetustioribus Martyrologiis acceperint Divum Longinum martyrio coronatum *Cæsareæ in Cappadocia*, excogitarunt quamdam urbis suæ plateam *Cappadociæ* nomenclatura insignitam; nescio, an prope Mincium etiam *Cæsaream* constituerint: cum tamen ad sibi vindicandas Reliquias Martyris superna, ut ajunt, revelatione compertas, necessum non foret figmenta talia compingere. Legitur præterea in Fano Insulæ S. Mariæ *Barbarorum*, non procul à Lugduno, & ad confluentem Araris, & Rhodani vetus inscriptio,

*Qui Salvatoris Latus in cruce cuspide fixit,*
*Longinus hic jacet.*

At, sive in causa fuerit, ut in his, aliisque locis adesse credantur Longini cineres, similitudo nominis, quod diximus commune fuisse pluribus, sive asportatio, & divisio cinerum eorundem, quorum partem Mantua à Leone IX. Romam fuisse translatam legimus in Actis Sanctorum apud Henschenium; nequeunt hæc elevare pervulgatam traditionem, Militem illum, qui Latus Salvatoris confodit, suscepta Christiana religione martyrem occubuisse, ubicunque terrarum obierit, & qualicunque tandem nomine appellaretur.

Putavit prælaudatus Ecclesiasticorum Annalium scriptor clarissimus Cæsar Baronius, hunc Longinum fuisse Centurionem, qui *viso terræ motu, & iis quæ fiebant*, exclamavit, *Verè filius Dei erat iste*; quod nos quidem, si non falsum, non satis comprobatum existimamus, non ea ducti ratione, quam post alios urget Basnagius, quod nimirum incredibile sit virum spectabilem, & qui Christum paulo antea Deum prædicaverat, ausum hujus latus ferro acutissimo violare; non enim id fecit Longinus, ut sæviret in mortuum, sed ut illatæ cædis summeret experimentum; quod sane aut innoxia res fuit, aut non fuit facinus atrocissimum: sed hoc unum movet me, ut asseram Longini à Centuriæ præ-

præfecto discrimen, quod *unus militum* simplici vocabulo sit appellatus, & quidem si Græca adeamus, στρατιώτης, id est, ex peditum cohorte, atque, si munus attendamus, ex ordine illorum, quos *hastatos* dixerunt, & qui in acie post velites, ut Vegetius & Lipsius tradiderunt, contis, id est, stabilibus hastis certantes inibant statariam pugnam. Itaque hæc tantum de transverberato dulcissimi JEsu Latere, ac de milite, qui lancea illud aperuit, ut principia hujus libri extremis absoluti partibus responderent, dicta sunt remisse, breviter, ac perfunctorie.

Converto nunc stylum ad sublimia, & sacratissima Aquæ, & Sanguinis, quæ ex vulnerato Christi latere promanarunt, pertractanda mysteria. Ex eodem Divino Latere ædificatam Ecclesiam, & exiisse SACRAMENTA, scripsit tractatu CXX. in Joannem, aliisque in locis pluribus, columen, præsidiumque meum Augustinus. Cyrillus etiam libro in Joannem duodecimo Aquam illam ac Sanguinem symbola nuncupavit τῆς μυστικῆς εὐλογίας, καὶ τοῦ ἁγίε βαπτισματος, *Mysticæ Eulogiæ, & sancti Baptismatis*, necaliter sentiunt cæteri Ecclesiæ Patres. Ad agendum itaque de Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis, posteaquam differui de Redemptoris nostri crucifixione, trahunt me sacrosancta illius vulnera, ac maxime amabile pectus lancea confossum. Nil verò præmittam, ut scriptores cæteri consueverunt, de argumenti dignitate, de gravitate disputationum, de rerum dicendarum amplitudine, de industria denique, quam adhibui, ne post egregia summorum Theologorum opera, meum hoc plane impolitum & rude, legentibus prorsus inutile videretur. Quod enim attinet ad rei magnitudinem, puto hanc satis unicuique perspectam: quod verò ad me pertinet, absit, ut cum conscius sim imbecillitatis meæ, audeam me vel Theologorum minimo comparare. Si quid ergo in hoc opere offendat lector litura dignum, cujus generis vereor ne sint quamplurima, per ipsum Domini mei lancea transfixum, dulcissimumque pectus oro, atque obtestor, ut æquo animo patiatur ignorantiam meam, ingeniique mei tarditatem: & si quid erit, cujus gratia percipiat me sibi aliquid contulisse, id unum mihi rependat; diligat me, piissimique JEsu perforato pectori enixe commendet.

# CAPUT I.

## De *Sacramenti* vocabulo, etymologia, atque definitione.

### *SUMMARIUM.*

1. Sacramenti vocabulum cur hæretici velint esse abrogatum.
2. 3. 4. Sacramenti nomen meritò in Ecclesia retinetur.
5. Objectio Zwinglii refellitur.
6. 7. 8. 9. Sacramenti vocabulum varia significat.
10. Cur & quando SS. Patres usi sint hoc vocabulo.
11. Tandem accipitur pro signo rei sacræ.
12. Sacramenti definitiones plures, & optimæ.
13. Eligitur una, & explicatur.
14. Rejicitur error socinianorum.
15. Sacramenta veteris legis contulerunt Sanctitatem legalem.
16. Sacramentum est signum demonstrativum, commemorativum, & prænuntiativum.
17. Et quidem divinitus institutum.
18. Sacramento novæ legis proprium est, ut ministretur nomine Christi, Et quòd sit signum gratiæ, & santificationis efficiens.
19. 20. 21. & 22. Solvuntur objectiones hæreticorum.
23. Corollarium circa definitiones hæreticorum.

1. *Sacramenti* vocabulum cur hæretici velint esse abrogatum?

A SACRAMENTI vocabulo, Dei optimi maximi auxilio demisse, suppliciterque invocato, amplissimam aggredimur disputationem. Quidam hæreticorum *Sacramenti* quoque nomen procul eliminare tentarunt, *signi*, vel *symboli* vocabulo substituto. Ita in libro de captiv. Babyl. & de abrog. Missa Lutherus, Philipp. Melanchthon in priori editione de Locis com. Ulricus Zwinglius apud Joannem Eckium homi. de Sacram. Abrogato namque *Sacramenti* nomine facilius sibi heterodoxi persuadebant adhæsurum simpliciorum animis nefarium dogma, quod *Sacramenta* signa sint inefficacia, & egena, nulla prædita vi, & energia diluendi peccata. Principio itaque statuendum est, *Sacramenti* vocabulum in Ecclesia jure, meritoque usurpari.

2. Propositio 1.

PROPOSITIO I. *Sacramenti* nomen in Ecclesia merito retinetur.

Probatur 1. nomen *Sacramenti* ex Scriptura, tam latinè, quàm græcè.

Id evincitur primo ex Scripturis: in quibus *Sacramenti* nomen occurrit cum ad significandam rem occultam, arcanumque mysterium, ut Tobiæ XII. 7. *Sa-*

*Sacramentum regis abscondere bonum est:* tum ad commonstrandum signum aliquod rei obscuræ & latentis, ut Apocalypsis 1. 20. *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea:* atque de Matrimonio ad Ephes. v. 32. *Sacramentum hoc, magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Frustra reponerent adversarii, intrusum hæc in loca *Sacramenti* nomen à Latino interprete, Græcè autem ubique scriptum esse μυστέριον, *mysterium:* Enimvero quidquid Græci designant *mysterii* nomine, id nos demonstramus vocabulo *Sacramenti.* Quare Ambrosius Catharinus in libro, quem conscripsit adversus confratrem suum, percelebrem tamen, clarissimumque, affirmantem ab Apostolo Paulo matrimonium non dici *Sacramentum,* haud male reponit: *Nunquid Paulus Græcè scribens potuit dicere Sacramentum, quæ est vox latina? Dicens autem Græcè mysterium, id certè Græcè dixit, quod Latinè significat Sacramentum. Nam Cyrillus, Chrysostomus, Basilius, & Dionysius ante hos, etiam Eucharistiam mysterium vocant, & sic alia, quæ nos dicimus Sacramenta.* Animadversione quoque dignum est, in Epistola prima ad Corinthios cap. XIII. 2. ubi legimus, *Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia,* lectum olim, *Et noverim Sacramenta;* atque id à fulgidissimo Ecclesiæ Lumine Augustino acceptum de baptismo, cæterisque Ecclesiæ mysteriis; quippe Apostoli testimonio probat lib. 1. contra Petilianum cap. 77. num. 172. *quomodo non profit hominibus, quamvis in eis sint vel Sacramenta, vel fides, ubi charitas non est:* & Donatistas alloquens, *Atque ita videtis,* inquit, *sine illa nihil vos esse, etsi baptismum, & fidem teneatis.* Habemus itaque in Scripturis *Sacramenti* nomen expressum, sive Latino, sive Græco vocabulo; atque id etiam, ubi fit sermo de regenerationis lavacro.

3. Probatur 2 idem ex SS. PP. antiquis.

Ad Patres quod attinet, ab his *Sacramenti* nomen antiquitus usurpatum facillimè suadetur. Nam Tertullianus librum de Baptismo incipit: *Felix Sacramentum aquæ nostræ;* & cap. 13. ejusdem libri ait: *Addita est ampliatio Sacramenti, obsignatio baptismi.* De Præscript. etiam cap. 40. verba faciens de idolorum mysteriis hæc habet: *ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectavit exprimere* (Dæmon) *in negotiis idololatriæ.* S. Martyr Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium pluries *Sacramenti* nomine repetito, scribit, *Sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus:* & Epist. 77. ad Nemesianum inquit: *Sacramentum salutis suæ Christi servus agnovit.* Hilarius in Matth. IV. num. 27. baptismum *Sacramentum* appellat; & cap. IX. num. 3. de Eucharistia scribit: *In fide enim resurrectionis sacramentum panis cælestis accipitur.* Ambrosius *de Sacramentis* libros sex sacra eruditione plenos conscripsit. Augustinus epist. 118. ad Januar. nunc 54. num. 1. coadunatum docet Christianum populum, *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis:* quod repetit lib. XIX. contra Faustum cap. 13. Ex his verò abunde constat *Sacramenti* nomen nequaquam fuisse antiquis Patribus incompertum, aut inusitatum.

4. Probatur 3. ex ipsis hæreticis.

Tandem ipsis hæreticis annuentibus *Sacramenti* nomen retinendum est. In Confessione Augustana de Sacramentis *sub hoc nomine,* agitur art. 5. 7. 8. & 13. Eodem utuntur vocabulo Brentius in Confess. Wittembergensi, & Kemnitius in 2. p. Exam. Concilii Trid. Grotius in Voto pro Pace Eccl. ajebat: *Ego in Ecclesiæ auctoritate, cui Deus Sacramenta, & aliquod in ea jus dedit, acquiesco.* Vossius disputationibus de Baptismo præmisit dissertationem prolixam, *de Sacramentorum natura, vi, & efficacia* Sacramenti denique vocabulum passim usurpat ipse Melanchthon epist. 40. ad Joannem Mattheſium, & 173. ad Georgium Principem, Salmasius de Transubstant. Joannes Henricus Hottingerus in Analectis Append. dissert. VIII. aliique hæretici benè multi.

5. Objectio Zwinglii refellitur multipliciter.

Opponebat Ulricus Zwinglius *Sacramenti* vocabulum non adinveniri in scripturis, & qui eo utuntur, pessundare monitum Apostolicum in priori ad Timoth. VI. 20. *Devita profanas vocum novitates.* Verùm ex ipsa Scriptura, & ex antiqua Patrum Traditione demonstratum est modo, vocabulum *Sacramenti* nequaquam *novum* esse, sed sacrarum literarum auctoritate, & Sanctorum usu probatum. Adde Apostolum commonere, ut evitentur *profanæ vocum novitates,* quibus hæretici fidem commaculant, non vocabula nova ad fidem stabiliendam adversus emergentes hæreses in usum recepta. *Non ait verborum novitates, sed addidit profanas. Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici cœperit scriptum est. In Antiochia enim pri-*

*primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum: & Xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Adversus impietatem quoque Arianorum hæreticorum novum nomen Patres Homoousion condiderunt: sed non rem novam tali nomine signaverunt; hoc enim vocatur Homoousion, quod est, Ego & Pater unum sumus, unius videlicet ejusdemque substantiæ. Nam si omnis novitas profana esset, nec à Domino diceretur, Mandatum novum do vobis: nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra Canticum novum. Sed profanæ sunt verborum novitates, ubi dicit mulier insipiens & audax, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem. Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus ubi dicit, O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & contradictiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Nihil enim sic amant isti, quam scientiam promittere; & fidem rerum verarum quas credere parvuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.* Hæc Augustinus Tract. XCVII. in Joannem num. 4. unde hæc placuit exscribere, quoniam sæpenumero hæretici, cum in his, tum in aliis controversiis solent Theologis opponere novitatem vocabulorum.

6. Propositio 2. *Sacramenti* vocabulum varia significat.

PROPOSITIO II. *Sacramenti* vocabulum ad plura significanda usurpatur.

1. Sponsionem.

Ac primò apud Latinos Scriptores *Sacramentum* est oppignoratio quædam judicialis, sive sponsio pecuniæ à litigantibus olim facta, ea conditione, ut qui judicio vinceret, è sacro pecuniam auferret suam; victus vero relinqueret apud Pontificem, eaque publico ærario cederet. Ita Varro lib. IV. de lingua latina. Juxta hanc *Sacramenti* acceptionem Isidorus lib. IV. Originum ait: *Sacramentum est pignus sponsionis.* Appellabatur autem *Sacramentum*, vel quia deposita pecunia sacro asservaretur in loco, vel quia sponsionem illam violare summa perfidia esset, vel quia ipsa sacrorum ministri alerentur. Joachimus Stephanus de Jurisdict. vet. Græc. cap. 4. tradit Romæ litigantes deposuisse quingentos æris nummos; eandemque fere summam depositam ab actoribus & reis in Prytaneo. Erat Prytaneum Athenis forum civilium causarum, quemadmodum Areopagus publicorum criminum. Interdum Sacramentum dicebatur ipsamet pecunia à litigantibus deposita, unde Latina phrasis *sacramento contendere*, apud Ciceronem epist. ad Volumnium, & 1. de Oratore.

7. 2. Juramentum militiæ.

*Sacramentum* insuper significat legitimam militiam, sive juramentum, quo per aliquid sacrum milites sese obligabant ad fidem & obedientiam Imperatori præstandam. Hujus militaris sacramenti formula erat: *Ibo quo jusserit Senatus populusque Romanus*, sive, *quo duxerit Imperator*, sive, *quo jusserint Consules.* Addebant milites se non deserturos signa, non facturos se furtum, nihil adversus Rempublicam molituros. Adeas Livium lib. III. & XXII. Polybium lib. XI. Senecam Epist. 96. Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 5. ait Christianos milites scriptos, & matriculis insertos, jurare *picturis in cute punctis per Deum, & Christum, & Spiritum Sanctum, & per majestatem Imperatoris, omnia se strenue facturos, quæcunque præceperit imperator, nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Republica Romana.* Hinc quoniam ex militiæ Romanæ legibus plura adversus Christianam fidem perpetrabantur Tertullianus lib. de Corona cap. XI. hæc gravi oratione conscripsit: *Credimusne humanum sacramentum Divino superduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum? & ignorare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos, & lex honorari, & post Deum diligi præcipit, quos, & Evangelium solo Christo pluris non faciens sic quoque honoravit?* Plura de Sacramento militari Dempsterus Rom. Antiq. lib. X. cap. 3.

8. 3. Jusjurandum quodcunque.

Ex juramento à militibus facto *Sacramenti* vocabulum extensum est ad significandum quodlibet jusjurandum. Et juramentum quidem militum *Sacramentum* latinissimè dici fatentur omnes, comprobantque ex Tullio, Livio, & l. 2. §. *Miles.* D. de his qui not. infamia, & l. *Ex militari.* D. de Testam. milit. Reliqua juramenta haud rectè *Sacramenti* nomine insigniri censent complures. Legimus tamen apud Quintilianum lib. 12. cap. 2. *Sed hæc inter ipsos, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti nefas ducunt à suscepta semel persuasione desciscere*, id est, inquit Budæus, *jurejurando adacti:* Et Horatius lib. 2. Ode 17. *Non ego perfidum Dixi sacramentum:*

*tum:* sumpta tamen, ut animadvertit Lævinus Torrentius, à re militari translatione.

9. 4. Mysterium seu rem arcanam sive profanam, sive sacram.

Adhæc vocabulum *Sacramenti* idem significat, ac *Mysterium*, rem scilicet arcanam, & latentem, sive profana sit, sive sacra. *Mysterium* enim, sive derivet à μύω, *claudo*, sive à μυεῖν τὸ στόμα, *os obsignare*, sive ab hebræo מסתרים, *latibula*, nihil aliud significat, quàm occultam aliquam rem, quam nefas sit vulgo efferri; &, si de re sacra loquamur, rationem quamdam religionis nonnisi initiandis communicandam. Ferunt *mysteria* in cultum Cereris & Proserpinæ instituta apud Eleusinos, vel potius Eleusinis ea tradidisse Eumolphum Thracem: erantque propriè mysteria initiationes, à quibus arcebantur profani. Initiati ab arcanorum doctrina appellabantur *Mystæ:* at qui admittebantur intra adytum dicebantur *Epoptæ:* quod vocabulum recte usurpat Tertullianus scribens adversus Valentinanos cap. 1. de Mysteriis Atticæ superstitionis: *Cæterum tota in adytis divinitas, tot suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ.* Initiatio hæc peragebatur noctu, ex Cicerone lib. 2. de legibus cap. 14. Gregorio Nazianzeno Orat. *in Sancta Lumina*, Evagrio lib. 1. H. E. cap. 11. Initiatis Hierophantæ res turpissimas detegebant, à quarum nomine censemus esse abstinendum. Horum mysteriorum signa apud Eleusinios fuere sesamides, pyramides, tæniæ, sive lanæ elaboratæ, liba umbilicata, micæ salis, draco, mala punica, corda, ferula, hederæ, placentæ, papavera. Ita hæc recenset Clemens Alexandrinus in Protreptico, atque, ut constat ex Plutarcho in Phocione, prorsus optime. Quæ enumerat Eusebius lib. 2. de Præp. Evang. cap. 3. ex Orpheo Thrace, sunt mysteria Bacchi, non Cereris: sunt verò, talus, pila, trochus, poma, turbo, speculum, vellus. Omittimus verecundiæ causa *phallos*. Ad hunc ergo modum arcanorum doctrinæ, & *symbola* rerum occultarum dicuntur *Sacramenta*, aut, *Mysteria*. Ita in Apocalypsi XVII. 7. de re non sacra legimus: *Ego dicam tibi sacramentum* mulieris; & de Antichristo 2. ad Thessalonic. II. 2. *Operatur jam mysterium iniquitatis*; de fidei autem arcanis Matth. XIII. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*, & 1. ad Corinth. XV. 51. *Ecce mysterium dico vobis: omnes quidem resurgemus, &c.*

10. Cur, & quando PP. usi sint hoc nomine *Sacramenti*?

Juxta hanc *Sacramenti* significationem ea Ecclesiasticæ doctrinæ capita, quæ primis Ecclesiæ sæculis Gentibus occultabantur, sive ad fidei dogmata, sive ad Eucharistiæ, aliorumque mysteriorum consecrationem, ritus, & celebrationem pertinentia, solent à Patribus *Sacramenta* nuncupari. Ita Tertullianus de Præscript. cap. 20. Christianam institutionem, fidei regulam, omniaque Apostolicæ Ecclesiæ jura, appellat *ejusdem Sacramenti* traditionem, usurpato *Sacramenti* vocabulo pro universis Apostolicis rudimentis, uti observarunt in notis ad hunc locum præclari viri Albaspinæus, & Lupus, necnon quæst. 2. de Sacram. eximius Lovanienſium Theologus Farvaquez. Hinc percipimus cur olim Patres de Trinitatis mysterio, de Eucharistiæ frequentatione, & de aliis religionis Christianæ arcanis parce, & tanta verborum obscuritate locuti fuerint; ut nimirum sacro initiati baptismate commissa sibi mysteria assequerentur, eaque occulta remanerent profanis. Quare Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 6. pertractans de mysteriis, quæ continentur in Symbolo, *Hæc Sacramenta*, inquit, *non patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit, nec moris est Gentilibus exponere:* & S. P. Augustinus in Ps. 103. serm. 1. num. 14. *Opera enim nostra bona vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis.* Epistola pariter ad Honoratum Catechumenum, 120. nunc 140. num. 48. pertractans de Eucharistiæ *Sacramento*, & de sacrificio novi Testamenti, ait: *Quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies.* Vide & Chrysostomum Hom. 60. ad Illuminandos. Aliquando tamen, dum convitiis Christi fidelium fama laceraretur, iisque occulta imponerentur crimina, Ecclesiæ Patres in iis quoque libris, quos pro Religione Christiana exornarunt, hanc disciplinam arcani minime servaverunt, uti fecit in Apologia ad Antoninum Pium sanctus Martyr Justinus, non ut lubenter enuntiaret mysteria, quemadmodum inquit Albaspinæus, sed ut impactas calumnias dispelleret; quamquam & Justinus in altera Apologia ad Marcum & Lucium Antonini filios altum tenuerit de arcanis fidei silentium.

11. 5. Signum.

Rursus accipitur nomen *Sacramenti* pro signo quolibet rei sacræ. Est autem signum, quemadmodum ab Augustino definitur initio librorum de doctrina Christiana, *res, quæ ad significandum*

*dum aliquid adhibetur*, ut lignum quod in aquas amaras Moysen misisse legimus, lapis, quem Jacob sibi ad caput posuit, pecus, quod pro filio Abraham immolavit; & alia, quæ ita res sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum. Ac secundo libro ejusdem Operis cap. 1. *Signum*, inquit S. Pater, *est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire:* sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est cogitamus, & fumo viso ignem subesse cognoscimus, & voce animantis audita affectionem animi ejus advertimus. Non autem quodlibet signum *Sacramentum* dicitur, sed signum rerum divinarum duntaxat, scribente ipsomet Augustino Epist. v. ad Marcellinum nunc 138. num. 7. *Signa, cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Juxta hanc acceptionem *Sacramenti* Tertullianus contra Marcionem disputans vocat duos Abrahæ filios *Sacramenta figurarum, & allegorias Sacramentorum*, & in antiquis Patribus allegorias veteris testamenti exponentibus occurrunt passim hæc vocabula, *Sacramenta numeri, panis, piscis, &c.* Signorum quidem aliqua nullam habent cum re quam significant similitudinem, ut campanæ sonus signum est convocandi Clerum; quædam similitudinem talem habent, ut absque ulla vel humana, vel Divina institutione commonstrent rem quam significant, ut vestigium in arena impressum indicat pedem hominis; aut alterius animantis: nonnulla denique signa ex institutione rem aliquam indigitant, sed cum ea habent analogiam aliquam & proportionem, ut immolatio Isaac Christi sacrificium, productio Evæ institutionem Ecclesiæ præfigurarunt. Haud dubium est, quin *Sacramenta* signa sint hujus generis, scribente magno Augustino ad Bonif. Epist. 23. nunc 98. num. 9. *Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent.* Signorum denique aliqua sunt *significativa* duntaxat, sive ut in Scholis loquimur, *speculativa*, quemadmodum ramus, aut hedera demonstrant vini tabernam, vel cauponam: aliqua *obsignativa*, sicut sigillum principis obsignat, confirmatque contentum in diplomate privilegium, aliqua *exhibitiva* dignitatis vel muneris, ut baculus, annulus, pileus, qui præbentur Abbati, Episcopo, Cardinali: aliqua demum sunt signa practica & efficacia, qualia nos contendimus esse Sacramenta, de quibus in præsentia instituimus dissertationem.

PROPOSITIO III. Optima est definitio *Sacramenti*, quam adversus heterodoxos tradunt Catholici. 12. Propositio 3.

Quamvis non occurrat una *Sacramenti* definitio in libris Catholicorum, quibusdam ad Dialecticæ regulas pressius illud definientibus, quibusdam vero fusiori descriptione ipsius naturam explanantibus; consentiunt tamen omnes, Sacramenta esse signa quædam sensibilia sacro ritu exhibita Christi nomine, quæ, modò certæ conditiones adsint, gratiæ salutarem effectum in suscipiente operantur, super eam mensuram, quam exigant suscipientis meritum ac præparatio. Ita principio libri IV. Sententiarum Guilelmus Estius, & in Hist. Conc. Trident. lib. IX. cap. 4. Pallavicinus. Definitiones verò *Sacramenti*, quæ circumferuntur, sunt hujusmodi. Magister Sententiarum primo Sacramentum definit latissimè, prout omnia rerum sacrarum signa complectitur, dicens: *Sacramentum est rei sacræ signum.* Deinde tradit definitionem communem Sacramentis veteris legis, quæ Christi gratiam præsignabant, & Sacramentis legis Evangelicæ, quæ ipsam gratiam efficiunt, scribens, *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma.* Tertio Sacramentum novæ legis, quod est gratiæ signum efficax, ad hunc modum definit: *Sacramentum est quod ita signum est gratiæ Dei, & invisibilis gratiæ forma; ut ipsius imaginem gerat, & causa existat.* Isidorus lib. VI. Etymolog. cap. 18. ita Sacramentum describit: *Sacramentum est illud, in quo sub tegumento rerum visibilium Divina virtus secretius humanam salutem operatur.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 9. cap. 1. hanc Sacramenti definitionem suppeditat: *Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & sanctificatione continens invisibilem gratiam.* In Catechismo Romano p. 2. ita Sacramentum definitum legimus; *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet:* quam definitionem rectè Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 11. pulcherrimam vocat, & insignis Theologus Tournelius optimam & retinendam. Circumfertur & hæc Sacramenti vulgaris definitio: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum:* quæ definitio

*Sacramenti* definitiones plures & optimæ contra heterodoxos.

traditur ab eodem Catechismo Romano, & deprompta videtur ex Conc. Trident. sess. XIII. cap. 3. ubi asseritur Eucharistiam cum cæteris Sacramentis *symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem.*

13. Eligitur una & explicatur.

Ex quibus omnibus videtur nobis posse *Sacramentum* hac definitione describi: *Sacramentum est invisibilis gratiæ signum sensibile, divinitus institutum, & Christi nomine, sacroque ritu exhibitum, & hominum sanctificationem efficiens*; ita, ut primum definitionis membrum Sacramentis veteris, ac novæ legis ex æquo conveniat; alterum verò commonstret utrorumque discrimen. Ac principio Sacramentum rectè dici *signum sensibile* omnes prorsus cum hæretici, tum orthodoxi consentiunt. Enimverò quod occultum est, nec ingerit speciem aliquam sensibus, signum appellari non potest, quare Augustinus de Catechizandis Rudibus cap. 26. num. 50. Sacramenta vocat *signacula rerum divinarum visibilia:* lib. XIX. contra Faustum cap. 16. *corporalia Sacramenta:* quæst. 84. in Leviticum, *Sacramenta visibilia:* tract. LXXX. in Joan. num. 3. *elementum, & tanquam visibile verbum;* & in expositione inchoata Epist. ad Rom. num. 18. *sacrosancta signacula.* Ideo autem *signum sensibile* ad Sacramentum constituendum fuit adhibitum, *quoniam anima corpori inserta est, & in sensibilibus illi intelligibilia præbentur*, ut inquit Jo. Chrysostomus hom 60. ad Populum Antioch. & 83. in Matth. sive ut ait S. Thomas q. IX. art. 4. *quia connaturale est homini, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium.* Addamus S. P. Augustini rationem ex citato lib. XIX. contra Faustum cap. 11. quoniam scilicet *in nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

14. Incidenter rejicitur error Socinianorum.

Non est tamen *Sacramentum* hujus solius in unum Religionis nomen coadunationis signaculum, ut perperam autumant Sociniani, qui contendunt nihil aliud *Sacramentum* esse, nisi simplex nudumque signum, quo à Judæis, & à Gentilibus discriminantur Christiani: sed est signum *invisibilis gratiæ*: nam infra demonstrabimus sacramenta novæ legis sanctificationem efficere, quam sacramenta vetera præsignabant; unde Augustinus citata quæst. 84. in Leviticum scribit: *Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt?*

Animadvertendum hoc loco, etiam sacramenta legis veteris aliquam sanctitatem contulisse, sed legalem duntaxat, scribente eo loci Augustino, *Moyses visibiliter Sacerdotes sanctificabat*, quæ sanctitas umbratica erat, & figura sanctificationis conferendæ per Christum: quamobrem Sacramenta illa appellantur ab Apostolo ad Galat. IV. 9. *infirma & egena elementa*, ad Hebræos VII. 18. reprobanda propter *infirmitatem, & inutilitatem*, & ibidem cap. IX. 13. asseritur inquinatos tantummodo vetustis sacrificiis sanctificatos *ad emundationem carnis.* Cæterum tam sacramenta veteris legis, quàm novæ in re significata paria sunt, nam significant eundem Christum, ejusque gratiam; cum hoc tamen discrimine, quod sacramenta vetera signum erant Christi venturi, Sacramenta novæ legis signum sunt redemptionis jam peractæ, sive, ut loquitur S. Pater cit. lib. XIX. adversus Faustum cap. 14. & 15. Sacramenta illa erant prænuntiativa rerum nondum impletarum, & figuræ Christi passuri, & resurrecturi; hæc verò Sacramenta signa sunt Christi, qui passus est, ac resurrexit.

15. Sacramenta veteris legis contulerunt sanctitatem legalem.

Utriusque legis, in quo conveniant, & disconveniant?

Hinc infertur, quod sicuti eadem est fides veterum Patrum, ac nostra, quemadmodum demonstravi lib. XXVI. cap. 7. ex eo quod antiqui justi salvi fierent eadem fide, quæ fuerat suo tempore revelanda; & sicuti idem est Mediator qui olim expectabatur, & qui ad nos redimendos advenit, quoniam juxta Apostolum, *unus est qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem:* ita una eademque est definitio Sacramentorum utriusque legis, licèt virtus omnino impar. Hinc subscribimus iis, qui censent utraque Sacramenta *univoce* hoc nomine designari. Quod si per *signum gratiæ*, intelligas signum efficiens, & practicum, quoniam, ut paulo antea diximus, Sacramenta vetera non propriam sanctitatem vi sua impertiebantur, sed legalem tantum, atque prænuntiativam, apertum est *analogice* tantum, non *univoce* Sacramenta utriusque legis insigniri uno eodemque vocabulo. At quod signum practicum esse debeat, aliqua alia voce exprimendum est; ut nos fecimus sequentibus verbis ad evitandam illam parvi momenti & inutilem quæstiunculam, num Sacramenti definitio *univocè* utriusque legis *Sacramentis* conveniat.

16. Juxta D. Thomam Sacramentum est signum triplex, scilicet *demonstrativum, commemorativum, & prænuntiativum.*

Priusquam vero cæteras allatæ definitionis particulas prosequamur, animadvertendum est triplicem gratiam Sacramentalibus symbolis designari: ac primùm gratiam præsentem, quæ animam exor-

exornat & sanctificat, scilicet, justitiam, remissionem peccatorum, aliaque dona Dei, quibus cumulatur dignè *Sacramenta* recipiens: deinde gratiam jam acceptam Dominicæ Incarnationis, passionis, redemptionis, resurrectionis; &, si loquamur de veteribus Sacramentis, initum fœdus, Dei promissionem, ac liberationem de domo servitutis: gratiam denique futuram, scilicet gloriam, & sempiternæ vitæ consecutionem. Quare *Sacramentum* dici potest cum beato Thoma quæst. IX. art. 3. signum *demonstrativum*, *commemorativum*, *prænuntiativum*. Quod ut facilius percipiatur, quædam producam ex utriusque legis *Sacramentis* exempla. Et primum sit circumcisio, quæ commonefaciebat fœderis à Deo initi cum Abrahamo, Gen. XVII. 7. erat signaculum justitiæ & fidei, Ad Rom. IV. 11. atque prænuntiabat Christum ex semine Abraham oriturum, & gratiam Evangelii, per quam sumus filii promissionis, ad Galat. III. 29. Ita Levitarum sacrificia, præsertim Agni paschalis immolatio, erant commemorativa beneficiorum, quæ Deus filiis Israel ex Ægypto eductis contulerat, Exodi XII. 5. immundorum purgatio, ad Heb. IX. 13. & typus Agni in cruce pro nobis immolandi, I. ad Corinth. X. 3. Ad hunc plane modum *Sacramentum* baptismatis signum est Christi passionis ac sepulturæ, ad Colossens. II. 12. ablutionis peccatorum, & renovationis, ad Titum III. 5. nec non arrha futuræ resurrectionis, & pignus hæreditatis, ad Roman. VI. 5. Hoc denique pacto dum Eucharistiæ suscipitur *Sacramentum*, annuntiatur, & in memoriam revocatur Christi mors I. ad Corinth. XI. 26. atque recipitur unà cum Corporis Christi communione pignus æternæ vitæ, Joan. VI. 51. & I. ad Corinth. X. 16. *Sacramentum* itaque est signum *demonstrativum* præsentis gratiæ, *commemorativum* præteritæ, *prænuntiativum* futuræ. Adhæc *Sacramenta* sunt etiam muneris officiique nostri commonitoria; circumcisio enim admonebat unumquemque, ut cor suum circumcideret, & victimarum immolatio, ut supremam Dei pertimesceret potestatem, quemadmodum nunc baptismus nos commonet veterem hominem cum Christo simul crucifixum esse, ut destruatur corpus peccati, nec peccato ultra serviamus; & communicatione corporis Christi excitamur ad gratias pro accepta redemptione agendas, fovendamque inter nos, qui de uno pane participamus, mutuam charitatem & dilectionem.

17. Et quidem *divinitus institutum.*

Ut revertamur modo ad *Sacramenti* definitionem, oportet, *ut sit signum divinitus institutum*. Diximus enim, habere quidem *Sacramenta* aliquam similitudinem rerum, quarum signa sunt; at non esse signa talis generis, qualia sunt naturalia, quæ absque ulla institutione commonstrant id, quod significant, cujusmodi est vestigium in pulvere impressum. Et quoniam virtus *Sacramenti*, cum sit spirtualium donorum effectrix, habet solum Deum auctorem; idcirco *Sacramenta* non humanæ institutionis sunt, sed supremæ ac Divinæ. Quamobrem S. Pater de Doctrina Christiana lib. III. cap. IX. num. 13. Sacramentum appellat *utile signum divinitus institutum*. Verùm de *Sacramentorum* institutione plura paulo infra.

18. Sacramento novæ legis proprium est, ut ministretur nomine Christi.

Cum hæc communia sint cuilibet *Sacramento*; hoc proprium habet *Sacramentum* novæ legis, ut Christi nomine suscipientibus administretur: sive enim baptizet improbus minister, sive justus; gratia baptizato confertur, eoquod non tribuatur gratia baptismatis, nisi illi, sti. de quo dictum est, Joan. I. 33. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Potestatem quippe sanctificandi Christus JEsus in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, ut dum baptizant ministri inæqualis meriti, unum tamen & par & æquale baptisma reciperet unusquisque, nec tot baptismata essent, quot ministri: sed staret unitas Baptismi, unitas Ecclesiæ, unitas Fidei. Hinc Paulus compescens scissuras & schismata Corinthiorum, orta ex magistrorum, à quibus initiati fuerant, præcellentia, in priori Epistola cap. I. inquit: *Unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis: aut in nomine Pauli baptizati estis?* Lege etiam Augustinum Tract. IX. in Joan. num. 6. 7. 8.

Et quòd sit signum gratiæ & sanctificationis efficiens.

*Sacramenta* denique novæ legis sunt signa gratiæ & sanctificationis efficientia, cum vetera, ut diximus, gratiam tantummodo prænuntiarent, nec aliam conferrent sanctitatem, nisi legalem. Id ex iis, quæ infra de *Sacramentorum* vi & energia disputabuntur, perspicuum erit. Interim negari nequaquam potest, quin per baptismum abluantur peccata, homines regenerentur, & renoventur Spiritu sancto: cum Act. XX. 16. Ananias dixerit Saulo: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua*; ac Paulus ipse scripserit ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit*

*per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* De confirmatione pariter legimus Act. VIII. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* De Ordine manifestus est locus 1. ad Timoth. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri.* At de istorum, aliorumque Sacramentorum gratia, agendum est proprio in loco.

19. Objectio 1. ex Luthero & Kemnitio.

Repudiata superiori definitione *Sacramenti*, alias proprio marte Novatores compingunt. Ac primo Lutherani contendunt nihil aliud *Sacramentum esse, quam promissionem gratiæ annexam externo signo:* ita Lutherus in lib. de captiv. Babylonica cap. ult. & Kemnitius in 2. P. Examin. Si Lutherani intelligerent *externum signum* gratiæ, & sanctificationis *efficiens;* posset recipi istiusmodi definitio, quamquam minus accurata & impropria. Nam Georgius Cassander in Consultatione de Articulis inter Catholicos, & Protestantes controversis, art. XIII. producit librum ad compositionem Religionis Ratisbonæ propositum, atque in hoc capite etiam ab Eckio probatum; in quo habetur, *Sacramenta duabus potissimum de causis Divina auctoritate instituta esse: una, ut essent signacula & veluti tesseræ quædam hujus magnæ congregationis, quæ est Ecclesia; altera, ut sint certa & efficacia signa voluntatis, & gratiæ Dei erga nos, & proinde non signa ut tantum significent, sed ut sanctificent, utque in nobis fidem excitent, & ad mutuam dilectionem, moresque Christianos provocent & hortentur.* Et Grotius in Annotatis ad Consultationem Cassandri, eodem art. fatetur, *Sacramentis non significari tantum gratiam collatam, sed & conferri.* Neque enim nos negamus *Sacramenta* habere annexam gratiæ promissionem: quis enim ignorat de Baptismo legi Marci ult. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*, & de Cœna Dominica Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam?* Fatemur etiam Sacramenta *magnam vim habere ad fidem in animis nostris excitandam, & exercendam, & ad charitatem inflammandam*, ut in Catechismo Romano legimus P. 2. num. 18. sunt enim, ut supra diximus, signa commemorativa quoque beneficiorum præteritorum, nec non futurorum prænuntiativa.

20. Respondetur.

Verùm in illa Lutherana *Sacramenti* definitione principio notandum est, quod impropriè dicitur Sacramentum *ipsa promissio gratiæ*, quam alioquin habet annexam; non enim per verba, quibus *Sacramenta* conficiuntur, revera insinuatur promissio; neque dum sacrum impertimur lavacrum, dicimus, *Promitto tibi regenerationis gratiam*, sed, *Ego te baptizo, &c.* quod & in aliis *Sacramentis* servatur; propterea quod *Sacramenta* novæ legis non sanctitatem promittant, sed conferant. Dein in ea definitione latet perfidia hæresis; nam cum novatores autument hominem justificari per solam fidem *divinarum promissionum*, & per solam in Christum fiduciam seclusis operibus, & denegata efficacia *Sacramentorum*; consequenter præmissa, aut consimili alia definitione incautis animis insinuant, à suscipientibus *Sacramenta* per solam fidem arripi justitiam & sanctitatem. Vide quæ diximus lib. XIX. cap. 5. Hinc Confessio Lutheranorum exhibita invictissimo Imperatori Carolo V. in Comitiis Augustæ anno 1530. profitetur, *utendum Sacramentis, ut fides accedat quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur, & ostenduntur;* damnatque *illos, qui docent quod Sacramenta ex opere operato justificent.* Ea ergo, quæ postea dicentur de *Sacramentorum* efficientia, etiam repellunt, oppugnantque Lutheranam *Sacramenti* definitionem.

21. Objic. 2. ex Calvino sed Respondetur.

At Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14. ad rationem *Sacramenti* præter promissionem Divinam addit Divinæ benevolentiæ oppignorationem, ita, ut juxta Calvinianos *Sacramenta* nihil sint aliud, *quàm signa quædam & sigilla divinitus instituta ad obsignandas in nobis, & confirmandas Divinas promissiones, ad fidem nostram corroborandam, & ad pietatem nostram erga Deum palam significandam.* Quæ definitio & falsa est, & eodem vitio laborat, quod *Sacramentis* nullam producendi gratiam vim tribuat, nisi quatenus fidem excitant, *externisque objectis*, ut inquit Theodorus Beza de summa Rei sacrament. q. 2. *interiores sensus moventur.* Cæterum falsitas definitionis Calvinianæ inde eruitur, quod Divina promissio magis certa est in sacris literis, quàm sit certa justitia, & sanctitas in *Sacramentis* collata, ideoque fieri nequit, ut per *Sacramenta* certiores reddamur promissionum divinarum. Præterea illa definitio ipsorum Calvinistarum doctrinam evertit; cum enim profiteantur solos prædestinatos justificari, & divinarum promissionum pignus accipere; atque aliunde negare non audeant plerosque reprobos suscipere *Sacramenta;* aut dicendum est

*Sa-*

*Sacramenta* non esse illam Divinæ benevolentiæ oppignorationem, aut nunquam recipi à reprobis, aut omnes, qui *Sacramenta* recipiunt, esse prædestinatos. Reprobis namque, juxta Calvinianos, gratia denegatur, non ob pravam illorum dispositionem, sed quia Deus ipsam gratiam solis prædestinatis sempiterno decreto paravit, sacris in literis repromisit, & reapse impertitur.

22. Urgent Calvinistæ frustrà.

Nihil autem juvat Calvinistas, quod circumcisio dicatur ab Apostolo ad Rom. IV. σφραγὶς, id est, *signaculum*, aut, *sigillum*: siquidem nemo nostrum negat circumcisionem fuisse initi fœderis oppignorationem, necnon impressum in carne signaculum filios Abrahæ ab alienis discriminans; quemadmodum nec illud negamus, per *Sacramenta* homines sese Deo mancipare, eique suam servitutem obstringere: negamus tantùm in *Sacramentis* vel oppignorationem istam, vel Divini fœderis commemorationem solummodo esse spectandam, & non potius internam, occultamque subministrationem gratiæ, quam in nobis ritè dispositis efficiant. Ostendimus quippe non eadem ratione à profanis Scriptoribus, & ab Ecclesiæ Patribus *Sacramenti* vocabulum usurpari; ideoque ex quo apud litigantes *sacramentum* dictum fuerit oppignoratio pecuniæ, nonnisi imperite infertur apud Ecclesiæ Doctores *Sacramenta* primariò esse signacula fœderis à Deo cum hominibus initi, aut promissæ fœderatis gratiæ oppignorationem. Vidit id etiam heterodoxus Vossius, qui de vi, & efficacia Sacramentorum pag. 248. scripsit: *Infirmo igitur tibicine nituntur qui sic argumentantur: Sacramentum fuit pecuniæ oppignoratio ex pacto litigantium proveniens. At in Sacramentis Ecclesiæ homo se oppignorat Deo, ut consequatur gratiam fœderatis promissam. Ergo Sacramenta primariò sunt signa pacti, & fœderis inter Deum & nos.* Adde, quod supra commonefecimus, tam in Circumcisione, quàm in *Sacramentis* novæ legis non solùm fœdus initum spectandum esse, cujus sunt signum *commemorativum*; verum etiam præsentem justitiam, cujus sunt signum *demonstrativum*, & efficiens.

23. Corollarium circa definitiones hæreticorum.

Ex dictis corruunt aliæ definitiones hæreticorum, quæ omnes eo spectant, ut *Sacramentis* auferant vim spiritualis gratiæ effectricem. Nos ergo concedemus Zwinglianis *Sacramenta* esse quamdam initiationem, qua Christo homines, ut milites imperatori, obstringuntur. Haud inficiabimur Anabaptistis *Sacramenta* esse signa, quibus ut rectè vivamus admonemur. Fatebimur Socinianis per *Sacramenta* Christi fideles à Judæis & à Paganis secerni. Calvini quoque, & Lutheri gregariis ultro dabimus, *Sacramentis* fidem nostram excitari, & exerceri pietatem. At negamus id primò in *Sacramentis* attendi: sive negamus *Sacramenta* esse tantùm signa, quæ vel præstitum beneficium in memoriam revocent, vel Dei gratiam promittant, vel nos officii nostri commonefaciant, non verò signa spiritualium donorum efficientia. Atque hinc à ratione, numeroque *Sacramentorum* excludimus tum ea signa, quæ erant futurarum rerum symbola duntaxat *speculativa*, nec sanctitatem præsignabant, aut conferebant, ut serpens æneus, virga Moysis, Arca fœderis, transitus maris rubri, aliæque veteris testamenti figuræ; tum ea, quæ nulla alia ratione gratiam impertiuntur spiritalem, nisi quatenus in iis devotè nos gerimus exhibentes Christianæ humilitatis pietatisque argumenta, ut sunt aspersio lustralis aquæ, benedictio Sacerdotalis, ablutio pedum, & quæ consueto vocabulo nuncupantur *Sacramentalia*: de quibus tamen iterum pertractabitur.

# CAPUT II.

## Quandonam *Sacramenta*, quæ sunt signa spiritalis gratiæ, primitus fuerint instituta?

### *SUMMARIUM.*

1. In statu Innocentiæ non fuerunt Sacramenta, nec fuissent, si perseverâsset.
2. Affertur opinio contraria.
3. & 4. Neutra pugnat contra fidem; hinc solvuntur argumenta utriusque sententiæ.
5. Mens auctoris.
6. An in statu naturæ lapsæ usque ad Moysen fuerint Sacramenta, variæ sunt DD. sententiæ.
7. Pro parvulis tunc fuisse Sacramentum, probatur.
8. 9. 10. & 11. Satisfit objectionibus.
12. Etiam pro adultis in lege naturæ Sacramenta fuerunt.
13. In lege scripta extitisse aliqua, extra controversiam est.

EXPLI-

1. Opinio 1ma. in statu Innocentiæ non extitêre Sacramenta, nec extitissent, si perseverâsset.

EXPLICATA Sacramentorum *essentia* quæritur quando primum existere incœperint; cumque prior hominum status fuerit protoparentum, dum brevi originalem justitiam in paradiso voluptatis servaverunt, principio à Scholasticis controvertitur, num in eo felicitatis statu *Sacramenta* extiterint, vel, si Adam perseverâsset, fuissent saltem instituenda. De hac verò quæstione, cum inde parum utilitatis possimus percipere, agendum puto absque prolixitate verborum. Itaque in statu innocentiæ *Sacramenta* nequaquam extitisse, nec, si Adam perseverâsset, fuisse futura, tradit S. Thomas q. 61. art. 2. ejusque Commentatores clarissimi, Dominicus Soto in IV. dist. 1. q. 2. art. 2. Gonet disp. 2. art. 1. Cardinalis Gotti quæst. 1. dub. 3. aliique omnes; neque oppositum censent cum Subtili Doctore Mastrius disput. 1. q. 8. art. 1. & Frassen art. 1. q. 4. necnon cum Romano Ægidio nostrates, Argentinas dist. 1. q. 1. art. 2. Gibbon disput. 3. dub. 2. Gavardi q. 1. art. 2. His verò quamplures alii subscribunt.

Probatur variis rationibus.

Innititur hæc sententia momentis istis. Principio *Sacramenta* signa sunt in religione stabilia ac permanentia, ideoque locum non habent in eo statu, qui ad brevissimum tempus perduravit. Deinde, ut S. Thomas citato loco ratiocinatur, repugnare videtur rectissimo, & bene instituto creaturæ rationalis statui, in quo superiora nullo modo ab inferioribus pendent, si anima vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per signa sensibilia perficiatur. Præterea *Sacramenta* ad remedium, & medicinam animæ sunt instituta, ideoque locum habere nequeunt in eo statu, in quo nullus animi morbus irrepserit. Insuper *Sacramenta* vel ad gratiam recipiendam, vel ad servandam, vel ad augendam instituuntur: in statu autem originalis justitiæ jam gratia absque ullo *Sacramentorum* adminiculo collata fuerat. Tunc etiam nil homines fuissent passi noxiæ cupiditatis, sensuumque luctaminis, ideoque potuissent absque sensibilibus elementis acceptam justitiam custodire. In hac quoque proficere potuissent, ut fecerunt angeli sancti, per liberum arbitrium perseverando. Cui ergo bono tunc instituta fuissent *Sacramenta*, si nec ad divinarum gratiarum conservationem, nec ad augmentum quidquam conferre potuissent? Tandem neque ex scriptura, neque ex traditione, quæ duo in rebus ambiguis facem nobis præsefe-

2. Opinio 2da. contraria.

runt, probari potest *Sacramentorum* pro statu innocentiæ, vel necessitas, vel institutio. Atque hæc sunt pro communiori sententia tritæ argumentationes.

Quidam censent etiam in statu innocentiæ quædam *Sacramenta* extitisse: quam opinionem amplectuntur nonnulli Ordinis nostri Scriptores cum Fulgentio Bellelli lib. 1. Mentis Aug. cap. 20. his argumentis innixi. Primo juxta Augustinum lib. XIX. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Cum itaque in statu innocentiæ futurus esset Dei cultus, & vera Religio; oportuit, ut pro eo statu instituerentur ipsius religionis signacula, & tesseræ, qualia profecto sunt *Sacramenta*. Extitissent præterea in eodem innocentiæ statu oblationes, & sacrificia: quamquam enim id neget Dominicus Soto, eumque postea secutus sit Du-Hamelius, refutatur jure ac merito à Gonet, quoniam offerre Deo sacrificia, illumque tum interiori, cum exteriori actu colere tenemur jure naturæ, ex D. Thoma 2. 2. q. 85. art. 2. Cum autem sacrificia alicujus meriti fuissent, vel gratiæ contulissent incrementum, vel saltem ad illud conferendum fuissent idonea: quod ad rationem veri *Sacramenti* videtur sufficere. Præterea Augustinus rationem *Sacramenti* agnoscit in *ligno vitæ*, scribens lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 4. num. 8. *Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem Sacramentum.* Proximo etiam capite v. num. 10. ait S. Pater, *potuisse per lignum, id est, per corpoream creaturam, tanquam Sacramento quodam, significari Sapientiam in paradiso corporali*, Sapientiam utique, qua recte vivimus, & de qua Prov. III. 18. legimus, *Lignum vitæ est amplectentibus eam.* Insuper Augustinus eodem capite num. 11. affirmat lignum vitæ non solùm fuisse sapientiæ visibile symbolum, verùm etiam immortalitatem primo homini contulisse occulta gratiæ inspiratione, scribens: *Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta:* ac de homine è paradiso ejecto lib. XI. cap. 40. num. 54. ait S. Doctor, *Separari utique debuit à ligno vitæ, sive*

*quod*

*quod ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili, sive quod in eo esset & sacramentum visibile invisibilis sapientiæ.* Ex quibus omnibus constat lignum vitæ & fuisse corporale signum rei sacræ, & contulisse corporis immortalitatem; quam fuisse donum gratiæ, non vero naturalem innnocentis hominis conditionem, & definitum est adversus Bajum, & nos demonstravimus lib. XII. cap. 9.

3. Neutra pugnat contra fidem:

Utraque sententia potest absque ullo fidei discrimine propugnari: sed ut verum fatear, mihi non videntur producta utrinque argumenta penitus inconcussa. Primum enim pro communiori sententia facilè solvitur, si reponas non fuisse innocentiæ statum diuturnum ac permanentem ob liberam primi hominis prævaricationem; habuisse tamen ea adminicula, quæ congruunt statui permanenti; quemadmodum in eo non defuerunt ad servandam corpoream vitam salubris ligni alimenta, etsi transgressor homo iis promeruerit spoliari. Nam congruum fuit à sapientissimo Conditore omnia rationalibus creaturis suppeditari, quæ vel ad sui cultum & religionem, vel ad spiritalem vitam liberali munificentia suppeditantur. Ad secundum dicimus pugnare cum innocentiæ statu sensuum rebellionem, & corporalium rerum imagines, quæ in errorem inducant, non autem signa sensibilia, quæ animam corpori insitam in cognitionem rerum spiritualium pertrahant: unde Thomistarum rationem refutant Suarez, Florentius de Cocq, Isambertus, Tournely, & alii. Alterum nil probat, siquidem *Sacramenta* status innocentiæ non fuissent utique animorum medicamenta, nec liberassent à patratorum scelerum lue; sed potuissent tamen gratiam impertiri, quæ hominem custodiret, aut gratiam jam acceptam augere. Ad quartum respondeo disparem esse de Angelo, & de homine primo rationem; ille enim cum sit spiritualis, nec habeat animum consertum carni, non debuit spiritaliter vivere mysteriis rerum intelligibilium corporaliter exhibitis: quod non valet de homine etiam innocente, ut inquit sapientissimus Augustinus. Ad postremum dicimus nec ex scriptura, aut traditione colligi posse quale *Sacramentum* extiterit in lege naturæ pro delendo originali peccato, cum tamen aliquod consensu fere omnium extiterit; neque necessum est ea, quæ ipsa religionis, & congruentiæ ratio commonstrat, Divina auctoritate comprobari, præsertim si ad fidem, cujusmodi est præsens quæstio, non spectent. Quod si secunda sententia arrideat; dices in Scripturis commemorari lignum vitæ, quod juxta Augustinum habet *Sacramenti* rationem.

Solvuntur tamen argumenta 1mæ opinionis.

Cæterum nec secundæ sententiæ argumentationes invictissimæ sunt. Ad primum enim responderi potest, quod Augustinus vel loquitur de mysteriis & ritibus, quibus una religio ab alia secernitur, vel saltem non instituit sermonem de statu innocentiæ. Quod loquatur de mysteriis & ritibus, quæ sæpenumero *Sacramenta* non sunt, liquet; nam indiscriminatim verba facit de qualibet religione, sive vera, sive falsa, dicens, *In nullum autem nomen religionis seu verum, seu falsum, &c.* Quis autem in falsa religione vera *Sacramenta* potest excogitare? Intelligendus est ergo Augustinus de sacrificiis, quæ in unaquaque religione offeruntur, maxime quod disjunctive loquitur, *nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum, &c.* Quod vero Augustinus non sit de statu innocentiæ accipiendus, patet ex eo, quod perseverante statu innocentiæ omnes homines unum Deum adorassent, eandemque rempblicam constituissent, ideoque non opus fuisset, ut certis *signaculis* homines coadunarentur, & fideles corporalibus signis secernerentur ab idololatris. Alterum facilis est solutionis, sacrificia enim in statu innocentiæ essent religiosi cultus protestativa, sed non symbola gratiæ; nec ipsam gratiam promeruissent, nisi per modum meriti, sicut illam promerentur virtutum opera; *oblationes enim*, inquit Dominicus Soto, *non aliter sunt causa gratiæ, quam eleemosynæ, & jejunia.* Quod sequitur, hac ratione diluitur. Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. IV. num. 8. appellat lignum vitæ *Sacramentum*, quatenus *Sacramentum* latè acceptum rem arcanam designat, docens *in ligno vitæ* figuratum Christum, qui vera Sapientia est, ut in petra, de qua fluxerunt aquæ. Ait enim: *Erat ergo & lignum vitæ, quemadmodum Petra Christus, nec sine mysteriis rerum spiritualium, &c.* At Petra verum propriumque *Sacramentum*, ut in præsentia accipitur, nequaquam fuit: ideoque nec lignum vitæ. Affert eo loci num. 10. Augustinus etiam exemplum matrimonii; quod *certe Sacramentum* erat lato modo, in quantum scilicet præsignabat Christi & Ecclesiæ unionem, ut inquit Apostolus ad

4. Ad 1dam. Item 2dæ.

Ephes. v. 31. nam in lege duntaxat Evangelica ad *Sacramenti* dignitatem à Christo Domino evectum est, cum olim institutum fuerit *non secundum quod est Sacramentum, sed secundum quod est officium naturæ*, ait S. Thomas 2. p. q. 60. art. 2. ad 3. Ergo ut matrimonium, ita lignum vitæ fuit per Augustinum *Sacramentum* eo tantum sensu, quod *mysterium* aliquod præsignabat. Dum vero ait cap. v. num. 11. tribuisse stabilem sanitatem *occulta salubritatis inspiratione*, non significat gratiam collatam animæ, sed firmitatem tributam corpori; non vi aliis cibis communi, sed occulta, & mirabili, qualis apparuit in subcinericio pane, quo Elias quadraginta dierum itinere pervenit ad montem Horeb, 3. Reg. XIX. 8. aut in farina, & oleo Sareptanæ viduæ, 3. Reg. XVII. 16. Hæc enim exempla producit ibidem Doctor eximius. Quis verò aut panem illum subcinericium, aut farinam, oleumque *Sacramenta* significatione propriâ appellaverit?

5. Mens Auctoris.

Hæc utriusque sententiæ argumentis repono; & quantum ad me attinet, subscribo primùm Theologis asserentibus nullam repugnantiam habere *Sacramenta* cum statu innocentiæ, propterea quod homo corpore animoque conflatus per corporalia signa potest in quocunque statu devenire in cognitionem rerum spiritualium, ut non obscure docet citato loco Augustinus, ipsaque ratio demonstrat. Posset etiam iisdem signis conferri gratia, non quæ vulnera animæ sanaret, sed quæ gratiam pristinam foveret, vel ejusdem tribueret incrementum. Nec singularis est hæc sententia, sed Durandi in IV. dist. 1. q. 2. Alexandri de Ales q. 1. memb. 2. Florentii de Cocq de Sacram. sect. X. aliorumque. Ad hæc affirmo extitura etiam in statu innocentiæ sacrificia, quoniam tenetur creatura rationalis animo, & corpore constans Factorem suum exterioribus, internisque actibus colere. Constituissent quoque homines innocentes Ecclesiam visibilem, quæ sanè colligata cerneretur *signaculis* sensibilibus. Assero tandem in statu innocentiæ nequaquam futura *Sacramenta*, quæ vim conferendi gratiam haberent intuitu meritorum Christi, aut instituta essent in peccatorum medelam: quoniam sententia nostra Christus non venisset, nisi Adam peccasset, neque *est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, Matth. IX. 12. Atque hæc de statu innocentiæ.

Sequitur status naturæ ab Adæ lapsu usque ad legem per Moysen latam, comprehendens annos, juxta communiorem Chronologiam, 2513. In quo statu, præsertim ante circumcisionem, nulla fuisse *Sacramenta* nonnulli Scholastici docuerunt, quod sat esset ad justificationem protestatio fidei absque signo ullo sensibili, & si aliquando patriarchæ signum istiusmodi exhibuerint, determinatum non esset, neque divinitus institutum. Atque hanc sententiam tenuerunt Durandus in IV. dub. 1. q. 2. Dominicus Soto dist. 1. q. 2. art. 3. concl. 5. Ledesma, Maurus, Basilius noster Legionensis, Vasquesius, alii. Quidam verò etiam ante circumcisionem extitisse putant *Sacramentum* aliquod pro parvulis originali culpa expiandis, at non pro adultis, quibus sat erat fides in futurum Liberatorem, quocunque tempore ad salutem necessaria, ut alibi definivimus: idque tenent Suaresius disput. IV. sect. 4. in articulum 3. quæstionis LXI. 3. partis, Juenin in Comment. q. 2. cap. 2. Perrimezzi dis. 305. Quale autem ante circumcisionem fuerit pro parvulis remedium, & an determinatum ex Divina institutione, an ex hominum arbitrio, ambiguum est, asserentibus Scotistis determinatum fuisse, negantibus aliis; tametsi Mastrius disput. 1. q. 2. num. 51. demonstret nec Subtilem doctorem affirmasse signum illud institutum sub aliqua ceremonia, sed tantùm, ut inquit, *formaliter*, nimirum fuisse signum sensibile fidei, non alterius virtutis, *materialiter* tamen indeterminatum, & ab hominum pendens arbitrio: quod videtur solo nomine discrepare ab aliorum sententia. Complures denique tam pro parvulis, quam pro adultis in statu naturæ *Sacramenta* extitisse propugnant, inter quos Canus Relect. de Sacram. p. 3. Gonet disp. 2. art. 2. Gavardi Quæst. 1. art. 3. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 4. Tournely q. 2. art. 3. concl. 2.

6. In statu naturæ lapsæ usque ad Moysen an, quæ, & pro quibus fuerint sacramenta? variæ sententiæ.

In hac opinionum discrepantia primum affirmo in lege naturæ aliquod pro parvulis gratiæ signaculum, & *Sacramentum* extitisse quod ostenditur auctoritate, & ratione admodum probabili. Etenim Innoc. III. cap. *Majores*, lib. 3. decret. tit. 42. indiscriminatim de parvulis cujusque status ait: *Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Ubi *remedii* nomine intelligit proculdubio *Sacramentum*, cum ibidem de circumcisione, & de Baptismo disputationem instituat.

7. Asseritur 1. pro Parvulis tunc fuisse Sacramentum, & probatur tam auctoritate, quàm ratione.

stituat. S. Pater Augustinus lib. v. contra Jul. cap. XI. num. 45. ait: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit.* Item Auctor de Cardinalibus operibus Christi, inter opera Cypriani, cap. de ratione Circumcisionis, inquit: *Sane originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari; licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine.* Accedit & ratio: quocunque enim tempore necessaria fuit ad salutem fides in Christum, *quæ salvos faciebat antiquos pusillos cum magnis*, ut Augustinus ait lib. 2. de nuptiis & concupisc. cap. XI. num 24. cumque parvuli nequeant fide propria actuali justificationem percipere; ut modo in iis qui baptizantur supplet defectum ætatis Ecclesiæ fides, ita olim fides parentum signo aliquo visibili significata à damnatione eripiebat infantulos: *Omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest;* ut inquit lib. 2. de vocat. Gent. Cap. 23. fidelissimus Augustini interpres beatus Prosper, aut quisquis auctor est ejusmodi Operis. Ut ergo fides Mediatoris opitularetur infantibus, aliquo signaculo erat iisdem applicanda. Protestatio enim fidei interior, non videtur esse sufficiens ad salutem remedium, tum quia parvulis in utero matrum decedentibus tanta gratia impensa non est, ut ad regenerationem per alienam fidem pervenerint, cum tamen & iis afferre posset salutem parentum, aut extraneorum fides, nisi applicandum iisdem esset sensibile *Sacramentum:* tum quia visibilibus signis ad Deum redeundum est, quemadmodum ab invisibilibus per visibilia cecidimus, *ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque iisdem, quibus corruit, passibus surgat*, ait lib. XXVI. Moralium cap. 8. nunc XII. num. 18. magnus Gregorius: ex quo capite necessitatem *Sacramentorum* inferunt præclari Theologi, Hugo Victorinus p. 9. cap. 3. Dominicus Soto in IV. dist. 1. q. 2. & alii.

8. Objectio notabilis ex Patribus.

Adversus id opponitur, quod nonnulli Patres asserant in lege naturæ per solam fidem tam pueros, quam adultos fuisse justificatos. Scribit enim Tertullianus de Baptismo cap. 13. *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem & resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, & resurrectionem ejus, addita est ampliatio sacramenti, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda.* S. Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 3. *Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem de S. Victore cap. 1. num. 4. *At vero quis nesciat & alia præter baptismum contra originale peccatum antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini ejus circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est; In nationibus verò quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem fide & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imò sufficisse parentum fidem.* S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. *Ante institutionem Circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam & Circumcisione data: sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei.*

9. Respondent imò plures.

Perdifficilibus hisce testimoniis, post Canum Relect. de Sacram. in gen. p. 3. respondent complures, etiam Juenin, Tournely, Frassen, aliique recentiores, affirmari à Patribus olim sufficisse solam fidem exteriori signo manifestatam, absque sacrificio quod necessarium erat pro justificatione adultorum; ac solam fidem justificasse, quoniam signum illud erat egenum infirmumque elementum, nullam ex se interiorem gratiam efficiens. At quomodo fides visibili expressa signo appellari queat *sola, nuda, absque vestimento;* quomodo, si stet hæc responsio, recte scribat S. Thomas ante circumcisionem necessarium non fuisse *signum fidei protestativum*, fateor me nequaquam percipere. Respondendum ergo est, latere prorsus, quale sensibile signum ante Abrahamum ad peccatum originale delendum homines adhibuerint scribente Augustino de peccato Originali cap. XXX. num. 35. *Et ante Abrahamum quidem utrum aliquo corporali, & visibili Sacramento justi, & eorum parvuli signarentur, Scriptura* non

Respondet ipse auctor.

*non exprimit*; & lib. 11. de nuptiis & Concup. cap. x1. num. 24. *Superioribus temporibus omni modo latuit Sacramentum justificationis ex fide.* Deinde affirmo Sacramenta eandem semper rem significasse, quamquam ipsa fuerint *mutabilia & temporalia*, ut S. Pater Augustinus tradit contra Faustum lib. x1x. cap. 16. Quamobrem in quolibet statu ea *Sacramenta* obtinuerunt, quæ ipsimet statui congruebant, ita, ut in lege scripta, latis à Deo ritibus, certisque præceptis, eadem *Sacramenta* determinata essent, & peculiaria religionis *signacula*, at in lege naturæ, cum homines solo interiori instinctu ad Deum colendum moverentur, ex ipsomet Dei instinctu, nulla lege exterius lata, ipsi homines determinabant res sensibiles, quibus in Dei cultu, & ad expianda peccata uterentur: atque hæc est doctrina doct. Angelici 3. p. q. 60. art. 5. ad 3. egregie ex præcitato Augustini testimonio deducta. Quare ubi S. Thomas q. 70. art. 4. ait ante circumcisionem justificasse *solam* Christi fidem absque *signo protestativo*, excludit signum lege determinatum, atque præscriptum, non quod interiori instinctu ducti homines, in fidei sui protestationem adhiberent: nam eo loci fatetur parentes vel preces, vel benedictionem aliquam etiam pro parvulis adhibuisse, sicut adulti pro se ipsis offerebant preces, & sacrificia, atque id fuisse *Quoddam signaculum fidei*. Eodem pacto Tertulliani, Gregorii, ac Bernardi excipienda sunt verba; negant nimirum extitisse ante Circumcisionem fidei *signaculum*, lege definitum: sive affirmant sufficientem fuisse fidem cum aliqua sensibili protestatione.

10. **Signaculum Justitiæ qui fuerit determinatum, & à quo institutum?**

Ex his vero infertur quomodo *signaculum* justitiæ in lege naturæ fuerit, & non fuerit determinatum, quæ erat difficultas secundo loco proposita: erat namque determinatum interiori instinctu protestantium fidem suam ejusdem *signaculi* exhibitione; non erat determinatum præscriptione legis, latoque præcepto. Quod si objicias, igitur *signaculum* illud non erat à Deo institutum, ideoque nec *Sacramentum*; eadem ratione respondeo minime institutum fuisse præscripto legis, fuisse tamen institutum interiori instinctu, quo ad Religionem, cultumque sui eo temporis Deus homines permovebat; idque sufficere ad rationem *Sacramenti* pro statu legis naturæ; quemadmodum ad *Sacramenta* legis scriptæ, vel Evangelicæ, requiritur Divina institutio expressa in tabulis fœderis, librisque, vel traditionibus Apostolicis. Neque tollitur ratio *Sacramenti* essentialis per hoc quod vigente statu naturæ possent pro libitu homines fidem suam protestari *signaculo* isto, vel illo: determinatio enim signi pertinet, ut Suaresius advertit sub finem sect. 3. ad causam extrinsecam, non ad naturam, rationemque *Sacramentorum.* Neque etiam infertur fuisse tunc temporis salutis remedium facilius, quam modò sit; quoniam nunc & in elemento obvio communique positum est, & cum sit à Christo determinatum, omnibus innotescit, & denique ex se efficientiam habet, non ex applicantium dispositione.

11. **Instantia ex Aug.**

At enim opponis: Sententia est Augustini de nat. & grat. cap. v111. num. 9. parvulos, quibus per *Sacramentum* regenerationis non subvenitur, non admitti in regnum cœlorum, *ea damnatione, quæ per universam massam currit:* & de Dono persev. cap. 1x. num. 21. *inscrutabilia esse judicia Dei*, cur ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, *iste assumatur, ille relinquatur*, propterea quod gratia post Adæ lapsum est beneficium indebitum; atque, ut S. Pater ait capite ejusdem lib. x11. num. 28. ostenditur Deus *bonus in beneficio certorum, justus in supplicio cæterorum.* Cur ergo affirmare non possumus parvulos omnes in lege naturæ periisse, cum in iis adinveniretur manifesta causa reprobationis, nimirum originale peccatum?

**Solvitur.**

Ad hæc respondeo, Deum *voluntate antecedenti*, cujus effectus est remedii ad salutem necessarii institutio ac præparatio, velle hominum universorum salutem; quamvis *voluntate sequenti*, cujus effectus est applicatio remedii, regeneratio, & consecutio salutis, velit duntaxat salvos fieri prædestinatos; in quorum numero quinam sint, pertinet ad inscrutabile Dei judicium. Ut ergo in hoc Evangelicæ gratiæ statu institutum pro singulis est *Sacramentum* baptismatis, quod tamen ineffabili Dei judicio ita disponente, non omnibus applicatur; ita in statu legis naturæ voluit adesse ad originalem maculam expiandam commune paratumque remedium, tametsi eodem singuli nequaquam liberarentur. *Sive igitur noviſſima contemplentur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & pie creditur omnes homines ſalvos fieri Deum velle ſemperque voluiſſe: & hoc non aliunde monſtratur, quam de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam univerſis gene-*

*generationibus communiter atque indifferenter impendit . . . . Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, & illam à nemine submovere, ut ex utraque appareat non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in aliis prævaluisse gratiam, in aliis resiluisse naturam,* inquit explicata generali, ac speciali Dei benignitate, Auctor librorum de vocatione Gentium lib. 2. cap. 25.

12. Asseritur 2. etiam pro adultis in statu naturæ Sacramenta extitisse.

Præterea affirmo, etiam pro adultis fuisse in statu naturæ aliqua *Sacramenta.* Et quantum spectat ad sacrificia, consentiunt è Schola omnes semper extitisse; quod probat tum Divina historia commemorans sacrificia Abelis, Cain, Abrahami, Melchisedechi, aliorumque; tum exterior Dei cultus, & forma visibilis religionis, in qua certis *signaculis* homines colligantur. At sacrificia (quidquid censeant nonnulli) nonnisi lata significatione *Sacramenta* appellantur, cum non sint signa invisibilis gratiæ, sed oblationes factæ Deo in signum supremi ejusdem dominii. Ad summum *Sacramentum* fuit sacrificium Melchisedech, ut existimat Suarefius, ac censet probabile Dominicus Soto, negant tamen quamplurimi, tametsi constet fuisse symbolum, ac typum Eucharistiæ ex iis, quæ diximus lib. XXVII. cap. 7. Ratio ergo ex sacrificiis, externoque Dei cultu deprompta non videtur evincere pro statu legis naturæ existentiam *Sacramentorum.* Admittenda sunt tamen, quandoquidem etiam adulti, ac præsertim in eo statu, in quo pœnalis cæcitas grassabatur, essent ad intelligentiam invisibilium signis visibilibus excitandi, quam ob rem dictum supra instituta fuisse *Sacramenta.* Accedit quod actus fidei, & contritionis, neque in statu legis gratiæ semper ad justificationem sufficiunt absque adminiculo *Sacramentorum:* inverisimile est autem majorem tunc habuisse, quam habeant modò, vim, & efficaciam ad peccata expianda.

13. Sed quæ? incertum.

Cæterum quænam fuerint hæc *Sacramenta*, ut supra cum Augustino dictum est, incertum penitus: nec probabilitate caret, nullam aliam habuisse institutionem, præter Divinum instinctum intimè proborum virorum menti inspirantem quo signaculo fidem propriam protestarentur.

Gaspar Juenin, qui de *Sacramentis* edidit eruditum Commentarium, opponit verba Gregorii, ac D. Thomæ producta superius, quibus asserunt in lege naturæ adultos *sola fide* justificatos, nec pro illis aliam *virtutem* extitisse, nisi sacrificium. Eminentissimus Gotti dub. 4. paragrapho 3. Jueninum revincit pluribus D. Thomæ testimoniis, in quibus Angelicus Doctor *Sacramenta* appellat sacrificia, oblationes, & decimas. At doctissimus Cardinalis supponit sacrificia esse vera *Sacramenta*, quod adversarius inficiabitur; cum non sint signa gratiæ, sed nostri erga Deum cultus, ac religionis. Nihil itaque respondendum arbitror, nisi quod supra explicavi, per D. Thomam in statu naturæ sufficisse *solam fidem*, quoniam præscriptum non erat determinatum signaculum, quo homines fidem protestarentur suam, ut sese explicat S. Thomas q. 60. art. 5. ubi ait: *Sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur.* Sane magnus Gregorius ait, etiam parvulis *solam* tunc sufficisse *fidem*, nec tamen Juenin pro iis negat extitisse aliquod *Sacramentum.* De statu autem naturæ disputatum est hactenus.

14. In lege Scripta extitisse aliqua, extra controversiam est.

In lege scripta extitisse *Sacramenta* aliqua, & quidem à Deo instituta, extra controversiam positum est. Fuerunt enim tunc instituti multi ritus, ac ceremoniæ sensibiles, quibus gratia, & animarum sanctificatio præsignabatur: cujusmodi fuerunt Paschalis Agnus, inunctio Levitarum, expiationes ac lustrationes, quæ gratiam per Christum conferendam sub figurarum velamine prænuntiabant; obtinuitque eo temporis Circumcisio, de qua plura sequenti capite. *Sacramenta* quoque vetera commemorat Florentinum Concilium in Decreto Eugenii ad Armenos, & Tridentinum sess. VII. can. 2. ubi agitur de differentia inter *Sacramenta* novæ legis, ac veteris. Juenin, Cardinalis Gotti, aliique agunt hoc in loco de veterum *Sacramentorum* duratione: de qua nos prolixè egimus lib. XX. cap. 10. Nihil difficultatis ingerit, quomodo institui potuerint *Sacramenta*, quæ sunt peccatorum remedia, ante adventum Christi, ejusque passionem: in quantum enim erant futuri Reparatoris signa, debebant præcedere adventum ejus, nec passio Salvatoris erat *Sacramentorum* illorum causa *efficiens*, quæ effectum antecedit suum; sed causa *finalis*, quæ effectum præcedit sola intentione: gratia vero, quam Deus impertiebatur præstolantibus Redemptorem,

rem, non efficiebatur ab ipsis *Sacramentis*, sed illam impertiebatur Deus intuitu meritorum Christi, & passionis ejus futuræ; ideoque antiqui patres ejusdem gratiæ, ac redemptionis complementum tantummodo consecuti sunt, quando Christus advenit, pretium solvit, & omnem gratiam post Adæ prævaricationem collatam hominibus, terrima morte, ac summa personæ suæ dignitate promeruit.

# CAPUT III.

## Agitur de origine Circumcisionis, & quæritur an fuerit Sacramentum divinitus institutum ad delendum originale peccatum?

## *SUMMARIUM.*

1. Circumcisionis origo variè narratur.
2. Scholastici abeunt in diversas sententias.
3. Quorsum tendat hæc diversitas.
4. 5. 6. 7. & 8. Abraham omnium primus fuit circumcisus.
9. Circumcisio est signum distinctivum seminis Abrahæ à gentibus.
10. Cohærere tamen videtur cum signo delelivo peccati originalis.
11. Circumcisio fuit etiam signum commemorativum fœderis.
12. Commonens, & cohibitivum voluptatum carnis.
13. Insuper & prænuntiativum baptismi, & immortalitatis.
14. Corollarium.
15. Usque ad 20. Probatur, S. Augustinum non fuisse primum, qui docuit, circumcisionem fuisse institutam ad delendum peccatum originale.
20. & 21. Probatur ex S. Augustino, circumcisionem fuisse institutam ad delendum originale peccatum.
22. 23. 24. Solvuntur objectiones.
25. Augustini sententiam meritò propugnârunt Patres Augustinô posteriores.
26. Responsio Tournely non auffert argumento Augustini vim.
27. Hinc jure S. Augustini sententiam amplexi sunt illustriores scholastici.

1. Circumcisionis origo variè narratur.

SUNT, qui negant circumcisionem primùm à Deo institutam, atque ab Abrahamo originem habere suam. Sanchuniathon in Theologia Phœnicum apud Eusebium Præp. Evang. lib. 1. pag. edit. Vigeri 38. ait Saturnum omnium primum sibi, & commilitonibus suis pudenda circumcidisse. Herodotus lib. 2. cap. 36. & 104. & Diodorus Siculus lib. 1. pag. 17. tradunt circumcidendi ritum ab Ægyptiis primitus institutum, inde verò ad Colchos, Arabes, Judæosque derivatum. Idem arbitratus est Celsus, qui Origeni objecit circumcisionem Judæos mutuatos fuisse ab Ægyptiis, ut scribit idem Origenes lib. adversus Celsum primo pag. 17. edit. Cantabrig. Amplexatus est sententiam eandem in Canone Chronico p. 73. Joannes Marshamus Anglus. Abrahamum primum omnium circumcisum fuisse communis opinio est; eamque adversus Herodotum propugnat cum cæteris Judæis Josèph Historicus lib. VIII. Antiq. cap. 10. num. 3. ac libro 1. contra Apionem num. 22. Origenes cit. loco, Eusebius Præp. Evang. lib. VII. pag. 309. Patres paulo post laudandi, Interpretes omnes Catholici, ac Protestantes. Singillatim verò de hoc argumento pertractant Salianus ad annum M. 2179. num. 8. & 2138. num. 20. Natalis Alex. diss. 6. in 3. M. ætatem, Augustinus Calmet diss. 1. pag. 17. Honoratus à S. Maria Tom. 2. lib. 3. dis. 3. & in Opere de Festis D. N. J. Christi edito eodem anno, quo ad summum Ecclesiæ regimen divinitus evectus est, Prosper Cardinalis Lambertini, nunc BENEDICTUS XIV. Addo Richardum Montacutium Originum Ecclesiasticarum P. prima n. 49. & 50. & Abrahamum Scultetum lib. 1. Exercit. Evangel. cap. 13. Problematicè hac de re disputat Joannes Spencerus de legibus Hebræorum lib. 1. cap. 3. sect. 4.

2. Scholastici hîc aliquid supponunt, & in duas abeunt sententias.

E Schola Theologi nulla de Circumcisionis institutione, & origine permoti difficultate, ac supponentes primum mortalium omnium circumcisum Abrahamum jubente Domino, inquirunt an circumcisio instituta fuerit tanquam signum secernendi hebraicum populum à nationibus cæteris, num vero tanquam gratiæ symbolum, vel *Sacramentum* ad delendam maculam originarii reatus. Propugnant priorem sententiam, ac tenent circumcisionem nequaquam institutam ad peccatum originale delendum, Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in Gen. cap. 17. Vasquez 12. disput. 184. cap. 3. & ne antiquiores recenseam, L'Herminier de Peccato Originali, & de Sacram. in gen. Tournely q. 111. de Sa-

Sacrament. art. 3. Natalis Alex. in Hist. vet. Test. tom. 1. pag. 163. Angelus Maria Canali lib. 2. de Sacram. q. 1. Institutam tamen circumcisionem in remedium originalis peccati propugnat S. Thomas 3. p. q. 38. art. 3. ad 3. & q. 70. art. 4. & cum illustri discipulorum ejus caterva Gonet Tom. v. disp. 5. & Cardinalis Gotti q. 4. de effic. Sacramen. dub. 5. §. 3. Subscribunt huic sententiæ cum Scholæ suæ principe Mastrius disp. 1. q. 2. art. 3. Brancatus disp. 5. art. 1. Frassen disput. Proem. q. 4. & cum nostri Ordinis universis Theologis, Estius in IV. dist. 1. §. 29. Du-Hamelius de Baptismo cap. ult. Juenin de Baptismo q. 1. & memoratus BENEDICTUS XIV. qui singulis opinionibus recitatis num. XII. doctrinam divi Thomæ tandem amplectitur.

3. Quò spectet diversitas sententiarum? Tanta nihilominus sententiarum diversitas videtur potius spectare ad efficaciam gratiæ, quàm ad institutionem, & necessitatem circumcisionis: nam qui negant fuisse circumcisionem institutam ad delendum peccatum, fatentur tamen fuisse *Sacramentum*, quatenus circumcisione ipsa, tanquam signo, filii Abraham protestabantur fidem suam in venturum Reparatorem, atque ita non vi circumcisionis, sed fidei justificabantur. Qui autem tenent circumcisionem fuisse originalis culpæ remedium, non eodem tramite incedunt, sed quidam contendunt contulisse gratiam *ex opere operato*, alii id negant. Quare nonnulli utramque sententiam ad concordiam revocare student, asserentes circumcisionem quidem ex se institutam non esse in peccati medelam, sed ad filios Abrahæ à gentibus exteris secernendos, parentes autem illam in parvulis adhibuisse, ut olim in statu legis naturæ signum quodlibet fidei protestativum; in quam sententiam descendit tandem Suaresius disp. v. sect. 1. in q. 61. tertiæ partis, & Cardinalis de Lugo disput. v. de Sacram. in gen. sect. 3. Nos ergo investigabimus hoc in loco, num revera Circumcisio in remedium originalis peccati sit instituta; an vero istud deleret suamet efficacia, erit postmodum disquirendum.

4. Propositio I. Abraham omnium primò circumcisus. PROPOSITIO I. Abrahamum omnium primum circumcisum, certa argumenta commonstrant.

Prob. 1. ex S. Scrip. Ac primum argumentum promitur ex Scripturis: nam Genes. XVII. 7. Deus Abrahamo circumcisionem præcepit in signum fœderis, dicens, *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Circumcisio itaque signum erat à Deo institutum, quo in Abrahami semine Divinum fœdus dignoscereturr. Respondet autem Spencerus pag. 77. circumcisionem quidem, quatenus fœderis Divini signum, à Deo habuisse principium; at non quatenus est stigma corporeum, medium fæcunditatis, aut morbi antidotum. Sed facillimè responsio hæc refutatur; cum enim signum fœderis secernat fœderatos ab aliis, ac sit signaculum religionis, quo in unum nomen plurimi coadunantur; si Deus pro signo fœderis instituisset *signaculum*, quod alii vel ad puritatis speciem, vel ad sanitatem ferebant in corpore, nec filii Abraham Deo fœderati visibili signo secreti fuissent à gentibus, neque religio in familia Abrahami persistens sensibili *Sacramento* ab idololatrarum cœtu fuisset distincta. Præterea idem Spencerus non aliam discriminis animalium ciborumque causam in veteri lege agnoscit, nisi remedium idololatriæ; quod pariter affirmat de Sacrorum victimis, certisque locis, atque temporibus, demonstrans, quomodo iis omnibus Dei populus à superstitione arceretur, diversas adhibens ceremonias, diversamque vitæ rationem. Videatur Spencri de legibus Hebræorum ritualibus liber 1. cap. 5. & 6. Cur ergo pari ratione non existimat in obsignanda Abrahami progenie aliam tesseram à Deo institutam ab ea, qua etiam superstitiosi uterentur? Ad hæc idem Spencerus de Circumcisione sect. 6. contendit hanc plurimum valuisse ad idololatriam coercendam, cum Judæi etiam antiqui ad Gentilium partes transeuntes omni arte studerent præputia reducere, & abolere circumcisionis vestigia; nec matrimonia cum alienigenis inirent, quod nefas esset commisceri cum incircumcisis populum Dei hoc peculiari charactere signatum: atque id à prisca ætate, ut colligitur ex rebus gestis à filiis Jacob cum Sichimitis, de quibus legendum est caput tricesimum quartum Geneseos. Insuper non tantum Philisthiim in sacris literis appellantur *incircumcisi*, ut visum Montacutio pag. 57. verum etiam ethnici fermè omnes: cum Exodi XII. præcipiatur circumcidendos servos emptitios, advenas, & mercenarios, necnon peregrinos omnes, qui in Hebræorum coloniam ad celebrandum Phase Domini transire vellent, quod præcepit Dominus, quando exierunt filii Israel de Ægypto: & Jeremias cap. IX. 26. ita loqua-

loquatur, *Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.* Et quamquam nonnulli ethnici, ut innuit ibidem Propheta, ex Abrahami posteris derivati, & etiam Ægyptii, inter quos Hebræi diu commorati fuerant, præputium postea circumciderint, id nullatenus agere potuerunt ante Abrahamum, cui circumcisio præscripta fuit in signum, quo secerneretur à gentibus. Adhæc cum jam Abraham cum Sarai uxore sua, longe ante initum cum Deo fœdus, in Ægyptum descendisset, Genes. XII. 10. vero nequaquam est simile, accepisse in fœderis signum id, quod noverat à superstitiosissima gente usurpari. Insuper cum præcepisset Deus, ut circumciderentur Israelitæ nati in deserto, Josue v. 9. ait: *Hodie abstuli à vobis opprobrium Ægypti.* Circumcisione itaque præstitit Deus, ne ulterius haberentur tanquam Ægyptiorum mancipia, ne viderentur nati in domo servitutis, ne fœderis cum Abrahamo initi essent expertes; sed obliteratâ cum præcisione præputii Ægyptiacæ nationis maculâ dignoscerentur filiii Abraham, & terræ promissionis hæredes: quod ob parentum suorum incredulitatem nondum fuerant consecuti. At circumcisio non fuisset filiorum Abrahæ signaculum, pristinæ captivitatis solutio, & ablatio opprobrii Ægyptiorum, si & hi, atque inter eos commorantes captivi circumcidissent præputia. Me non latet respondere Marshamum, dictum à Domino, *Abstuli opprobrium Ægypti à vobis*, quoniam tam Ægyptiis, quam Judæis opprobrio erant incircumcisi. Sed fallitur. Primò enim eo loci refertur Hebræos per quadraginta annos non fuisse circumcisos, *donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus antea juraverat ut non ostenderet eis terram lacte, & melle manantem.* Per circumcisionem ergo probrum istud, id est, Ægyptiacæ servituris tessera, ablatum est, signatis iterum filiis Abraham, & ab impiorum cœtu segregatis. Deinde phrasi hebraica, מִצְרַיִם חֶרְפַּת, *opprobrium Ægypti*, significat id, quod, cum sit in consuetudine apud Ægyptios, ab Judæis usurpatum est illis nota probri atque dedecoris; ut constat ex libro Exodi VIII. 26. ubi pecudes, quas Ægyptii colunt tanquam numina, hebræi autem mactant & immolant, appellantur תּוֹעֲבַת מִצְרַיִם, *abominationes Aegyptiorum.* Præputium ergo dictum est *opprobrium Ægypti*, non quod incircumcisi Ægyptiis probro essent, sed quoniam esse incircumcisum, ut erant Ægyptii tunc temporis, opprobrium erat in filiis Israel. Vide Genesis XXXIV. 14.

§. Probatur 2. ex profanorum scriptorum, & Patrum auctoritate.

Alterum argumentum petitur ex profanorum Scriptorum, ac Patrum auctoritate. Ac primo Josephus lib. VIII. Antiq. cap. 10. num. 3. Herodotum refellit scribentem Phœnices, & Syros, qui sunt in Palæstina, didicisse ab Ægyptiis circumcisionem virilium, affirmatque tanquam rem omnibus compertam, nullos alios in Palæstina circumcidi, nisi Judæos: *Cæterum*, inquit, *constat quod nulli alii circumcidantur in Palæstina Syri, præterquam nos. Sed de his singuli ita loquantur, prout ipsis visum fuerit.* Libro autem primo cap. X. num. 5. ait, præcepisse Deum Abrahamo, ut pudenda circumcideret, *quod nollet genus ipsius cum aliis commisceri.* Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. edit. Sonnii 236. *Abraham*, inquit, *primus circumcisionem carnis accepit.* Origenes in 1. contra Celsum p. 17. ait: *Post hæc circumcisionem pudendorum non reprehendens Celsus Judæis usitatam, ait eam mutuatos ab Ægyptiis, malens Ægyptiis credere, quam Moysi, qui refert primum mortalium circumcisum Abrahamum.* Joannes Chrysost. Hom. XXXIX. in Gen. pag. 566. scribit Abrahamum ejusque natos jubente Deo circumcisos, *ne gentibus se commiscerent in Ægypto, ut esset assignatus & sibi segregatus populus, ut Patriarchæ semen impermixtum maneret.* Idem affirmant Patres alii, inferius laudandi, ubi de causis institutæ Circumcisionis disputabo. Si ergo apud Ægyptios extitisset circumcisionis consuetudo; quo pacto fuisset illa repagulum ne Israelitæ iisdem Ægyptiis commiscerentur? quomodo ipsius circumcisionis notâ Dei populus permansisset segregatus à gentibus? qua ratione semen Abrahami servatum esset impermixtum? Futilis est responsio Spenceri pag. 78. non eo præcipue consilio institutam circumcisionem, ut filii Abraham segregarentur à gentibus, tunc enim distinctionis notam Judæi gestassent in fronte, aut in alia visibili parte corporis, non in ea, quam insitus pudor jubet esse velandam. Addit modum, tempus, & ritus latum discrimen inducere inter circumcisionem Judaicam, & Ægyptiam, scribente Origene non eandem esse Judæis, quæ Colchis, aut Ægyptiis, circumcisionis causam, ac proinde nec eandem circumcisionem:

*Pro-*

*Propositum enim, & lex, & voluntas circumcisi facit, ut sit aliud negotium.* Ita contra Celsum lib. 5. p. 263. At Spencerus absque labore ullo revincitur. Cur enim circumcisio facta fuerit in occulta corporis parte, ostendit Doctor præstantissimus Augustinus serm. 160. num. 6. dicens: *Signum veteris Testamenti circumcisio in latenti carne. Signum novi Testamenti crux in libera fronte. Ibi enim occultatio est, hic revelatio: illud est sub velamine, hoc in facie:* & lib. xxv. adversus Faustum, cap. 2. *Isti autem,* (Abrahamo) *signum in parte corporis congrua divinitus datum, quo carnis exspoliatio figurata est.* Quod vero ex Origene Spencerus affert, non alio auctore, quam Spencero ipso, retundam. Demonstravit enim sect. 2. præcedenti, circumcisionem non solum fuisse *signum distinctivum*, quo populus Israel discerneretur à reliquis mundi gentibus, verum etiam *signum religionis initiativum*, quo homines Judaicæ stirpis profitebantur se unius summi Numinis cultui, non gentium superstitionibus, esse devotos. Ubi ergo ait Origenes Colchorum, aut Ægyptiorum circumcisionem ex proposito, lege, & voluntate circumcisi discrepare à Judaica, spectat circumcisionem, ut signum religionis initiativum; non ut distinctivum Judaici populi, sive, ut idem Origenes inquit, *circumcisorum dogmata*, non impressum in pudendis *signaculum*: exemplumque profert similis sacrificii, quod non eidem à diversæ religionis sacrificantibus immolatur, & nominis *justitiæ*, quod aliam apud Epicurum rationem habet, aliam apud Stoicos, aliam apud Platonicos. Igitur si Spencerus fatetur circumcisionem Judaicam inter filios Abraham, & Ægyptios posuisse discrimen, non tantum religionis, & dogmatis, quantum nationis ac seminis; concedat necessum est, Ægyptios olim non habuisse in carne *signaculum* Judæorum, quemadmodum in religione non profitebantur illorum *dogmata*. Accedit quod Origenes ibidem ait fortasse Colchos, & Ægyptios juxta Hebræorum consuetudinem postea circumcisos, *propter aliquem infestum Judæorum genti angelum, qui posset non circumcisos lædere, circumcisos non item: quod colligi potest ex libro Exodi, ubi angelus ante circumcisionem Eliazari contra Moysem valuit: quo circumciso irrita facta est illius potentia.*

6. Probatur 3. refutando errorem Herodoti & Diodori.

Argumentum tertium erit demonstratio erroris, in quem Herodotus, & Diodorus Siculus impegerunt: nam horum testimonio innititur Joan. Marshamus. Herodotus itaque lib. 2. cap. 36. pag. 103. scribit: *Virilia alii talia relinquunt qualia natura sunt, præter eos qui ab istis didicerunt: Ægyptii circumcidunt.* Et cap. 104. pag. 127. *Soli omnium hominum Colchi & Ægyptii, & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices & Syrii, qui sunt in Palæstina, didicisse id ab Ægytiis & ipsi confitentur.* Diodorus vero lib. 1. pag. 17. de Colchis, Syrisque ait, *per antiquam traditionem in usu his gentibus esse, ut pueros apud se natos ritu ab Ægyptiis derivato circumcidant.* Verum facillime revincuntur falsitatis. Primo namque æquum est, ut Moysi magis, quam Herodoto fidem præbeamus, cum is floruerit temporibus Darii Hystaspidis, & Xersis circa annum mundi 3500. jam nota Thucydide, qui illum in Olympiis historias suas recitantem audiens fertur lacrymas profudisse. Deinde Artapanus apud Eusebium lib. IX. Præp. Evang. cap. 27. pag. 433. testatur *Æthiopes, tametsi hostes, tam propenso tamen in Moysem animo fuisse, ut ipsius quoque Circumcisionis ab eo ritum acciperent:* ideoque nec ab initio circumcisi sunt, neque id moris accepere ab Ægyptiis, ut Herodotus comminiscitur. Præterea non caret probabilitate, Ægyptiorum complures circumcidisse pudenda, non antiquo gentis instituto, sed timore angeli, quem circumcisis audierant infestum, prout ex Origene paulo supra laudato conjiciunt præclari viri Alexander Natalis, & Calmet. Ad hæc Diodorus ait accepisse Circumcisionem ab Ægyptiis etiam Troglodytas, lib. III. pag. 115. quo loco utitur quoque Marshamus, ut originem Circumcisionis vindicet Ægyptiis. Atqui Troglodytæ non aliunde circumcidendi ritum habuere, quam à nepotibus Abrahæ: cum enim ipse Diodorus ibidem scribat Troglodytas esse, *quos Græci Nomades vocant*, Arabes scilicet, & incolentes Maris rubri vicinias; quemadmodum Marshamus negare non audebit in Troglodytarum, Arabumque regiones à filiis, ac nepotibus Abrahami deductas fuisse colonias; ita fateri debet non ab Ægyptiis, sed à posteris Abrahami Troglodytas, Arabes, cæterasque nationes circumcisionem accepisse. Atque id ex eo confirmatur, quod Arabes non octavo die pueros circumcidunt, sed tertio decimo ætatis anno: *nam Ismaelus princeps eorum gentis, Abramo è concubina natus, ea ætate est circumcisus,* inquit Joseph Flavius lib. I. antiq.

antiq. cap. XII. num. 2. & Origenes cap. 23. Philocaliæ pag. 77. cohærenter ad Gen. XXII. 25. Insuper Philisthiim incircumcisos fuisse constat ex Judicum XIV. 3. & ex 1. Regum XIV. 6. Originem autem Philisthiim trahunt è Chasluim filiis Mizraim, ideoque ex Ægyptiis, ex Genes. X. 4. Si ergo Ægyptii antiquitus circumcidebantur, cur non circumcisi Philisthiim, ex Chasluim trahentes genus suum? Mitto quod Bochartus lib. IV. *Phaleg*, & Natalis Alex. asserunt Chasluim esse Colchos; ex quo sequeretur in hoc quoque mentiri Herodotum & Diodorum, quod scripserint Colchos ab initio, & antiqua traditione circumcisos: de origine enim Colchorum non idem sentiunt eruditi omnes. Insuper apud Ægyptios non universi sese stata lege subjecere circumcisioni, sed Sacerdotes duntaxat: alii verò tam viri, quam mulieres nonnisi pro libitu, & causa abscindendæ cutis turpiter excrescentis, annis quoque pubertatis exactis, & juxta Ambrosium lib. 2. de Abraham, cap. XI. num. 78. anno quartodecimo ætatis suæ. Refert enim S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. edit. Morelli 302. Pythagoram idcirco fuisse circumcisum, *ut adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret Philosophiam*; unde apparet apud Ægyptios præscripto legis circumcisos solum initiandos, & sacrorum ritibus imbuendos. Hinc ortam consuetudinem illam, quod scirent Deum familiarius, quam nationibus reliquis, sapientiam suam patefacere circumcisis, ut viderant, aut à majoribus acceperant, contigisse in Abrahamo, Moyse, & Joseph, probat ex Origene in Epistolam ad Romanos, in Conjectaneis de Dodone cap. 6. Triglandius. Ad hæc S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 2. inter causas institutæ circumcisionis affert *fugillationem sacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur.* Et quidem ipse Diodorus Siculus lib. 1. pag. 12. scribit à Typhone in 26. frustra Osiride dilancinato, Isidem, cum non posset pudenda illius invenire, effictam virilium Osiridis effigiem in templis adorandam locasse, unde ad Græcos primum, deinde ad gentes alias, Phallorum, Orgiorumque sacra turpissima pervenerunt. In carne ergo præputii mutilanda admonuit Deus detestandam impurissimam Ægyptiorum superstitionem, præcisis in Dei populo iis corporis membris, quæ Ægyptii in memoriam Osiridis venerabantur, & quæ idolorum Mystæ in suis initiationibus præcidebant. Coluerunt quoque Ægyptii Cynocephalum, sive animal *Canicipite*, de quo S. Pater Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 14. & lib VI. cap. 12. & Tertull. Apolog. cap. 6. quod cum fuerit Osiridis simulacrum, commenti sunt quidam esse animal, quod prodit ex materno utero circumcisum; ideoque Sacerdotes Ægyptii ad honestatem quamdam, & similitudinem profani numinis affectandam, veretra sibi circumcidere. Cum igitur soli sacris mysteriis initiati apud Ægyptios circumcisione uterentur, mares reliqui, ac fœminæ neque omnes, neque cogente lege, neque die post nativitatem octava, decepti sunt Herodotus, & Diodorus, qui asseruerunt Judæos, cæterosque Palæstinos, pueros apud se natos circumcidere, *ritu ab Ægyptiis derivato.*

7. Probatur 4. & ultimò.

Postremum argumentum sit, quod licet post Abrahami tempora gentes plurimæ adhibuerint circumcisionem, ut colligitur ex Jeremiæ IX. 26. eæ tantum ab initio præputia secuerunt, quæ ex Abrahamo per Ismaelem, & Ceturæ filios derivarunt, ut Idumæi, ita dicti ab Esavo, quem etiam Edom appellarunt, vel *rufum*, & eorum pars Homoritæ, quos circumcisos scribit h. XXX. 30. Epiphanius: Ismaelitæ ab Ismaele filio Agar, atque posterioribus temporibus illinc exorti Turcæ, & Saraceni, de quibus produximus illustrem locum Josephi: Æthiopes, & Afrorum permulti, quos è Cethuræ filiis progenitos probant Alexandri Polystoris testimonio Josephus lib. 1. Antiq. cap. 16. nunc 15. pag. 44. & Eusebius Præp. Evang. lib. IX. cap. 20. pag. 422. Colchi etiam (si damus Herodoto ab initio circumcisos) sunt ex decem tribubus, quas transtulit Salmanasar, ut Grotius ait in Annot. ad lib. 1. de Verit. Rel. Christ. num. 68. & si cum Bocharto asserantur Chasluim, uti Philisthiim, dictum supra non circumcisos. Æthiopes ex Cethuræ posteris natos evincit Grotius ibid. num. 75. Quotquot ergo mortalium recepere circumcisionem, vel sunt ex Abrahami posteritate, vel ab hac edocti leges, & instituta, pro libidine tamen & veritate religionum à prisco ritu immutata. Ægyptiis circumcisionem tradidisse Æthiopes, ipse Herodotus in Euterpe cap. 104. pag. 127. negare non audet, sed ait: *Ægyptii verò atque Æthiopes, non queo dicere utri ab utris didicerint.* At in Ægypto commoratos olim patriarchas, quod Herodotus ignoravit, satis constat.

Moysi

Moysi Aegyptios referre acceptas artes complures, ipsiusque philosophiæ inventionem, atque illum dicere Orphei magistrum, divinumque Mercurium, tradit ex Artapano lib. IX. Præp. cap. 27. pag. 432. eruditissimus Cæsariensis. Si apud Americanos, & novi orbis incolas circumcisio, ut ferunt, inolevit; illuc potuisse appellere Abrahami posteros, diximus disputantes adversus Præadamitas lib. XII. cap. 1. Eo quoque profectas naves Salomonis haud improbabiliter scribit in Tabulis sacris Geographicis Augustinensis Lubinus, affirmans regionem Tharsis, de qua legimus in Ps. XLVIII. 8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, esse regnum Peruvianum; in quo & magna invenitur auri, argentique copia, quam fuisse in *Tharsi* ait Jeremias x. 9. & furunt certis annorum spatiis venti adeo vehementes, ut naves etiam in portubus conterant ac disperdant.

8. Corollarium. Circumcisionis Origo refunditur in Abrahamum ex quacunque causa.

Circumcisionem itaque adhibuit primus omnium Abrahamus, eamque ab ejus posteris acceperunt gentes reliquæ; quamvis illam non religionis causa, neque urgente præcepto usurpaverint, sed vel ad evitandum morbi genus, quod ἄνθρακα, aut *carbunculum* vocitant, & quod excruciat solos incircumcisos; vel ad profanam quamdam sacerdotum initiationem, vel ob fæcunditatem, corporeamque munditiem; cum apud Judæos universos tanta religione servata sit, ut illos ad contemptum Gentes semper *Verpos*, *Apellasque* appellarint, & ipsi vicissim homines cæteros, *incircumcisos*. Postremò adeò Judæorum propria est circumcisio, ut veterum Imperatorum legibus eis tantum fuerit permissa, interdicta autem cæteris omnibus, etiam Samaritanis, ut 2. lib. contra Celsum pag. 68. scribit Origenes, confirmatque ex Modestino J. Consulto in suis ad Epiphanium animadversionibus pag. 400. vir literatissimus Dionysius Petavius. Atque hæc adversus Marshamum de origine Circumcisionis; quam à Deo præscriptam Abrahamo narrat historia Geneseos, & apud Eusebium lib. IX. Præp. Evang. cap. 22. pag. 428. Theodotus poeta Phœnicius hisce versibus à Vigero latine redditis:

*Qui magnum patriis Abrahamum eduxit ab oris,*
*Cælitus hunc tota justit cum stirpe recurvo*
*Glande sub extrema, præputia demere ferro:*
*Paruit, atque Dei verbis immotus inhæsit.*

9. Propositio 2. Circumcisio signum distinctivum seminis Abrahæ à gentibus.

Probatur ex profanis & Ecclesiasticis.

Propositio II. Negari non potest, quin circumcisio fuerit data in signum distinctivum seminis Abrahæ à reliquis mundi gentibus.

Id & profani Scriptores, & Ecclesiastici Patres unanimi consensu asserunt. Josephus lib. I. Antiq. cap. X. num. 5. *Præcepit*, inquit, Deus Abramo, *quod nollet genus ipsius cum aliis commisceri, ut pudenda circumciderent, idque octavo die à nativitate.* Tacitus lib. V. Histor. paulo post initium de Judæis scribit: *Circumcidere genitalia instituêre, ut diversitate noscantur.* Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 234. ait: *Nam circumcisio, quam ab Abrahamo accepistis secundum carnem, in signum notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus, & à nobis discreti. Non enim alia nota est, per quam præ cæteris mortalibus agnoscimini, quam ista in carne vestra circumcisio.* Irenæus lib. III. adv. Hæres. cap. 12. num. 11. pag. 198. inquit, *Semen Abrahæ servatum manifeste per circumcisionem:* & lib. IV. cap. 16. num. 1. pag. 246. *Quoniam autem & circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa scriptura discimus.* Tertullianus in 3. contra Judæos ad hunc modum de Abrahamo loquitur: *Acceperat enim circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam.* Joannes Chrysostomus Hom. XXXIX. in Gen. pag. 566. de causa institutæ Circumcisionis ait: *Hoc injunxit, non alterius cujuspiam gratia, quam ut esset assignatus, sibique segregatus populus:* & infra, *Vide sapientiam Domini, quomodo cum sciret imperfectas, & parvas eorum mentes futuras, signum circumcisionis quasi frænum quoddam imposuit, ad indomitos eorum impetus cohibendos.* Addit Chrysostomus, *ut sua gente contenti essent, & patriarchæ semen impermixtum maneret, ut sic & promissa in eis compleri possent.* Ambrosius Epist. 74. num. 4. pag. 1081. Tom. 2. & lib. II. de Abraham cap. XI. num. 70. Tom. I. pag. 347. appellat Circumcisionem *signum carnis sensibile.* Hieronymus lib. I. in Epist. ad Galatas, pag. 252. Tom. IV. ita eloquenter, ac more suo, *Quia enim ex semine ejus erat Christus oriundus, in quo universarum gentium fuerat benedictio repromissa; & ab Abraham usque ad Christum multa erant sæcula transitura, providens Deus ne soboles dilecti Abrahæ*

*cæteris nationibus miscerentur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit: ut viventes inter Aegyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Chaldæos, hoc signaculo distinguerentur.*

10. Signum distinctivum seminis cum deletivo originalis peccati cohærere videtur.

Collegimus accuratè hæc testimonia, quoniam ex his Scholasticorum plures putant evidentissime demonstrari, circumcisionem in signum distinctivum seminis, non ad delendum originale peccatum fuisse institutam. Cujus sane consecutionis vim non percipio; cum enim Sacramenta, quæ gratiam aut significant, aut conferunt, sint etiam signacula religionis, & Ecclesiam ab infidelium cœtu sejungant; quid prohibet, ne asseramus idem signum sensibile segregasse ab idololatris progeniem Abrahami Deo vero devotam, ac simul gratiam aut suamet efficacia, aut virtute fidei, notatis ipso visibili signo contulisse? Quare S. Thomas cit. art. 5. q. CII. 1. 2. scribens Abrahamum accepisse circumcisionem, quoniam omnium primus exiens de domo sua *se ab infidelibus separavit*, docet, etiam institutam ad concupiscentiam frœnandam, & in signum ablationis culpæ & pœnæ, *quæ in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis derivat-* Atque hæc est Augustini sententia post eam, quæ modò consequitur, propositionem, ad trutinam revocanda.

11. Propositio 3. Circumcisio non fuit duntaxat signum distinctivum &c. Sed etiam *commemorativum* fœderis &c.

Propositio III. Alucinantur, qui censent circumcisionem duntaxat ad secernendum semen Abrahæ ab aliis gentibus fuisse institutam.

Enimvero negari in primis non potest, quin circumcisio fuerit *signum* commemorativum *fœderis* initi Deum inter, ac semen Abrahæ, *& signaculum justitiæ fidei, quam habuit in præputio:* cujus fidei gratia, *credens in spem, contra spem*, futurus erat pater multarum gentium, effœta quamvis ætate, & vetulæ uxoris maritus; ideoque circumcisam progeniem Abrahæ ad hanc fidem excitandam, ad se devovendam cultui supremi Numinis, & ad promerendam paternam benedictionem. Sat est ad hoc percipiendum, in cap. XVII. Genesis, & in IV. Paulinæ ad Romanos Epistolæ oculos conjicere. Hinc per circumcisionem ita in unum populum Israelitæ coalescebant, ut simul religioni se manciparent, ac fidem protestarentur, eratque proinde præputii mutilatio non tam signum politicum, quam religiosum. Hinc Joseph Flavius in vita sua Tom. 2. num. 23. pag. 11. narrat, cum Judæi vellent per vim Trachonitas quosdam circumcidere, id se noluisse, *quod hominem quemque oportet ex animi sui voluntate Deum colere.* Erat ergo circumcumcisio signaculum commemorativum fœderis, protestativum fidei, initiativum religionis. In hoc verò nulla esse potest, ut arbitror, difficultas.

12. *Commonens* & cohibitivum voluptatum carnis.

Præterea circumcisio erat signum commonens, ut carnis voluptates frœnentur, idcirco in illa parte corporis impressum, quæ vehemenius titillat, ut inquiunt citatis in locis Augustinus, & Thomas. Vidit id etiam Judæorum disertissimus Philo scribens de Circumcisione pag. edit. Antuerp. 557. inter alias marem circumcidendi causas esse *excisionem voluptatum, quæ mentem fascinant. Quoniam inter omnium voluptatum illecebras principatum tenet viri congressus cum muliere, instrumentum ejus legislatores mutilari jusserunt, innuendo resecandas voluptates superfluas, non unius tantum hujus generis, sed omnes per unam subindicantes.* Hinc est, quod consueta divinarum Scripturarum phrasi, *circumcisio* dicitur etiam turpium voluptatum cohibitio, Deut. x. 16. xxx. 6. Jerem. IV. 4. ad Rom. II. 29. Videatur Cyprianus lib. I. Testimon. adversus Judæos cap. VIII. pag. 536. Rectè itaque Augustinus Tract. xxx. in Joan. num. 5. *Significat ergo ista circumcisio exspoliationem à corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est, & in eo membro jussa fieri: quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium.* Similia docet S. Pater lib. II. de nupt. & Conc. cap. XI. num. 24. & lib. XVI. contra Faustum cap. 29.

13. *Prænuntiativum* Baptismi, & Immortalitatis.

Ad hæc circumcisionem fuisse signum baptismatis, regenerationis, & etiam immortalitatis prænuntiativum, non uno in loco demonstrat sapientissimus Augustinus. Nam adversus Julianum lib. VI. cap. 7. num. 18. id asserit, & ex verbis Pauli ad Colossenses II. 10. ita commonstrat: *Sacramentum circumcisionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris literis eruditus ignoret; cum apertissime de Christo dicat Apostolus, Qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo etiam circumcisi estis circumcisione non manufacta, in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum*

*illum à mortuis, & vos cum essetis mortui in delictis, & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo, donans nobis omnia delicta? Hujus ergo circumcisionis non manufactæ, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa circumcisio manufacta, quæ data est Abrahæ.* Brevi lib. 2. de Anima, & ejus origine cap. 11. num. 15. *Circumcisio quippe fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis baptismum.* Sententiam hanc non esse Augustini peculiarem, sed Patribus communem, facili ratione demonstrabo. Justinus enim pag. 260. cum Tryphone disputans inquit: *Porro præceptum circumcisionis octava die omnino circumcidere jubens infantes natos, nota erat veræ circumcisionis, qua circumcisi sumus ab errore & pravitate, per eum qui à mortuis resurrexit una sabbatorum die JEsum Christum Dominum nostrum.* Auctor Quæst. ad Orthodoxus inter Justini opera pag. 458. q. 102. *Circumcidimur,* inquit, *& nos circumcisione Christi per baptismum, exuentes Adamum, per quem peccatores facti mortui eramus, & induentes Christum, per quem justificati resurreximus à mortuis. In quo,* ait *Apostolus, circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus vestrum.* Irenæus lib. IV. adversus hæres. cap. 16. aliàs 30. num. 1. ait: *In signo ergo data sunt hæc: non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur; sed secundum carnem circumcisio circumcisionem significabat spiritalem. Etenim nos,* ait *Apostolus, circumcisi sumus circumcisione non manufacta.* Auctor opusculi de Sabbato & Circumcis. quod circumfertur sub Athanasii nomine, 2. p. Tom. 2. pag. 58. ait: *Ideo enim octavo die circumcidi lex jussit, & mandatum erat nunquam violandum, quo significabatur post septimam diem omnium fore regenerationem. Nihil enim aliud circumcisio indicabat, quam nostram nos exuere nativitatem:* & productis Apostoli verbis ad Colossenses addit: *Nam exspoliationis per baptismum figura erat circumcisio, quam in illis membris fieri præcepit, quibus corpus generatur; ut qui circumcidebantur, adverterent illud esse exuendæ vetustatis signum. Abraham enim cum credidisset, accepit circumcisionem, quæ signum erat regenerationis per baptismum.* Cyprianus Martyr Epist. 59. ad Fidum pag. 212. *Nam quod in carnali circumcisione,* inquit, *octavus dies observabatur, sacrameutum in umbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies, id est, post sabbatum primus dies, futurus erat quo Dominus resurgeret, & nos vivificaret, & circumcisionem nobis spiritalem daret, hic dies octavus, id est, post sabbatum primus & Dominicus præcessit in imagine.* Loquitur eodem prorsus modo Auctor de Cardinalib. operibus Christi in Appendice Operum Cypriani pag. 75. Ambrosius denique lib. 2. de Abraham cap. XI. num. 79. scribit, in circumcisis *altiori interpretatione illud pandi, quod si mens purgata & circumcisa sit, exuta superfluis voluptatibus & cogitationibus restringit animam ad sui castimoniam, purisque sensibus infusam bonorum fecit partuum generatricem;* mox proximo num. 79. *Octavo autem die,* inquit, *circumcidi puerum lex jubet: mystico utique præcepto, quia ipse est resurrectionis dies;* paucisque interjectis causam reddens cur una cum Abrahamo circumcidendi forent vernaculi, emptitii, & alienigenæ, inquit: *Et domesticus, & alienigena, & justus, & peccator circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius, quia nemo adscendit in regnum cœlorum, nisi per Sacramentum baptismatis.*

Atque ex his propositio perspicue demonstratur. Non est enim signum duntaxat unius populi distinctivum, quod signum est fœderis cum Deo initi, quod monet sensuum illecebras comprimendas, quod baptismi regenerationem, Christi gratiam, & spiritus nativitatem prænuntiat. Id verò convenire Circumcisioni Ecclesiæ Patres disertissime affirmant. Circumcisio itaque non fuit signum tantùm hebraici populi distinctivum. Hinc colliges, ex Patrum antiquorum sententia circumcisionem posse duplici modo considerari: primo, quatenus est signaculum in carne impressum, & hoc pacto est tessera seminis Abrahæ, seu signum populi distinctivum; secundo, quatenus est symbolum regenerationis, atque hoc sensu est veteris legis sacramentum: unde meridiana luce perspicuum est, Scholasticos, qui testimoniis Patrum præcedenti propositione productis conantur probare Circumcisionem institutam non esse ad delendum peccatum, & maximum Ecclesiæ doctorem Augustinum antiquioribus adversari; Patrum sensa non fuisse assecutos, in signo carnali religionis signaculum & gratiæ symbolum non advertisse, & commentos summam Augustini ab aliis Patribus, ubi 14. Corollarium.

nulla prorsus est, discrepantiam. Sed ad reliqua procedendum.

15. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Sententia affirmans circumcisionem fuisse institutam ad peccatum originale delendum, non est ab Augustino primum excogitata.

Probatur 1. vindicando argumentum Augustini sumptum ex Gen. 17. v. 14. Addo theorema istud contra eos, qui argumentum Augustini probantis peccatum originale ex textu Genes. XVII. 14. *Masculus, cujus præputii caro, &c.* autumant nihil penitus habere roboris, quod juxta universorum Patrum traditionem circumcisio non fuerit instituta ad delendum peccatum, & Augustinus à communi sententia recesserit: quam opinionem ex recentioribus adoptarunt Nicolaus L'Herminier Tom. VI. pag. 29. & Tournely de Sacram. in gen. pag. 98. Quamquam si occasione exortæ hæresis Pelagianæ Augustinus omnium primus in Scripturæ textu ad hæreticos refellendos vim deprehendisset, cujus alii ea hæresi nondum exorta non meminissent; id quidem cederet in præclarissimi Doctoris laudem, nec sententiam novam induceret, sed antiquam pluribus adhuc ignotam promeret, & explicaret; quemadmodum novum non est dogma de originalis peccati existentia, & de gratia Reparatoris, tametsi Patres ante Augustinum nulla tali quæstione pulsati non tanta perspicuitate dogma ipsum tradiderint. Atque id Augustinus ipse respondit traducentibus, ut novam, suam de Prædest. Sententiam, de Præd. SS. cap. XIV. num. 27. & Juliano adversus originalis culpæ transfusionem opponenti quædam verba Chrysostomi, libro 1. contra eundem Julianum cap. VI. num. 22.

16. Probatur 2. ex Rabbinis. Itaque circumcisionem institutam in remedium peccati, novit etiam Judæorum Synagoga. Moyses enim Majemonides, in more Nevochim P. 3. cap. 49. Interprete Jo. Buxtorfio, enumeratis Circumcisionis causis aliis, ait præcipuam ac primam fuisse, ut circumcisi *per fidem in unitatem Dei* participes fierent fœderis Abrahæ, atque Deus illos in veram religionem suscipiens, prioris nativitatis defectus abjiceret. In Thalmud. Tract. Sanhedrin cap. 11. interprete Josepho de Voisin Burdigalensi, lib. de Lege Divina cap. 6. legitur: *Quæritur, quando infans particeps esse possit futuri sæculi? R. Machman filius Isaac respondet statim ac circumcisus est.* In Zoar ad Gen. XVII. 13. *Et erit fœdus meum in carne vestra*, legitur: *Traditio est, quando filius hominis signatur hoc charactere sancto, tunc eum fieri dignum visione Dei.* In Tzeror hammor, sect. Bereschit, habetur consuetum Hebræis in circumcisione apponere vas cum pulvere, ut in eo recondant præputium, quod præciditur, *Ad significandum serpentem, id est, Dæmonem impulisse hominem ad peccandum, & in causa fuisse cur moreretur, & in pulverem reverteretur.* Vide præcitatum Voisinum cap. 7. pag. 49. Rabbinorum itaque testimonia, & ipse peragendæ circumcisionis ritus evincunt persuasum esse Judæis aboleri cum præputio vetustatem carnalis generationis.

17. Probatur 3. ex ratione & Patribus. At veniamus ad Patres. Firmissima horum sententia est, illorum etiam, qui Augustini tempora præcessere, institutam circumcisionem in signum abolitionis carnis peccati, & regenerationis per Christum. Demonstratum id est præcedenti assertione. Quid ergo juxta antiquos Patres in circumcisione desideratur, ut sit *Sacramentum* institutum ad abolitionem peccati? Adest Divina institutio: adest ratio signi: adest renovationis, & gratiæ symbolum. Hoc unum reponere possunt adversarii, *Sacramentum* istud gratiam præsignasse, non contulisse, seu fuisse natura sua elementum egenum, è sola fide Christi, non vi sua justificationem impertiens. Verùm hoc interim concesso (de circumcisionis puippe efficacia agendum est postmodum) non consequitur circumcisionem minime fuisse institutam in remedium peccati. Major siquidem Theologorum pars, & ipsemet Tournelius q. 2. art. 3. concl. 1. propugnat in lege naturæ extitisse adversus peccatum originale remedium, quamvis non absque fidei venturi Messiæ noxam culpæ expiaret; ac docet Patres, ubi fidei tribuunt pro eo statu justitiam, nequaquam excludere signum *Sacramenti* sensibile. Eadem ergo ratione, quamvis circumcisio regenerationem, quam juxta veteres præsignabat, non effecisset, sed hæc opus fuisset, solius fidei signo visibili circumcisionis manifestatæ, esset nihilominus originalis peccati remedium. Quod si audiatur S. Thomas docens 3. p. q. 60. art. 5. determinanda fuisse signa, & *Sacramentorum* elementa post coadunatum Dei populum, & facta Messiæ promissione, *ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur;* nemo jure negabit, quin segregata familia Abrahæ in cultum summi Dei, percusso fœdere, ejusque semini promisso Reparatore, determinatum non sit, & vel scripto, vel traditione manifestatum remedium illud, & *Sacramentum* justificationis, quod,

ut

ut Augustinus ait, *superioribus temporibus omnimodo latuit.* Nullum verò (nisi sit circumcisio) post segregatum Abrahæ semen, expressum ac determinatum remedium pro parvulis potest excogitari.

18. Et quidem Augustinô antiquioribus.

Ut ad Patres revertatur oratio, S. Basilius hom. XIII. pag. edit. Morelli 477. circumcisionem baptismati comparans inquit: *Circumcisionem Judæus minime differt ob comminationem; quoniam omnis anima, quæ die octava non circumciditur, è populo suo exterminabitur: at tu circumcisionem non manufactam, quæ per baptismum in depositione carnis perficitur, differre quæris? Ipsum audisti Dominum: Amen dico vobis, nisi quis renatus, &c.* Quo testimonio producto sub Chrysostomi nomine lib. 2. adversus Jul. cap. 6. num. 18. ita S. P. Augustinus prosequitur: *Cernis quemadmodum circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir Ecclesiastica doctrina præditus comparavit? Quod ergo est octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari; & quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum cœlorum.* S. Ambrosius lib. 2. in Lucam num. 56. *Vides*, inquit, *omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri. Nam & circumcisio purgationem significat delictorum:* & lib. 2. de Abraham cap. XI. num. 81. *Egregiè autem infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos; quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et infans revocandus à peccato est, ne idololatriæ polluatur contagio, & ne adorare assuescat idolum, & exosculari simulacrum, parentis violare nidum, pietatem lædere. Simul ne quisquam insletur, quod sibi justus videatur, ætatis maturioris processu Abraham circumcidi jubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea.* Isychius denique Jerosolymitanus, quem floruisse ajunt imperantibus Arcadio & Honorio, lib. 3. in Levit. pag. 246. scribit: *Ergo hic est modus, propter quem infantem octavo die jubet circumcidi. Incircumcisum autem perire de populo suo ostendit, quia ante circumcisionem abominabilem habet carnem & immundam. Mundatur autem per circumcisionem, quæ imaginem gerit resurrectionis mortuorum.* Profecto Isychius per immunditiam carnis intelligit peccatum originale, quod carnali propagatione contrahitur, statim enim quærit, cur cap. XII. Levit. 2. mulier, non puerulus, vocetur immunda; & respondit, *Quia inobedientiæ causa Eva seducta extitit, transgressio autem, sivè inobedientia immunditiam nobis, sordemque contraxit, ideò hoc legislator in mulierem convertit.*

Hactenus dicta hanc nobis argumentationem suppeditant. Augustinus non est illius sententiæ primus auctor, quam etiam Synagoga tenet ex Majorum traditione, & quam Patres Augustino antiquiores docuerunt. Quod circumcisio instituta sit in remedium originalis peccati, arbitratur ex vetusta traditione Judæorum Synagoga, & docuerunt antiqui Patres. Ejusdem ergo sententiæ Augustinus non est adinventor, & auctor.

19. Corollarium.

PROPOSITIO V. Quod Circumcisio sit à Deo instituta ad delendum originale peccatum est expressa sententia Augustini, valide sacris literis confirmata, & recepta à posterioribus Patribus, & Scholasticis illustrioribus.

20. Propositio 5 Circumcisio fuit instituta à Deo ad delendum originale. Ita expressè Augustinus.

Hanc esse S. P. Augustini opinionem, firmissimamque sententiam, extra controversiam positum est. Scribit namque S. P. Epist. 57. ad Dardanum, nunc 187. cap. XI. num. 34. *Circumcisio antiquis sanctis pro baptismo fuisse creditur.* Lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 72. num. 162. *Certe antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habebat.* Libro tertio contra Julianum, cap. 18. num. 34. *Sed ad hoc respondes, si potes; cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circumcisus fuisset, periisset anima ejus de populo suo?* Infra: *Quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret?* Et lib. VI. cap. 7. num. 19. de originali vitio, inquit, *Quod nisi esset in semine, ad parvulos, quibus circumcisione illa corporis auferendum esset, nullatenus perveniret.* Plura alia subjiciam infra. Interim hæc Augustini mentem satis patefaciunt.

Probatur 1. ex S. Aug.

21. Probatur 2. ex S. Scriptura.

Innixam esse hanc sententiam sacris literis, sic demonstro. Genes. XVII. 14. Legitur, *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Quorum verborum sensus est, Qui circumcisus non fuerit, perditionem nequaquam evadet, quoniam reus est transgressionis Adæ, *in quo omnes peccaverunt,* neque in eo observatum est *pactum* Circumcisionis institutæ ad illius transgressionis abolitionem; quemadmodum illorum verborum, *Nisi quis*

*quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest iutroire in regnum Dei*, sensus est, Qui non susceperit baptismum institutum in originalis culpæ remedium, evadere non poterit damnationem. Sicut ergo baptissimus, ita circumcisio (salva utriusque *Sacramenti* discrepantia) in originalis reatus medelam fuit instituta. Utitur hac argumentatione Augustinus adversus Pelagianos lib. 2. de Nuptiis, & Concupisc. cap. XI. num. 24. scribens: *Sed ipse jam dicat, quare interiret anima ejus de genere suo, si circumcisus die non esset octavo: quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia tam severe puniretur, si nullum esset originale peccatum? De circumcidendis enim Deus sic mandavit infantibus: Masculus, &c. Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ita ad significationem purgationis valebat & in parvulis originalis veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Vide eundem Augustinum de Peccato Originali cap. 30. num. 35. de Civit. Dei lib. XVI. cap. 27. lib. 2. Operis imperf. cap. 201. & quæ nos diximus lib. XIII. cap. 1.

22. Objectio 1. contra Aug. Quamvis loco mox laudato Augustini interpretationem vindicaverim ab adversariorum objectis; non abs re tamen erit, si eadem hoc loco iterum retundam. Inquiunt ergo primo, Augustinum in eam sententiam ductum, quod citato in loco Geneseos legerit *octavo die*, ex Versione LXX. Interpretum, ex quibus consequi existimavit comminationem illam spectare ad parvulos, cum revera pertineat ad adultos duntaxat, qui circumcisionem negligendo irritum faciunt *pactum* initum cum Abrahamo. Ita Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. XVII. pag. postremæ edit. 80. Tournely de Sacr. pag. 306. Nat. Alex. Tom. 1. pag. 113. & præter oppositæ sententiæ omnes, etiam Augustinianus Coquæus (si hoc in loco Augustinianus dicendus est) Comment. in cap. 27. libri. XVI. de Civit. Dei pag. 1041.

Solvitur. Verum nil facilius, quam istam responsionem explodere. Do enim Bellarmino, aliisque τὸ *octavo die* desiderari in Hebraicis Codicibus, in Chaldæa paraphrasi, in Vulgata Latina Versione, addantque, si lubet, Arabicam, & Syriacam. Ergone in Versionem LXX. Interpretum voculæ illæ duæ per errorem irrepserunt? Nequaquam. Nullus enim Græcus codex proferri potest, qui illis careat, nec emendatissimus jussu Sixti V. Romæ editus anno 1588. & recusus Parisiis an. 1628. Ita ergo Seniores illi scripsere. Aetate etiam Augustini lectio illa obtinebat; nam aliàs hoc testimonium non adeo frequenter inculcasset adversus hæreticos Pelagianos. Adde in hoc loco producendo maximam Augustini diligentiam. Citato libro 2. de Nuptiis & concup. cap. XI. ita locum hunc recitat, *Masculus, qui non circumcidetur carnem præputii sui octavo die*, & eadem orationis syntaxis legitur in Sixtina, cohærenter ad Græcum, ὅς ȣ̓ περιτμηθήσεται τ̀ σάρχα. Augustinus itaque usitata lectione usus est, vera, & quoniam hostes oppugnabat versutissimos, diligenter examinata. Cum itaque LXX. ita scripserint, quare erroris insimulantur? Cur non dicuntur potius expressisse sensum hebraici textus, quam illum adulterasse? Sensum vero hebraici voluminis, num poterant Bellarminus, & qui ex eo scripserunt, Scholastici juniores, felicius assequi, quam LXX. viri sapientissimi, ex omnibus tribubus selecti, divinoque numine afflati? Optimè idem Bellarminus Tom. 1. lib. 2. cap. 6. pag. 41. de Versione LXX. protulit judicium istud: *Certissimum esse debet* LXX. *Interpretes optime transtulisse, & peculiari modo Spiritum sanctum assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam interpretes, quam prophetæ fuisse videantur*: additque nihil posse in hac Versione reprehendi, *nisi vitia, quæ in eam postea irrepserunt, negligentia, vel malitia, aut etiam ignorantia aliorum.* Atque id quidem sentiendum erat de ea Versione, quam laudarunt Patres omnes, & usu suo consecrarunt fidei conditores Apostoli. Retinendæ sunt ergo voculæ illæ, *octavo die*, quoadusque non demonstrentur malitia, aut ignorantia aliquorum intrusæ. Hinc videor mihi haud male Volum. 3. pag. 5. scripsisse Græcam versionem falsam non esse, sed suppeditare commodam interpretationem verborum. Vidit hæc & Suaresius scribens laudata disput. v. sect. 1. *Unde potest sumi indicium, antiquam Judæorum Synagogam ita hunc locum intellexisse, & Septuaginta Interpretes ad explicandum amplius sensum suo tempore, & in sua Ecclesia receptum illam particulam addidisse.* II. Asserui citato volum 3. τὸ *in octavo die* haberi etiam in Pentatheuco Samaritano, quod nemo hactenus observarat: ex quo quantum Augustinianæ sententiæ accedat roboris per se constat. Pentatheucus enim Sa-

Samaritanus scriptus est antiquis hebraicis literis, si fides habeatur Joanni Morino, à temporibus Esdræ; si Waltono, aliisque, saltem ante Christum natum. III. Præcitatus textus Geneseos, ut habetur in Vulgata, & supra recitatus est, comprehendit propositionem indefinitam, & non solum de adultis, qui circumcisionem negligunt, verum etiam de parvulis accipiendam, non minus ac verba Evangelii, *Nisi quis renatus &c.* Ut ergo comminatio hoc loco expressa non solum excludit à regno cælorum adultos contemnentes baptismum, sed etiam parvulos non baptizatos, quia absolute excludit *non renatos:* ita verba Geneseos comminantur perditionem tam adultis negligentibus circumcisionem, quam pueruli non circumcisis, quoniam perditionem minantur indefinitè masculo non *circumciso.* Nec à nobis cuditur primum hæc ratiocinatio, sed illam nobis præmonstravit Innoc. III. cap. *Majores*, scribens: *Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: ita nunc indistincte vox intonat Evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei, ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens.* Similia Prosper inferius laudandus. Atque his prior adversariorum responsio eliditur, & profligatur.

23. Objectio 2. Secundo respondent per illa verba, *delebitur anima ejus de populo suo*, designari duntaxat mortem temporalem infligendam ei, qui adultus circumcisionem omiserit carnis suæ; aut *excisionem* legalem, sive à cœtu posterorum Abrahæ expulsionem. Enimvero, inquiunt, id significat hebraica phrasis, *perire de populo suo*, hebraicumque verbum כרת, *exscindere.* Videsis Exodi XII. 51. XXXI. 14. Levit. VII. 21. Num. XIX. 20. Hæc exempla ex Bellarmino opponit nobis Tournelius. Addiderat præclarissimus Controversiarum Scriptor exemplum Moysis, quem Deus voluit occidere Exodi IV. 24. quoniam non circumciderat filium suum. Quamquam enim Augustinus q. XI. in Exodum, & lib. IV. de Baptism. cap. 24. num. 31. conatur ostendere filium Moysis in periculo fuisse, non ipsum Moysen; apertum tamen est ex contextu, mortis periculum subiisse Moysem, non puerum: quippe legitur, *Cumque esset in itinere in diversorio Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Quem* (inquit Bellarmi-



nus) *nisi Moysem, de quo verbis proximis loquebatur?* Sephora quoque Moysi dixit, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, maritum, quem amissura fuerat, alloeuta, quasi diceret, Redemite sanguine filii mei. Moyses ergo, non filius subierat pericula, ut in cap. 5. ad Galat. affirmavit Hieronymus. Hæc Bellarminus, & laudato in loco noster Coquæus.

Responsio 1. ex vi verborum.

Respondeo verbum כרת, idem esse, ac, *scindere, & exterminare*; & aliquando significare mortem corpoream, aliquando separationem à cœtu sanctorum. Quid hoc in loco significet, videndum est. Etsi Rabbinorum quidam, ut R. Samuel, & R. Mehahem autumaverint, eum, qui carnem præputii sui non circumcidit, morituram absque liberis ante annum quinquagesimum, vel sexagesimum, hæc tamen opinio futilis est, nec à Rabbinis omnibus recipitur. Quod istic accipienda sit mors corporis violenta, nemo dixerit; omnibus quippe fatentibus, nemo ob prætermissam circumsionem subiit præcepto legis pœnam capitis. Igitur accipiamus oportet hunc locum, ut incircumcisus intelligatur abscissus, & segregatus à filiis promissionis, & à semine Abrahæ; quod fit aut per sempiternam mortem, aut per separationem à visibili Ecclesia. Si primum dixeris, in partes Augustini descendis: si alterum affirmas, etiam Augustino subscribis; quisquis enim in Ecclesiam Sanctorum non recipitur, etiam à cælorum beatitudine excluditur. Si quis dicat, Absque baptismo non connumeramur inter Christi fideles, verum ille dicit: & si quis ait, Sine circumcisione olim nullus reputabatur in semine Abrahami, verum & iste pronuntiat. At excludi à numero fidelium est etiam excludi à regno cælorum; segregari à semine Abrahæ erat promissis benedictionibus exspoliari. Confirmant ergo, non oppugnant Augustini sententiam, qui contendunt sensum illorum verborum, *Peribit anima ejus*, esse, *Segregabitur à cœtu Judæorum.* Ita etiam peribat Exodi XII. 15. qui septem diebus azymorum comedebat fermentatum, & Exodi XXXI. 14. qui non custodiebat sabbata, ita, ut non solum tanquam fractor legis puniretur, verum etiam contraheret maculam transgressionis. Pœna enim non infligitur absque culpa. Recte itaque Augustinus in parvulo, cujus anima ob incircumcisionem peribat, infert peccati maculam; recte ait: *Quid meruerat, ut anima ejus de*

*populo suo periret, nisi circumcisio subveniret?* II. Præterea Aben-Ezra in cap. XVII. Genes. fatetur Hebræorum plurimos sentire, quod anima pueruli incircumcisi *in futuro sæculo puniatur;* & licet is sententiam istam non sequatur, habet tamen hæc assertores Rabbinos alios clarissimos supra laudatos. Porro Glossa interlinearis habet: *Non computabitur inter Sanctos*, & alia, *Delebitur de cœtu Sanctorum.* Negare id id non potuit vulgatissimus interpres A Lapide, scribens in Pentatheucum pag. 136. *Per mortem corporalem significatur, & intentatur mors spiritualis animæ, & æterna damnatio illi, qui circumcisionem vel infans non susceperit, (infanti enim mors animæ infligi potest à Deo, non vero mors corporis à judice) vel adultus neglexerit; quod scilicet hac de causa exscindatur à familia Abrahæ, populo, & Ecclesia Dei, ac consequenter ab hæreditate cælesti.* III. Apponi ad populum suum est connumerari cœtui sanctorum, Gen. XXV. 17. XLIX. 32. Mach. I. XIV. 30. aliisque in locis. Igitur deleri de populo suo, erit idem ac à Sanctorum cœtu sejungi, ut diximus lib. XIII. cap. I.

Responsio 2. directa, ex ratione.

Quod ad Moysen attinet, fateor illum, non puerum Eliezer positum Exodi IV. in vitæ discrimine; propterea quod non tantum pœnam mereantur pueri non regenerati ob culpam originalem, verum etiam adulti ob negligentiam in *Sacramentis* administrandis, maxime Ecclesiæ principes, qualis tunc Moyses eligebatur. Nihil ergo valet exemplum Moysis adversus Augustini sententiam. Imo egregie illam confirmat, si expendantur quæ propositione 4. produximus ex Ambrosio, circumcisionem scilicet præstitisse, *ne* semen Abrahæ *idololatriæ pollueretur contagio.* Peccato quippe originali inquinati, utpote mancipia Diaboli, sunt in idolorum cultum cæteris proniores. Eam ob rem Moysi in Aegyptum proficiscenti Deus non circumciso Eliezere mortem comminabatur, quia ille contra idololatras dimicaturus patiebatur in filio idololatriæ fomentum, & labem originalem. Hæc nostra, si cui arrideat ratio, poterit illinc stabiliri, quod circummcisio iterum indicta fuerit Exodi XII. 48. cum populus Israel ex idololatrarum finibus educeretur, & in deserto prætermissa ab incredulis adhuc addictis Aegyptiorum superstitioni. Cæterum Augustinus (quidquid Bellarminus asserat,) opinionem illam de Eliezere non putat inconcussam, sed addit, *Quamquam & si de Moyse accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum.* Non amplectitur tamen communem sententiam in serm. 86. de Temp. ut scribit in hunc locum A Lapide pag. 344. Sermo enim ille suppositititius est Verlino, Vindingo, Maurinis Patribus. Duas etiam oppositiones è contextu petitas non fabricarunt aut Bellarminus, aut Coquæus, sed eadem Q. XI. attulit, & solvit ipsemet Augustinus. Hujus autem responsiones, quoniam iisdem oppositionibus nullo pacto percellor, ac sum cum adversariis liberalissimus, perquirat Lector apud Doctorem Ecclesiæ præstantissimum. Posset etiam reponi, ea verba Sephoræ, *Sponsus sanguinis tu mihi es*, non ad Moysen dicta, sed ad filiolum, ita, ut sensus sit, Per circumcisionem datus es mihi sponsus, id est, Ecclesiæ, quasi conjugii fœdere copulatus: puer enim circumcisus ab Hebræis appellatur חָתָן, *Sponsus*, eodem vocabulo, quod occurrit Exodi IV. 25. ubi legitur חֲתַן דָּמִים, *Sponsus sanguinum:* unde Targum legit, *Per sanguinem circumsionis istum datus es nobis sponsus*, si fides habenda est Schindlero in Lexico, voc. חתן, & Spencero de Legibus Hebr. lib. I. cap. 4. sect. 5.

24. Objectio 3. iterum contra Aug.

Tertio loco adversarii respondent, Augustinum in eo lapsum, quod ea verba, *Pactum meum irritum fecit*, acceperit *de pacto* à Deo inito cum Adamo, Gen. II. 17. *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*; cum referenda proculdubio sint ad pactum initum cum Abrahamo, de quo eodem cap. XVII. Gen. *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos. Circumcidetur ex vobis omne masculum:* cumque octies ibidem pactum hoc memoretur, nequit ad pactum cum Adamo initum detorqueri, ideoque nihil istic de peccato originali, quod parvuli trahunt ex Adam, in quo omnes peccaverunt. Hunc ubi Vulgata legit, *Masculus, cujus caro præputii circumcisa non fuerit*, habet Chaldaicus Paraphrastes, *Masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui*, commonstrans hunc locum pertinere ad adultos fractores illius pacti, non ad puerulos.

Solvitur.

Resp. neminem latere, quin verbum הפר, *Irritum fecit*, quod in conjugatione *Kal* activum est, si accipiatur in conjugatione *Hiphil*, sensum reddere passivum & idem esse, ac *in eo irritum fuit.* Hoc supposito, quod

nec

nec diffitetur A Lapide in Pentath. pag. 136. ita adversarios alloquor. In qua conjugatione verbum illud accipiendum nobis est? In *Kal?* Quoniam sive recipias versionem LXX. Interpretum, sive accipias τὸ *Masculum* indefinite, sive referas versum 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, ad præcedentem versum 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, nomine *masculi* venit etiam recens natus puerulus; cum is nequierit frangere fœdus initum cum Abrahamo, quomodo pactum Domini dissipavit? Rectè itaque Augustinus de Nuptiis & concup. lib. 2. cap. XI. num. 24. *Dicat iste, si potest, quomodo puer ille testamentum Dei dissipavit, octo dierum, quantum ad ipsum propriè attinet innocens infans; & tamen nullo modo Deus vel sancta Scriptura id mendaciter diceret. Tunc ergo dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Idem repetit S. Doctor lib. III. contra Julianum cap. 18. num. 34. & de Civit. Dei lib. XVI. cap. 27. Si verbum הפר accipias in conjugatione *Hiphil*, sensus erit, ideo perire incircumcisi pueruli animam, quoniam in illa servatum non fuit pactum circumcisionis, qua potuisset evadere perditionem: quam sententiam fateor communiorem esse, & literæ magis consonam. At Augustinus, quamvis linguæ hebraicæ vim non attenderit, attamen hanc etiam responsionem (tanta erat ingenii ejus acies, tanta in scripturis enodandis libratio) adhibuit loco nuper laudato, scribens: *Si autem quisquam hoc non nisi de ista circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, quoniam non est circumcisus, dissipaverit parvulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoque animadvertendum est, nulla in se negligentia sua injuste interire circumcisi animam parvuli, nisi originalis obligatione peccati.*

Quod dixi de duplici Hebræorum conjugatione, elidit cavillulum alterum, Jonathas quippe, & Onkelos accepit verbum, לא־ימול, *circumcisa non fuerit*, quasi sit futurum *Kal* à verbo נמל, *circumcidere*, cum sit futurum *Niphal* à verbo, מול, *circumcidi*; nam LXX. Hieronymus, Interpres Latinus, Arabs, Syriacus reddidere, *circumcisa non fuerit*, &c. nec sine ratione valida, cum idem futurum ימול occurrat præcedenti versu 12. in significatione passiva. Retinenda est ergo lectio Vulgatæ: ac puderet Scholasticos nonnullos inania hæc objectare, si animadvertissent Sixtinum Amamam in Antibarbaro, pag. 413. aliosque Heterodoxos hoc in loco Vulgatam nostram reprehendere. Verum his opponam Joannem Drusium, qui Notis majoribus Volum. 1. Criticorum sacrorum pag. 429. inquit: *Aliter cæteri: nam* LXX. ὃς ἀ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ. Et Hieronymus: *Cujus præputii caro circumcisa non fuerit.* Et Santes: *Cum non circumcidetur caro præputii ejus.* Hoc sensu erit futurum Niphal à מול. *Videtur hæc interpretatio melior esse: nam masculus non circumcidebat se ipsum, sed alius id faciebat.* Atque his, ni fallor, constat Augustini sententiam valide sacris litteris communiri.

25. Sententiam Augustini meritò propugnârunt Patres Augustinô posteriores.

Jure itaque ipsam Augustini sententiam Patres, qui subsecuti sunt, propugnarunt: inter quos Aquitanus Prosper lib. de Prædictionibus Dei P. 1. cap. 14. pag. edit. Lovanii 7. ait indictam circumcisionem, *ut per integritatis decus id repararet, quod fuerat vitiatum:* & in Epistola 84. in antiquiori editione Ambrosii pag. 188. (quæ Epistola à Suaresio, Frassen, aliisque tribuitur Prospero,) de originali peccato differens, *Propter quod*, inquit, *sicut nunc in Ecclesia manet constitutio Salvatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: ita sacratissime erat in lege præcautum, ut natus puer, nisi die circumcideretur octavo, exterminaretur anima ejus de populo suo, nullum in hæreditate Israel habitura consortium.* Gregorius Magnus lib. IV. Moralium cap. 3. pag. nunc 102. *Quisquis*, ait, *regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* Quæ verba à Gratiano inter Canones relata fuere III. P. decreti, de Consecrat. dist. IV. can. 5. Sanctus etiam Isidorus in Genes. exscriptus cap. 17. à Glossa, *Quæritur*, inquit, *quomodo pueri incircumcisi, qui pactum Dei irritum non fecerunt, perire debeant. Sed pactum Dei non secundum*

*opus, sed secundum originem in primo homine irritum fecerunt, in quo omnes peccaverunt.* Accedit Bernardus, qui serm. IV. de Circumcisione num. 1. scribit: *Duritiam duris bene congruam servis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facile lavet aqua. Nihil ergo mirum si pro diversitate temporum mutata sint sacramenta: ut daretur utrisque quod congruum erat eis.* Et serm. 1. de Cœna Domini num. 2. *Quæ est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Hujus quidem gratiæ sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet.* Legatur & Epistola ad Hugonem, nunc inter Tract. Tom. IV. pag. 119. His subscribit Innoc. III. cap. *Majores*, ubi post verba superius laudata, innuens discrimen inter circumcisionem, & baptismum, inquit: *Etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per Sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cælorum etiam pervenitur, &c.*

26. Vindicatur Augustinus contra Tournelii.

Hæc, cum non ignorasset Tournely pag. 106. respondet Augustinum in hanc sententiam adductum, & quia cum LXX. Interpretibus legebat in textu Gen. *octavo die*, & quia disputans adversus Pelagianos undique argumenta ad eos revincendos colligebat. Cæteros omnes tacitè omnino dimittit. At de Augustino quam inscite sententiam proferat, paulo supra demonstravi. Modò addo Augustini argumenta *undique collecta*, posterioribus Patribus fuisse probata, idque adversariorum aut confessione, aut silentio. De Innoc. III. reponit cum aliis B. A. M. Canali pag. 57. respondere eo loci ad interrogationem sibi factam, num parvulos tenella ætate congruum sit baptizare, atque in ea responsione assumere rationem invalidam, nec opus esse, ut in aliqua re definienda firmæ duntaxat rationes adhibeantur, quemadmodum in 2. Nicæno Concilio definitum est Angelos pingendos esse, cui definitioni addita est à Sophronio hæc ratio, *quia corpore constant*, quæ tamen à Theologis non probatur. At primum nemo nostrum hanc sententiam propugnat tanquam fidei decretum; & illud tantum in præsentia affirmamus, quod satis liquet, hanc probatam fuisse Innocentio. Deinde eo loci Romanum Antistitem afferre fractam, infirmamque rationem demonstrari debet, non temerè pronuntiari. Præterea cum nihil aliud in eo Capite occurrat, quod non sit libratum ac ponderosum, immerito ratio ex circumcisione petita, tanquam invalida refutatur. Postremò neque exemplum allatum est ad rem; quamvis enim fateamur aliquando inconcussas non esse rationes omnes in fidei definitionibus insertas; discrimen tamen est maximum inter Romani Pontificis rescriptum, & Joannis Thessalonicensis sermonem Act. V. septimæ Synodi recitatum; puto siquidem hunc, non Sophronium, à viro dicto fuisse commemorandum: nec secundum Nicænum concilium allatam à Joanne rationem probavit, quemadmodum Innocentius protulit, probavitque Augustinianam de Circumcisione doctrinam. Sed legendum de hac re caput 2. libri X. nostrarum lucubrationum, & VII. Volumen Conciliorum Labbei pag. 354.

27. S. Augustini sententiam amplexi sunt illustriores Scholastici.

Aliter Augustini sententiam illustriores Scholastici excepere. Magister siquidem in IV. dist. 1. num. 6. indubitatum censet, *per circumcisionem ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis, & actualis parvulis & majoribus à Deo præstitam, sicut nunc per baptismum datur.* Carpunt quidem in magistro nonnulli, quod num. 10. scripserit, *Ibi solum peccata dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum præstabatur*: quod, inquit Estius, absurdum est, & ad perversa dogmata hæreticorum pertinens, si dicatur remitti peccatum absque infusione gratiæ, seu mentis renovatione. At quod Magister ait num. 6. à nemine reprehenditur: quod vero ait num. 10. falsum est, si accipiatur de gratia habituali; verum, si de gratia, *qua pervenitur ad regnum*, ut inquit Innoc. III. sive, ut olim Irenæus, *consummatrice* virtutis: idque innuere videntur ipsa Magistri verba. S. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. *in circumcisione*, inquit *conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi venturi*: & q. 70. art. 4. *Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur.* Divus Bonaventura in IV. dist. 1. art. 3. q. 3. *In circumcisione delebatur culpa, & conferebatur gratia, & ad utrumque ordinabatur circumcisio.* Scotus ibidem q. 6. *Supponen-*

*ponendum tanquam certum, quod per circumcisionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritates Sanctorum.* Et ne reliquos proferam; fuit hæc in Scholis, ut inquit beatus Thomas, ab omnibus recepta communisque sententia: quod & liquet ex Durando in 4. dist. 1. q. 7. Alex. Alensi q. 4. in 7. art. 3. Argentina dist. 1. q. 3. art. 2. Paludano q. 5. art. 4. concl. 2. Soto dist. 2. q. 1. art. 2. aliisque innumeris. Hinc in Tridentina Synodo hanc sententiam è suggestu tradidit vir conspicuus Robertus Fornierius his verbis: *Quoniam circumcisio populo Israel ea potissimum causa præcepta est, ut haberet ad manum præsens aliquod efficacissimumque remedium adversus culpam illam, quæ à primo parente ducta, atque in universum genus humanum transfusa cum semine, in ipso nostro ortu natura contrahitur &c.* Vide Tom. XIV. Concil. Labbei pag. 1494. Atque his demonstrata est propositionis pars quælibet, nimirum ex mente Augustini institutam circumcisionem ad abolitionem peccati, id ex sacris literis colligi, probatum denique Ecclesiæ Patribus, & Scholasticis illustrioribus.

# CAPUT IV.

## Expenduntur, quæ adversus superiorem doctrinam solent opponi.

### *SUMMARIUM.*

1. Usque ad 10. Solvuntur argumenta desumpta ex S. Scriptura.
10. 11. & 12. Satisfit argumentis in auctoritate Patrum fundatis.
13. & 14. enodantur reliquæ objectiones.

1. Ulteriora fundamenta & objectiones adversariorum contra August. & Propositionem 5tam n. 20. positam, petuntur ex hoc, quasi repugnaret Apostolo & Patribus.

CONTENDUNT adversarii Augustinum Apostolo, cæterisque Patribus repugnare, plura adversus illum testimonia ex Epistola ad Romanos, atque ex Justino, Irenæo, Epiphanio, Tertulliano, Chrysostomo, aliisque deprompta, nec non ratiocinationes quasdam pervulgatas objicientes. At non discrepare Augustinum ab aliis, hac una annotatione suadetur, quod hi vel Judæos profligantes, vel differentes de fide Christi, locuti sint de circumcisione nuda, in se tantùm inspecta, carnali, Judaica, legali; ille verò circumcisionem spectaverit tanquam signum exspoliationis carnis, & tanquam sacramentum justificationis ex fide. Nam & cæteros Patres aliquando de Circumcisione, quatenus symbolum & sacramentum est, tractasse in tertia propositione demonstravimus. Atque id tantum valere plurimum potest ad Patres alios cum Augustino conciliandos.

2. Notandum 1. Quoniam de hac quæstione (absit invidia verbo) accuratius, quàm alii fecerint, disputavimus; posteaquam annotationes quasdam ex Doctore præclarissimo delibavero, testimoniorum, quæ videntur opposita, scopum ac sensum conabor investigare. Itaque cum Judæi legem, & circumcisionem per se, & absque fide Christi ad salutem conducere falsò sibimet persuadeant; illud primum notandum est, circumcisionem non fuisse peccati remedium nudè acceptam, sed quatenus erat, inquit S. Pater, *Sacramentum justificationis ex fide*, nec vi legis justificabat, sed per fidem in Christum & gratiam Reparatoris. *Eadem* quippe *fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; non vetus testamentum, quod in servitutem generat, non lex quæ non sic est data, quæ posset vivificare, sed gratia Dei per JEsum Christum Dominum nostrum, Quia sicut nos Christum in carne venisse, sic illi venturum: sicut nos mortuum, ita illi moriturum: sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum: & nos vero & illi, ad judicium mortuorum, vivorumque venturum.*

3. Not. 2. Alterum huic affine, & animadversione dignum est, quod circumcisio licèt in carne impressa, symbolum erat tamen circumcisionis cordis, & exspoliationis carnis: quod Patres omnes asserunt, & Augustinus scribit in Psalmum LXXIV. num. 12. *Circumcisio carnis magni sacramenti res est, & intelligitur inde circumcisio cordis*: ideoque, quemadmodum signa quælibet spectari possunt & quatenus res sunt, & quatenus symbola rerum aliarum, ita circumcisio potest considerari, ut sectio præputii, atque ut symbolum abolitionis antiqui reatus.

4. Not. 3. Tertiò notandum est, pro vario hominum statu immutata quoque fuisse *Sacramenta*, & circumcisionem, aliasque omnes figuras, quibus Christus prænuntiabatur, post ejus adventum, & post redemptionem peractam, fuisse abrogatas: unde Augustinus lib. 2. de Anima & ejus origine cap. XI. num. 15. ait: *Circumcisio fuit illius temporis sacra-*

*cramentum, quod præfigurabat noſtri temporis baptiſmum;* & lib. XIX. contra Fauſtum cap. 9. *Non circumciditur Chriſtianus, quia id quod circumciſione promittebatur, jam Chriſtus adimplevit.* His prænotatis audiamus adverſarios peracute ratiocinantes.

5. Objectio 1. Primò loco opponunt: Geneſis XVII. ubi de Circumciſionis inſtitutione agitur, non legimus fuiſſe præceptam, niſi in ſignum fœderis inter Deum & ſemen Abrahæ, atque in pactum ejusdem fœderis. Verſu enim 11. legitur: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos,* & verſu proximo, *Eritque pactum meum in carne veſtra, in fœdus æternum.* Non ergo inſtituta fuit in remedium peccati.

6. Reſponſio 1. Reſp. 1. nego antec. nam verſu 14. dicitur, quemlibet maſculum circumcidendum, *ne deleatur anima illius de populo ſuo:* quæ verba eo pacto commonſtrant circumciſionem fuiſſe remedium peccati, quo illa, quæ leguntur Joan. III. *Non intrabit in regnum cœlorum,* oſtendunt eodem fine inſtitutum eſſe baptiſmum: quod poſt Auguſtinum tradiderunt Proſper, Bernardus, Beda, Innocentius.

7. Reſponſio 2. Dico præterea, Deum nunquam iniiſſe fœdus cum impiis, ſed cum Noe, cum Abraham, cum Jacob, cum David; fœderatis enim ſuis, niſi legem transgrediantur, Iſaiæ LVI. 5. ſempiternum nomen, æternamque vitam promittit. Ut ergo fœdus Deus cum hominibus ineat, opus eſt juſtitiam habeant, aut ipſo ſigno fœderis juſtificentur. Abrahamus quidem ante circumciſionem juſtus erat, ideoque accepit, ut ait Apoſtolus ad Romanos IV. 11. *ſignum circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.* At parvuli ex Abrahæ ſemine procreati naſcebantur, ut cæteri omnes, *filii iræ,* & originali peccato inquinati. Cum iis quomodo poterat Deus in circumciſione inire fœdus? Quomodo circumciſio erat *ſignaculum juſtitiæ?* Non ob juſtificationem & gratiam, quam, ut Abraham, habuerint in præputio; igitur ob juſtificationem, & gratiam, quam eis impertiebatur ſignum circumciſionis, tanquam ſignum proteſtativum illius fidei, quam habuerat Abraham præputiatus, & incircumciſus. Non enim absque fide Chriſti circumciſio juſtificabat, ut diximus paulo ſupra cum Auguſtino.

8. Objectio 2. Præterea objiciunt: Apoſtolus in citata Epiſtola ad Rom. cap. IV. verſu 1. ait: *Quid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?* Circumciſio itaque nihil gratiæ conferebat. II. In eodem cap. verſu 11. inquit Paulus: *Signum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.* Præſignabat ergo circumciſio juſtitiam præexiſtentem in Abraham, non conferebat ſpiritalis gratiæ decorem. III. Præcedenti cap. III. verſu 1. diſſerens de Circumciſionis utilitate, affirmat Apoſtolus præcipuum emolumentum, quod inde Judæi capeſſebant, fuiſſe legem ſcriptam, notitiamque Propheticorum vaticiniorum, dicens: *Quid ergo amplius Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omne modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Igitur circumciſio non delebat peccatum: quod opus eſt prophetia & lege præſtantius. IV. Ad Galatas v. 6. definitè concludit: *In Chriſto JEſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium.*

Reſponſio. Reſp. Hæc nullius eſſe momenti, ſi idem, quod nuper dictum eſt, attendatur, id eſt, nec legem Moyſis, nec circumciſionem, nec vetera Sacramenta aliquid ad ſalutem contuliſſe, niſi per fidem Chriſti, & gratiam Reparatoris: de qua fide & gratia pertractare Apoſtolum in Epiſtola ad Romanos, tradit Auguſtinus in Ep. ad Sixtum 105. nunc 194. num. 1. & manifeſtum eſt cuique legentium. Priori ergo loco docet Paulus Abraham juſtificatum non ex circumciſione, neque ex operibus, ſed per gratiam Dei, & per fidem, *Ne circumciſio gloriaretur, gentemque incircumciſam ad fidem Chriſti nollet admitti,* inquit Auguſtinus de Civit. Dei lib. XVI. cap. 23. Et quidem cohærenter ad Apoſtolum è veſtigio hæc proloquentem: *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Ut ergo eo loci Paulus non denegat juſtitiam operibus fidei conjunctis, ita nec inficiatur circumciſionem *ex fide* Mediatoris juſtificaſſe. Idem eſt ſenſus verborum, quæ ſecundo loco opponuntur, ubi Paulus demonſtrat circumciſionem nudam, & independenter à fide Chriſti non fuiſſe regenerationis ſignaculum, quandoquidem Abraham juſtificatus fuerat adhuc præputiatus; ideoque ex fide, poſteaquam indicta fuit, expiaſſe peccata. Propterea addit: *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, ſed per juſtitiam fidei.* Tertio quoque loco demonſtrat, etiam gentes præputiatas, præter Judæos circumciſos, ad Chriſtum invitandas: nec Judæis gloriandum, quod legem, & circumciſionem acceperint; quo-

quoniam circumcisio carnis, & lex quatenus spectant ad vetus testamentum, ritusque Judaicos, absque fide Christi, & absque circumcisione cordis in spiritu, nihil aliud conferunt utilitatis, nisi notitiam præceptorum, & eloquiorum Domini, quæ peccatum redarguunt, non tollunt: ideoque semper, & in uno quoque statu Justitia repetenda est à fide Christi, sine qua lex fuisset inutilis, & circumcisio carnis vulnus, non justitiæ signaculum. Hinc eodem capite inquit Apostolus: *Justitia autem Dei per fidem JEsu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Quarto denique loco agit Apostolus adversus eos, qui legem Moysis non à Christo abrogatam, sed ad salutem necessariam esse autumabant; cum lex desierit obligare, & circumcisio fuerit sacramentum quidem, sed *illius temporis*, & quæ adimpletis, quæ prænuntiabat, remanet nuda, & nihil valet; quemadmodum nihil valet præputium; id est, sine fide, quæ per charitatem operatur, nec Judæus circumcisus consequi potest salutem, nec gentilis præputiatus. Brevi dicam: Apostolus pertractat de necessitate fidei, de vocatione gentium, & de legis abrogatione, minime negans Judæos ex fide Mediatoris fuisse circumcisione purgatos, & observatione legis salutem assecutos; cum Israelitarum fuerit *adoptio, filiorum & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Ad Rom. IX. 4.

9. Paritas inter Baptismum & circumcisionem urget adversarios.

Nota, quod si quis de Baptismo, quem institutum in peccati medelam nemo unus ambigit, assereret salvum facere, quatenus est ablutio carnis externa, non verò in quantum est ἐπερώτημα *bonæ conscientiæ*, hoc est, *arrabo*, pignus, ac demonstratio interioris fidei expressa ipsâ externa baptismatis ceremonia; adversus id sentientem, asserendum nobis esset in baptismate salvos nos fieri, sed non per aquæ ablutionem; nam id docet Apostolorum Princeps Epistola 1. cap. III. 21. illis verbis, *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Ubi per depositionem sordium carnis intelligi externam ablutionem aquæ, sive lavacrum corporis docent Lyranus, Estius, Menochius, A Lapide, alii. Quid ergo mirum, si Judæis de circumcisione, & lege superbientibus, inquit Apostolus, *Lex non justificat, circumcisio nil valet?* Etiam baptismus nil valet, quatenus est corporis lavacrum; valet tamen plurimum, in quantum est fidei signaculum, & Sacramentum, quod, tanquam res typo, circumcisioni successit.

10. Objectio 3. SS. P.P.

Tertio loco opponuntur nobis Patres, qui unanimiter tradunt circumcisionem datam in signum Judaici populi. Horum vero testimonia produximus prop. 2. At quoniam postea demonstravimus, agnosci ab iisdem Patribus institutæ circumcisionis causas alias; diluenda ea loca remanent, in quibus videntur apertè affirmare, quod nullo pacto circumcisio fuerit in originalis culpæ remedium. Itaque Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 241. de Abrahamo inquit, *Circumcisionem in signum, non in justitiam accepit;* postea circumcisionem non justificasse probat ex quo circumcisæ non fuerint mulieres his verbis: *Et quod genus muliebre circumcisionis carnalis capax non est, satis ostendit in signum datam circumcisionem istam, & non ut justitiæ opus.* Atque Justinum docuisse, circumcisionem minime datam Judæis, ut justi inde fierent, & originale eorum deleretur peccatum, indubitatum esse contendit in Apparatu ad Bibliothecam maximam Tom. 2. cap. 6. §. 23. Cl. Nicolaus Le Nourry 11. Irenæus lib. IV. cap. 16. pag. 246. ait: *Quoniam autem circumcisionem non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, &c.* & infra: *Non per hæc justificabatur homo.* Chrysostomus hom. 27. in Genesim pag. 331. statutam docet circumcisionem, *non quod ad animæ salutem proficere posset aliquid, sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum, & sigillum circumferrent Judæi:* & hom. 29. in Genes. pag. 568. *Cur enim,* inquit, *octo dierum infans circumciditur? Tempus autem definitum à benigno Deo duabus de causis opinor: una, ut in ætate immatura facilius circumcisionis in carne molestiam ferre queat; alia ut rebus ipsis disceremus, quod id animæ nihil conducat, sed hoc fiat signi gratia.* Adde Tertullianum adversus Judæos cap. 2. & 3. Epiphanium hæresi 8. ac 30. Ambrosium epist. 74. ad Irenæum, & alios.

11. Respondetur 1. generaliter ad P.P.

Resp. laudatos Patres nequaquam adversari Augustino: quippe dum inquiunt, circumcisionem fuisse signum ea causa datum Judæis, ne gentibus commiscerentur, illam tantum considerant, ut carnis signaculum, ut sejunctam à fide Mediatoris, ut aliquando abrogandam; haud denegantes circumcisioni, quatenus erat religionis symbolum, fideique

que in promissum Reparatorem signum protestativum, ac Sacramentum, prærogativas alias complures : alioqui iidem Patres quomodo tam diserte affirmassent, ipsammet carnis circumcisionem fuisse fœderis cum Abraham initi, divinarumque promissionum symbolum, typum baptismi, signum innovationis spiritus circumcisionis cordis, exspoliationis carnis, quæ nonnisi ex Divina institutione possunt rei sensibili convenire ? quomodo etiam asseruissent, circumcisionem fuisse signum *illius temporis*, cum etiamnum Judæi in tesseram gentis suæ illam circumferant ? Aliter ergo de circumcisione nuda, & legali, aliter de ea, ut symbolo ac sacramento, ratiocinandum est nobis ; & antiqui Patres recentioribus eodem lumine pro divinarum gratiarum mensura collustratis, hac ratione conciliandi.

12. Respondetur 2. specialiter ad Justinum.

Singillatim verò hæc repono. De Justino ait eo loci Le Nourry, aliter visum *Augustino, aliisque Patribus*. Potest hæc responsio adhiberi. Nunquid enim Justino subscribimus, ubi in 2. Apologia adstruit Angelorum cum mulieribus concubitum, ubi in Apologia prima pronuntiat dæmones nondum sempiterno igne torqueri, ubi in Dialogo cum Tryphone adhæret Millenariis, quæ dogmata tunc temporis nondum explorata, posteri diligentius discussa abjecerunt ? At responsio nostra est, Justinum ibidem contra Judæos disputantem duo commonstrare : unum quod circumcisio salutem non contulerit natura sua, nec sit proinde quolibet tempore necessaria ; alterum, quod etsi plura in ea latebant mysteria, adimpletis tamen figuris erat omnino abroganda. Ut primum ergo demonstret, eadem pag. 241. inquit : *Videtisne elementa, & primordia rerum non cessare, neque sabbata agere ? Manete sicut generati estis. Si enim ante Abraham non fuit usus circumcisionis, neque ante Moysen celebrationis sabbati & feriarum & oblationum ; neque nunc quidem post filium Dei JEsum Christum consimiliter eis est opus.* Ut alterum evincat, ait : *Atque illud etiam, ô viri, ego ostendere possem diem octavum circumcisionis arcanum quoddam præ septimo sacramentum habuisse, quod per hunc à Deo promulgatum sit : verum ne in præsentia in alterum divertere sermonem videar, intelligite quod clamo, sanguinem circumcisionis illius abrogatum esse, & sanguini nos salutari credidisse : aliud nunc esse fœdus & testamentum, & aliam exivisse ex Sion legem, JEsum Christum.* Ex quibus constat Justinum de circumcisione nuda, & abroganda contra Judæos disputasse.

Ad Irenæum.

Ad Irenæum respondet Fevartentius, *eidem refragari universas Patrum Scholasticorum scholas cum suo Principe D. Thoma.* Verum scopus Irenæi est adversus Marcionem demonstrare vetus testamentum non fuisse opus diaboli, neque contrarium novo : quod Irenæus probat ex quo ceremoniæ legis fuerint Evangelicæ gratiæ symbola ; & circumcisio non conferret consummationem gratiæ, sed gratiam cujus plenus effectus adimplendus erat à Christo ; nec justificaret tanquam ceremonia legalis, sed ut symbolum Christi venturi : unde aperte refutatur Marcion, quoniam Diabolus Christi adversarius non instituisset vetus testamentum tanquam typum novi, & venturi Salvatoris prænuntium. Præterea ibidem Irenæus non ait circumcisionem non contulisse gratiam, sed non fuisse *consummatricem justitiæ*, id est, non effecisse, ut circumcisi pervenirent ad regnum : quod præstat, reseratis à Christo cælorum januis, baptisma ; negatque illam fuisse *signum otiosum & absque symbolo* ; quia significabat exspoliationem carnis, tenebat locum baptismi, & per fidem Mediatoris justitiam impertiebatur.

Ad Chrysostomum.

Quod attinet ad Chrysostomum, priori loco sermonem instituit de Circumcisione nuda, & à Christi fide sejuncta. Sequitur enim, *Quid igitur superbis, Judæe, in circumcisione ? Disce, quod ante hanc fuerint justi multi :* productisque exemplis Abel, Henoch, Noe, & Abrahami, *Sic ab initio*, inquit, *humanum genus salutem per fidem assecutus est.* Ex quo autem Chrysostomus justitiam attribuat fidei, non sequitur quod excludat circumcisionem, tanquam symbolum fidei protestativum ; quemadmodum ex adversariorum sententia, (plurimorum saltem, ac recentiorum,) in statu naturæ ita imputabatur justitia fidei, ut non excluderentur *Sacramenta*, & signacula sensibilia. Eodem pacto excipiendus est locus alter ; nam aliàs Chrysostomus absurda ibidem doceret. Probans enim circumcisionem ad salutem non conducere, immediatè sequitur : *Puer enim immaturus, cum ea quæ fiunt ignorat, neque sensum eorum habet, quam inde in anima sua utilitatem accipere poterit ? Illa enim sunt verè bona animæ, quæ ex electione fiunt : animæ quippe bonum opus est virtutem eligere, & malitiam fugere.* Ergone baptismus, dum suscipitur à parvulo, quia igno-

ignorat quæ fiunt, nec sensum habet, nec ipsum baptismum eligit, nihil ei affert utilitatis? Affert utique, nisi sit ablutio carnis profano ritu, & præter Christi institutionem administrata: atque ita sine ulla arbitrii electione potuit circumcisio parvulis opitulari, non tamen ut abscissio præputii est, & nunc fit à Judæis *carnaliter*, & absque ullo ad Christum respectu. Recte Bernardus cap. 2. ad Hugonem: *Sane parvulis & necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio, tamdiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta non fuisse constiterit.*

Opponunt ultimo. Etiam post institutam circumcisionem parvuli, qui ante diem octavum decedebant, per remedium legis naturæ eripiebantur à damnatione, juxta communiorem Theologorum sententiam. Idem assendum de fœmellis. 13. Objectio 4.

Præterea quadraginta annis in deserto, Josue v. non fuerunt pueruli circumcisi, quod in solitudine inclusi distinguerentur etiam præputiati à nationibus reliquis, ut inquit Theodoretus q. 3. in Josuen, & Damascenus lib. IV. cap. 26. Demum circumcisio Abrahæ justitiam non contulit: ergo nec Abrahæ posteris. Confirmatio.

Ad Tertullianum, Eadem responsine eliduntur, quæ ex aliis Patribus produci possunt. Tertullianus enim demonstat adversus Judæos circumcisionem fuisse abrogandam, quoniam in se inspecta non erat in salutis prærogativam, sed in signum temporis illius. Idem est sensus Epiphanii, qui hæresi VIII. scribit, tamdiu fuisse in usu, quoad subsequeretur circumcisio altera spiritalis, id est, baptismus. Hæresi autem XXX. primo docet, quod circumcisio olim *non erat perfecta*, quia erat futurorum signum: deinde ait non fuisse effectricem gratiæ se ipsa, & *jure quodam hæreditario*, quia sine circumcisione justificabantur mulieres: tandem ex his contra Ebionæos infert, modo circumcisionem non prodesse ad salutem: *Nihil igitur modo* (inquit) *illa carnis circumcisio prodest.* Græce; οὐδὲν ἄρα ἰσχύει ἡ νῦν ἐν σαρκὸς περιτομὴ. *Modo*, ait, νῦν, non ante abrogationem. Ambrosius denique ad Irenæum scribens affirmat tantum circumcisionem fuisse sensibile signum circumcisionis spiritus. Cum hi ergo facile possint cum Augustino, magno Gregorio, aliisque conciliari, perperam affirmatur inter utrosque magnum versari dissidium: quamquam si foret; Augustino subscribendum esset, quoniam contra Pelagianos decertans hanc in rem totus incucubit, ejusque sententiam posteriores Patres, & Scholarum duces amplexi sunt; nec desunt, qui asserant *inter Ecclesiæ Catholicæ decreta jamdudum relatam*, ut inquit Fevardentius in Irenæum pag. novæ edit. 153. Cæterum licet hæc sententia contineatur in c. *Quod autem*, & can. *Ex quo*, III. P. decreti, de Consecrat. dist. IV. n. 5. & 6. necnon cap. *Majores*, III. Decretalium Gregorii IX. tit. 42. n. 3. ad fidem nequaquam spectat.

Epiphanium & Ambrosium.

Resp. *Sacramenta* vim justificandi habere juxta voluntatem Institutoris. Cum itaque Gen. XVII. circumcisio indicta sit tantum masculis, & die octava; & parvuli ante hanc diem decedentes, & fœminæ per solum legis naturæ remedium, sive per fidei protestationem factam aliquo signo sensibili, salutem consequebantur. Neque dicas, Si circumcisio non erat necessaria puerulis ante octavum diem, nec fœmellis, nec extra hebraicum populum servantibus naturæ legem; eccur fingitur instituta in remedium peccati? Dura enim remedia, ut inquit Bernardus, congruebant servis, quemadmodum facilia redemptis. Demonstrandum quoque erat communem omnibus esse gratiam, non legem. Quia duro remedio uti sine vitæ discrimine non poterant Judæi in pupulis nuper natis; in his indultum est per dies octo. Fœminæ item exemptæ, quoniam ætate provectiores dolore partus, & calamitatibus plurimis erant excruciandæ: istis propterea pro circumcisione deservisse sacrificium partus, vulgata est Judæorum opinio. Dispensatum cum gentibus, ne Judæi gloriarentur salutem haberi per legem; & quoniam ii, qui participes non erant eloquiorum Domini, adhibere non poterant præscriptum lege remedium, & pro solis Judæis institutum. Si tamen gentiles voluissent accedere Judaismo, aut Phasè Domini celebrare, subeunda illis erat circumcisio præputii. Hæc respondere malumus, quàm cum Magistro in IV. dist. 1. §. ult. respondere, parvulum ante diem octavam demortuum periisse, aut forte ingruente necessitate ante præfixam diem præputio mutilatum: primum namque videtur absurdum, ac nimis rigidum; alterum refutatur perpetua Judæorum consuetudine. 14. Respondetur ad Objectionem. Improbatio diluitur. Relinquitur opinio Magistri sext.

Respondetur ad Confirmationem.

Natos in deserto non fuisse circumcisos ex Divina dispensatione tradunt permulti, quoniam ad Dei nutum Hebræis castra movenda erant: sed hujus dispensationis nullum extat vestigium. Ratio à Theodoreto, & Damasceno producta neque omnibus adversariis nostris probatur; quippe circumcisio data fuit etiam in signum fœderis initi à Deo cum Abrahamo, in typum circumcisionis spiritalis, & in symbolum, ac promissionem Christi: unde nec in solitudine debebat omitti; alias omittenda quoque fuisset, si omnes habitatores terræ Chanaan religionem suscepissent Judaicam, aut aliqua Hebræorum familia solitariam vitam egisset. Opinio Talmudistarum asserentium prætermissam circumcisionem, quoniam in deserto flabat borealis ventus, vulnera exasperans, adeo insulsa est, ut confutatione non egeat. Subscribendum est ergo Augustino docenti in deserto prætermissam circumcisionem negligentia, culpa, & incredulitate parentum. *Quidam enim de Aegypto exeuntium filii*, (inquit S. P. q. IV. in Josuem) *in illo populo incircumcisi erant, quos potuit circumcidere JEsus; illorum scilicet filios, qui genuerunt in deserto, & contempserunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei.* Hanc sententiam non rejicit magnus Aquinas 3. p. disp. 70. art. 4. ad 3. probabiliorem censet Estius in IV. dist. 1. §. 31. veram esse demonstrat Vasq. in 3. p. disp. 164. cap. 2. Inconcussa apparebit legenti librum Numerorum capite XIV. 3. & Josue v. 6.

Quod postremo loco dictum est de Abraham, his verbis diluitur ab Augustino lib. IV. de Baptismo cap. 24. num. 31. *Sicut ergo in Abraham præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei; ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo suæ nativitatis die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei; & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præceserat: ita in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum; & si Christianam tenuerint pietatem, sequetur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore.* Hactenus de Circumcisionis institutione, & origine.

# CAPUT V.

## Pertractatur de numero Sacramentorum Legis gratiæ.

### *SUMMARIUM.*

1. in Lege gratiæ quædam instituenda fuisse sacramenta, etiam hæretici concedunt.
2. Circa numerum tamen variant.
3. Communiter recipiunt duo.
4. usque ad 9. Probatur numerus septennarius sacramentorum.
9. Augustinus non tantùm admisit duo Sacramenta.
10. 11. Solvuntur objectiones ex S. Scriptura desumptæ.
12. & 13. Item depromptæ ex traditione, & Patribus.
14. & seqq. Satisfit reliquis objectionibus.

1. Nec Catholici, nec hæretici negant Sacramenta quædam instituenda fuisse in Lege gratiæ.

IN nova quoque lege fuisse instituenda *Sacramenta* nullus sive Catholicorum, sive hæreticorum negat, si eos excipias, qui se agi solo interiori spiritu autumantes nullis visibilibus signis utuntur. Coadunari siquidem in veram Christi religionem debemus signaculis sensibilibus; egemusque ob naturæ infirmitatem, ac vulnera Divinæ gratiæ instrumentis, quibus sanemur, erigamur, & perficiamur. Ablatis itaque sacramentis veteribus, quoniam impletum est quidquid prænuntiabant; *alia instituta sunt*, inquit lib. XIX. contra Faustum sapientissimus Augustinus, *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Majora *virtute*, quia gratiam non solum promittunt, sed etiam conferunt: meliora *utilitate*, quia non solum à perditione subtrahunt, verum etiam perducunt ad regnum: faciliora *actu*, quoniam non perficiuntur mutilatione carnis, mactatione pecudum, oblatione munerum; sed humilitate cordis, communibus elementis, liberali dispensatione; pauciora *numero*, quoniam innumeris expiationibus Pœnitentia una successit, tantisque Arcæ, & mensæ mysteriis Panis duntaxat Eucharisticus.

2. Novatores circa numerum Sacramentorum plurimùm variant;

De *Sacramentorum* numero nunc dicturis bellum intentant Novatorum phalanges, qui modò unicum *Sacramentum* admittunt, ut Lutherus; modò duo, ut Calvinus, & Philippus Melanchthon; nunc tria, ut Brentius, &

& idem Philippus in Apologia Augustana, & Confessio Witthembergensis: aliquando quatuor, ut Lucas Lossius in Cathechismo: nonnunquam sex, ut Wilhelmus Postellus in principio libri, quem inscripsit *Panthenosian*. Collegit varias hæreticorum sententias Lindanus lib. IV. Panopliæ cap. 6. Jacobus Latomus adversus Tindalum pag. 193. Bellarminus lib. II. Sacr. cap. 23. Merbesius 3. P. q. 2. Cardinalis Gotti Tom. XIII. q. 3. dub. 2. &c.

3. Communiter recipiunt tantum duo.

Verùm communis, & magis recepta hæreticorum sententia est, *Sacramenta* propriè dicta esse tantum duo, id est, *Baptismum*, & *Cœnam*, ut scribunt Lutherus sub finem libri de Captivit. Babyl. & Calvinus in Antidoto adversus Sessionem septimam Tridentini. At contra hanc perversam, hæreticamque sententiam propugnant Catholici omnes, (uno excepto Durando, qui in IV. dist. 26. q. 3. etsi aliquo sensu Matrimonium esse Sacramentum pronuntiet, negat tamen in producendo gratiam convenire cum Sacramentis cæteris) *Sacramenta* esse septem, videlicet, *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium*, ut sancivit die 3. Martii anno 1547. sess. VII. canone primo Oecumenica Synodus Tridentina.

4. Propositio I. Septem sunt Sacramenta.

Probatur 1. ex Scripturis.

PROPOSITIO I. Septem sunt, nec plura, nec pauciora, Ecclesiæ *Sacramenta*, nuper commemorata.

Catholica hæc veritas demonstratur primo è Scripturis; quæ de Baptismo agunt Matt. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. item Marci XVI. 16. Ad Ephes. v. 26. ad Coloss. II. 12. prima Petri III. 21. &c. De Confirmatione legimus Act. VIII. 27. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* De Eucharistia Mat. XXVII. 26. & I. ad Corinth. XI. 23. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, &c.* atque Joannis VI. 41. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Pœnitentiæ institutionem, & vim gratiam conferendi ostendit quod legitur Joan. XX. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Spectat ad Unctionem-extremam quod in Epistola Cath. ait Jacobus cap. V. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ordinis meminit Paulus I. ad Timoth. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii;* & 2. Epist. cap. I. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* De Matrimonio denique Matth. XIX. 6. scriptum extat, *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* & ad Ephesios v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Hæc autem scripturarum sanctarum loca, ubi singillatim disputabitur de quolibet Sacramento, vindicabimus ab ineptis perversisque cavillationibus hæreticorum.

5. Probatur 2. ex Conciliis.

Corroborant deinde Ecclesiæ dogma sanctorum Conciliorum definitiones. missis Constitutionibus Ricardi Poore-sarum Episcopi, de quibus vide Tom. XI. Concil. Labbei pag. Paris. edit. 250. Londonense Concilium celebratum anno 1237. auctoritate Ottonis Apostolicæ Sedis Legati, eodem Volum. XI. pag. 532. hæc habet: *Sacramenta principalia, quæ sunt, & quot, propter simpliciores duximus exprimendas, sunt enim Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema-unctio, Matrimonium, & Ordo.* Constantiense Concilium celebratum anno 1415. eundem numerum Sacramentorum agnoscit, ubi sess. XV. damnat articulum VIII. Joannis Hus asserentis, *Sacerdotes quocunque delibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infidelium sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, &c.* Vide memoratæ Collect. Tom. XII. pag. 130. At Concilium Florentinum, & Romanus Pontifex Eugenius IV. in Decreto unionis edito anno 1439. Tom. XIII. pag. 534. ita definit: *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia extrema unctio, ordo, & matrimonium.* Recensentur eodem ordine septem Sacramenta in Tridentino Canone paulo supra citato, Tom. XIV. pag. 776. hunc in modum: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia à JEsu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.*

6. Probatur 3. ex Traditione Ecclesiarum, præsertim Romanæ.

Tertiò probatur Ecclesiarum traditione: ut enim scribit Tertullianus de Præscript. cap. 21. *Sine dubio tenendum est, quod Ecclesiæ ab Apostolis,*

*Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Traditionem hanc esse in Ecclesia Romana omnium aliarum Magistra, commonstrant quæ nuper produximus œcumenicorum Conciliorum, Florentini ac Tridentini decreta: quæ etsi post sæcula multa fuerint celebrata, numerum tamen *Sacramentorum* non primo invexerunt, sed tanquam omnibus compertum recensuere, ita, ut nihil haberent hac in re quid Florentinis Patribus opponerent ipsi Græcorum schismatum Auctores. II. Longe ante memoratas Synodos de baptismo, pœnitentia, matrimonio, & reliquis Sacramentis emisit decretalem, *Ad abolendam*, lib. v. Decret. Greg. tit. 7. cap. 9. Lucius III. qui anno Domini 1181. iniit summum Pontificatum. III. Floruit paulo ante, & circa annum Domini 1140. Magister sententiarum Petrus Lombardus, qui septenarium *Sacramentorum* numerum adstruit in IV. dist. 2. Is verò non semel ab adversariis erroris insimulatus est circa alia doctrinæ capita: articuli enim ejus sex ac viginti, ut constat ex additione ad IV. sententiarum libros rejiciuntur: nec defuere, qui ipsum hæresis nomine detulerint ad Alexandrum III. Illum quoque exagitavit Joachim Abbas circa Sanctæ Trinitatis dogma orthodoxum; tametsi sententiam Lombardi probarit sub Innocentio III. Lateranense Concilium. Quod tamen spectat ad numerum *Sacramentorum*, in nullo Commentariorum, quorum supra duo millia in lucem feruntur prodiisse, illius sententia refellitur. Traditionis autem antiquæ indicium est omnium conspiratio, ut diximus IV. Volum. pag. 276. Idem asserendum de Hugone Victorino, qui floruit circa annum 1130. & tertio suorum operum Volumine de omnibus septem *Sacramentis* eruditè pertractat. Floruerunt quoque ante Florentinum percelebres alii viri, qui tradiderunt eundem *Sacramentorum* numerum, ut Lucas Tudensis, qui vixit circa annum 1240. & de septem *Sacramentis* scripsit libro 2. adversus Albigenses Tom. XXV. Biblioth. PP. pag. 214. & Paschasius Ratbertus, qui obiit anno 1351. & septem *Sacramentorum* novi Testamenti meminit lib. IV. in Lament. Jeremiæ Tom. ejusdem Biblioth. XIV. pag. 812. IV. Eandem Romanæ Ecclesiæ traditionem comprobant testimonia veterum suis quæque locis producenda.

Item Africanæ.

Africana Ecclesia Romanæ conterminа, ac dogmate conjuncta septem *Sacramentorum* usum adstruit, ut disserт. 2. de Ecclesia Africana demonstrat eruditus Schelstratenus. Tertullianus enim illius Ecclesiæ antiquissimus c. 40. de Præscript. commemorat baptismum, confirmationem, & Eucharistiam: quæ tria in idolorum mysteriis diabolus æmulatur. Cyprianus de baptismo pertractat epist. 23. de Confirmat. ep. 70. de Eucharistia epist. 63. ad Cæcilium. Optatus quoque Milevitanus baptismatis meminit libro adversus Parmenianum primo, & Eucharistiæ lib. 2. De Sacramento pœnitentiæ agunt Tertull. de Pœnit. Cyprianus de lapsis, Victor Vitensis lib. 2. de Persecut. Vandalica. De Sacramento Ordinis Concilium Carthaginense IV. De Matrimonio Tertullianus de Monogamia cap. 5. De Unctione extrema Auctor libri de beatitudine Catholicæ conversationis. De omnibus verò Sacramentis fulgidissimum Africanæ Ecclesiæ lumen Augustinus: de quo nonnulla infra, quoniam Calvinus autumat Sanctum Patrem duo tantum *Sacramenta* agnovisse. Profecto quæ hic innuimus, erunt locis distributa suis, ac interim sat erit legere eo loci Schelstratenum.

Orientalium.

Orientales Ecclesias perpetuò septem *Sacramenta* agnovisse, facillimum est demonstrare. Primò enim singulorum inveniuntur apud eos Ritualia, quorum pleraque edidere Jacobus Goar, & Isaac Habertus; collegitque illustriora Edmundus Martene. Recte Allatius contra oppugnantes Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensum, pag. 820. *Si cæci non sunt*, inquit, *Græcorum rituales libros, Menæa, Triodia, Pentecostaria, Paracleticas, Euchologia sibi comparent, percurrant, examinent.* II. Eandem Ecclesiæ Græcorum traditionem inferimus ex illius Ecclesiæ conspicuis, clarissimisque Scriptoribus. Photius primùm, quamvis à Romana Ecclesia schismate separatus, in Biblioth. cod. 222. pag. 595. præter baptismum, & Eucharistiam, alia sacramenta commemorat. Simon Thessalonicensis, cujus opera extant Tom. XXII. Biblioth. PP. plura de Eucharistia, de Ordine, & de Pœnitentia pertractavit. Plura de septem Sacramentis Epiphanius Græcus in libro de Religione Christiana à Petro de Monte Brixiensi latinitate donatus. Gabriel Philadelphiensis de septem *Sacramentis* prolixè agit, inter opuscula à Simonio collecta

lecta de fide Orientalis Ecclesiæ pag. 32. Joannes Paleologus septem Sacramenta profitetur in Confessione fidei : quam vide apud Raynaldum Tom. XVI. Annal. Eccles. ad annum Ch. 1369. n. 2. III. Exortis recentioribus Lutheri & Calvini hæresibus, accepta à Witthembergensibus Confessione Augustana, anno 1576. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus gravissimam Censuram rescripsit latinitate, & luce donatam à Stanislao Socolovio : in qua cap. VII. pag. 59. legitur ex Patrum traditione, *unam sanctam Catholicam, & Apostolicam totius populi Christiani Ecclesiam esse : eorum hominum, qui ea omnia, quæ legibus antiquis perscripta sunt, à sacrisque canonibus definita ab ipso denique spiritu Dei per sanctos Patres sancita & firmata, pie & sanctè servant & tuentur : in ea item ipsa Catholica & orthodoxa Ecclesia septem Divina Sacramenta esse, baptismum scilicet, sacri unguenti unctionem, sacram communionem, ordinem, matrimonium, pœnitentiam, & extremæ unctionis oleum,* & pag. 65. *Hæc igitur sunt Ecclesiæ Dei Sacramenta, totque numero, hocque modo & ratione, quod dictum est, nobis tradita.* Memoratus Gabriel Philadelphiensis Metropolita in libro de Sacramento Pœnitentiæ edito Venetiis anno 1600. & 1651. à Morino in Appendice ad Commentarium de sacris Ordinat. pag. 151. tractans de iis, quæ Sacerdos exquirere debet à Pœnitente, ait : *Præterea interrogabit eum, num dubitet de septem jam dictis Ecclesiæ Sacramentis.* V. Anno 1642. à Parthenio Constantinopolitano Archiepiscopo celebratum est Concilium, cujus acta extant apud Labbeum Tom. XV. pag. 1714. ibique num. XV. de Calvino ita legitur : *In decimoquinto negat Ecclesiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram unctionem, sacrum oleum, confessionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias; quæ omnia, ut sacra, & Divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.* Proximo num. XVI. asseritur, Calvinum nec de aliis duobus, *Baptismo* scilicet, & *Eucharistia* recte sentire, quoniam tenet justificatum in baptismo non posse justitiam amittere, in Eucharistia autem negat verum Christi corpus adesse. Coptos Jacobitas recipere Sacramenta septem demonstrat eruditus Sollerius in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos, sect. III. pag. 140. ex Vanslebio, Coptorumque Ritualibus. Adeas Act. SS. Boll. Tom. V. Junii; necnon Goarium in Eucholog. Græca pag. 367. Leonem Allatium de Ecclesiæ Occiden. & Orientalis perpetua consensione lib. III. cap. 17. pag. 1297. Petrum Arcudium de Sacramentis lib. I. cap. 2. pag. 5. Emmanuelem à Schelstrate de Disciplina Arcani cap. VII. art. I. pag. 105. Franciscum nostrum Farvacques de Sacram. in gen. cap. 3. §. 3.

Æthiopica. Clarissimus Estius in IV. dist. I. §. 13. scribit hunc numerum *Sacramentorum* teneri etiam ab Ecclesia Æthiopica, ut patet ex Damiano à Goes, qui de eorum religione scribens singulorum meminit. At lapsus est Theologus accuratissimus, nam in libro de Fide Æthiopum edito Lovanii anno 1540. & 2. Volumine Hispaniæ illustratæ pag. 1307. habetur Æthiopes, *neque confirmationem, neque extremam unctionem olei habere pro Sacramentis.* Verum in eo fidei Æthiopum libello permulta continentur absurda, ut, animam universorum hominum semine generari, & esse lucernam ex anima Adæ ab initio orbis succensam; servandam ex Apostolorum instituto circumcisionem; infantes in uteris matrum existentes *Sacramento* corporis Christi enutriri, & sacrari, aliaque id genus inepta & puerilia. Sciendum tamen est illam de fide Æthiopum narrationem esse cujusdam Æthiopis, cui nomen Zaga-Zabo, legati ad Joannem III. Lusitaniæ regem, & labefactatæ religionis : nam David Æthiopum imperator in literis ad Clementem VII. Pontificem Romanum datis anno 1524. eundem verum Dei vicarium, Romanam Ecclesiam sanctam, & Apostolicam, hujusque dogmata inconcussa esse fatetur. Davidis epistolam profert eo loci Damianus à Goes. Ejusdem meminit Raynaldus Tom. XIX. ad annum 1533. n. 23. Liquet etiam ex Opusculo Petri Abbatis Æthiopis, cuso Romæ anno 1549. continente *Notas in Ritum baptismi*, fol. 19. Æthiopes agnoscere *Sacramentum* confirmationis, sed illud conferre statim post baptismum : quod & comprobat *Ordo confirmationem administrandi*, Tom. XXVII. Bibl. PP. pag. 643. Atque hinc patet, cur præcitatus Zaga-Zabo erraverit dicendo Æthiopes Confirmationem inter *Sacramenta* non recensere; quod nimirum una cum baptismo, non separatim, illam noverit ministrari. Postremo Æthiopes Orthodoxi recipiunt professionem fidei ipsis ad Urbano VIII. præscriptam, in qua continetur Ptenarius Sacramentorum expressus numerus. Atque his satis arbitror manifestam

festam Ecclesiæ universalis in hoc catholico dogmate consensionem.

7. Probatur 4. ex assensu hæreticorum.

Quarto loco producam ipsorum hæreticorum assensum. Ac primo Hussitæ, dum ipsos ministros septem *Sacramenta* non conficere dogmatizabant, (ut constat ex sess. xv. Concilii Constantinensis) illorum profecto numerum universis, singulisque compertum minime inficiabantur. Anglos sub Henrico VIII. septem *Sacramenta* retinuisse, manifestum est, & ex confessione hæreticorum demonstratum à Bossuet lib. VII. Hist. Variat. num. 37. Lutherani in Apologia Confess. Augustanæ ad art. XIII. tria Sacramenta recipiunt, *baptismum, confirmationem, absolutionem.* Ordinem inquiunt non esse rejiciendum, si accipiatur pro verbi Dei ministerio. Haud negant confirmationem, & unctionem extremam sacras ceremonias esse, à Patribus derivatas: in matrimonio Divinam institutionem agnoscunt; ideoque numerum *Sacramentorum* non rejiciunt, nisi quatenus sententia nostra vim habent gratiam efficiendi. De numero ergo *Sacramentorum* frustra blaterant. Videsis illustrem Bossuetium præcitati Operis lib. III. num. 48. Valdenses, quos plurimum reformatæ, ut dicuntur, Ecclesiæ commendant, nullum *Sacramentum* inveniuntur negasse, sed ceremonias duntaxat. Lutherus de Captivit. Babylonica, & in Respons. ad articulos inde extractos, scripsit se *non damnare septem Sacramenta,* quamvis existimaverit non posse ex scripturis probari. Philippus Melanchthon in locis suis communibus posterioribus inquit se *non rixaturum cum quoquam de numero Sacramentorum.* In Conventu Ratisbonensi nulla fuit hac de re controversia. Adeas Consultationem Cassandri ad articulum 13. Confessionis Augustanæ. Demum Grotius in discussione Rivetiani Apologetici Tom. IV. pag. 698. ait: *Sacramentorum vox, quamquam per se latius patet, potuit tamen strictius sumpta ad septem illos actus externos interna significantes referri, quorum augustior in Scripturis est mentio, ut Baptismi, Matt.* XXVIII. 19. *Marci* XVI. 16. *Confirmationis, Act.* VIII. 17. *Eucharistiæ, Matt.* XXVI. 26. *Marci* XIV. 22. *Lucæ* XXII. 18. 1. *Corinth.* XI. 23. *Ordinationis,* 1. *Timoth.* IV. 14. V. 22. II. *Tim.* I. 6. *Pœnitentiæ, Matt.* XXVIII. 18. 1. *Corinth.* V. 11. II. *Corinth.* II. 7. *Matrimonii, Ephes.* V. 32. *Unctionis infirmorum, Marci* VI. 13. *Jacobi,* V. 14. *Eminere inter ea, quæ veterum more Sacramenta dici possunt, illa septem agnoscunt & Lutherus, & Melanchthon.*

8. Probatur 5. numerus septenarius Sacramentorum, variè.

Tandem etiam probabili ratione confirmatur prædictus numerus Sacramentorum. *Per baptismum enim,* inquit Florentinum Concilium cit. pag. 534. *spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur Divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam, & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam Unctionem: per ordinem vero Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur.* Consimilis est ratio D. Thomæ 3. p. q. 65. art. 1. exemplo earum rerum, quæ temporali vitæ necessaria sunt, confirmata: & quam profert Catechismus Romanus P. II. cap. 1. num. 20. Gabriel Philadelphiensis paulo supra laudatus cap. V. demonstrat septem esse sacramenta ex Theologalium, & Moralium virtutum numero, deinde ex septem donis Spiritus sancti, tum ex septem columnis, quas Sapientia excidit ad Ecclesiæ fulcimentum, ex septem buccinis, quæ muros urbis Jericho funditus everterunt, ex septem lucernis, quas vidit Propheta Zacharias, ex septem Naaman Syri lavationibus in Jordane, ex septem gradibus eorum, qui vitam agunt spiritualem, ex septem denique donis præcipuis resurgentium. Plura in his digna lectu. Hieremias Patriarcha in Censura Calvinianæ hæresis hujus septenarii numeri hanc ex Simone Thessalonicense profert congruentiam, petitam ex incommodis, quæ ex Adæ lapsu promanaverunt: *Baptismus* (inquit) *nos per Spiritum sanctum regenerat, cum mundam illam & impassibilem generationem nostram vitio primi parentis perdiderimus, & iniquitatibus concipiamur. Sacrum porro Chrysma, sive confirmatio, primum illud sigillum imprimit, ipsamque imaginem Divinam in nobis renovat, roburque animæ auget, quæ omnia inobedientia primi nostri parentis vel deperdita, vel labefactata fuerunt. Sacra vero communio nos cum Christo jungit: per eamque veri corporis, & sanguinis ejus participes efficimur. Et ut per illam lethalem escam omnes mortui sumus, ipsoque paradiso ejecti, ita per corporis & sanguinis JEsu Christi spirituale alimentum vitæ æternæ restituimur, & corruptionem item deponentes cum ipso immortali Deo con-*

*conjungimur, qui propter nos in carne nostra mortalis fieri voluit. Sacer autem ordo ea potestate, & facultate nos donat, qua est ipse præditus qui fecit & creavit nos. Et quemadmodum à principio omnium rerum, quæ sub aspectu cadunt, nos Dominos & principes constituit; ita nunc longe excellentius per Sacerdotium principes nos & præsides esse voluit: cœli enim ipsius claves Apostolis, illisque omnibus, qui perpetua successione in eorum loca suffici debebant, credidit. Nuptiæ vero condescensionis cujusdam, & indulgentiæ divinæ in hac mortali vita esse videntur, ob liberorum successionem, donec universitas hæc sua corruptione consistat. Neque enim voluit Deus, ut more belluarum ex fluxu & sordibus homo concipiatur; sed ipse benedixit nuptiis, ut non sine cælesti benedictione ortus nostri initia, & principia jaciantur. Pœnitentia vero correctionem, & restaurationem à lapsu efficit: quandoquidem post sacrum baptismum nulla jam alia curatio superet, præter eam quæ fit per conversionem, per lacrymas, eorumque delictorum quibus Deum offendimus plenam detectionem, ac per ipsum peccatorum fugam: in quo solo remedio, & curatione remissionis peccatorum nobis relictum est donum. Sacrum vero oleum, sive ultima unctio nobis divinitus tradita, & ipsa est divinum Sacramentum, atque ceremonia, divinæ nobis misericordiæ typum repræsentans; propterea que & ipsa remissionem peccatorum præbet, & ex multis infirmitatibus nos sublevat, eosque, qui digne illa utuntur, sanctificat. Et hæc quidem omnia salutis nostræ remedia ipse Jesus Christus, & Dominus noster nobis tradidit, & sancti ejus Apostoli.* Ita pag. 60. & seq. Hæc nos ex industria collegimus, tum quia Scholastici de hoc Ecclesiæ dogmate generatim perpauca tractant, & monumenta hæc fere omnia prætermittunt, tum quia mire commonstrant Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ consensum, tum denique quia videntur nobis pulcherrima, & quæ legantur dignissima.

9. Propositio 2. Augustinus non agnovit tantùm duo Sacramenta, ut Ei imponere volunt hæretici.

PROPOSITIO II. Falsum est Augustinum agnovisse, quemadmodum heterodoxi autumant, duo tantummodo *Sacramenta.*

Quoniam Calvinus, Melanchthon, & hæreticorum alii, ut adstruant numerum *Sacramentorum* binarium, abutuntur quibusdam Augustini testimoniis infra explicandis; non abs re erit, si demonstremus sanctum protoparentem plura *Sacramenta*, & quidem propria, agnovisse: quod cum jam evicerint Wilhelmus Lindanus in Panoplia lib. IV. cap. 7. Hieronymus Torrensis in Confess. Augustiniana lib. III. cap. 1. num. 5. Ruardus Tapperus in Explicat. Articulorum, quos jussu Caroli V. edidit adversus hæreses an. 1544. sacra Facultas Lovaniensis, art. 1. Farvacques noster Insulensis, ac Theologi alii clarissimi, brevi nos ad hunc modum confirmamus. I. Principio Sanctus Pater, etsi alicubi duo tantum Sacramenta commemorat, id est, Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ, alia tamen minime excludit, nam scribens ad Januarium ep. 118. nunc 54. num. 1. & de Sacramentis novæ legis pertractans ait, *Sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Ubi, si duo tantum noverat *Sacramenta*, cur non ait, *Quæ sunt baptismus, &c.* sed plurium exemplum proferens, inquit, *Sicuti est Baptismus?* cur etiam addidit, *Et si quid aliud, &c.*? Eadem phrasi, *Sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis, & sanguinis Domini*, utitur Augustinus lib. III. de Doctr. Christ. cap. IX. num. 13. ideoque frustra hunc locum objectat Calvinus. II. Augustinus supponit, dum fideles alloquitur, Ecclesiæ Sacramenta plura esse, quam duo, nec expresse recenset illorum numerum, quoniam putat iisdem fidelibus esse notissima; nam in Psalmum 141. num. 9. ait: *Multa Sacramenta aliter, atque aliter accipimus, quædam sicut nostis ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus.* Dum ait, *Multa*, profecto plus quam duo supponit: dum inquit, *sicut nostis*, ostendit se de re notissima habere sermonem: dum addidit, *quædam ore accipimus*, loquitur de corpore, & sanguine Domini: dum sequitur, *quædam per totum corpus*, innuit non solum baptismum, verum etiam Unctionem extremam, quæ duo Sacramenta olim per totum corpus accipiebantur. III. Libro 2. adversus Parmenianum cap. XIII. num. 28. aperte Augustinus sacram ordinationem inter Sacramenta recenset, scribens: *Utrumque enim Sacramentum est* (Baptismus, & Ordo) *& quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.* Docet ibidem Augustinus, sicuti Baptismum, ita ordinationem non iterari, *ne ipsi Sacramento fiat injuria.* Ut ergo Baptismum, ita Ordinem Augustinus inter Sacramenta connumerat. IV. Idem Augustinus lib.

lib. 2. contrà literas Petiliani cap. 204. num. 139. scribit: *Et in hoc unguento* (de quo Lucæ XXIV. 47.) *Sacramentum Chrismatis vultis significari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipsè baptismus.* En dilucide ab Augustino assertum etiam Sacramentum Confirmationis. V. In libro v. contra Donatistas cap. xx. num. 28. probans Sacramenta etiam per improbos administrata suos producere effectus ita ratiocinatur: *Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Quo in loco distinctâ singulorum materiâ Augustinus quatuor saltem Sacramenta enumerat, id est, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, atque ut Lindano placet, etiam Pœnitentiam, quam Veteres prómiscue impositionem manuum, & Absolutionem appellavere. Loca, quibus Augustinus de quolibet Sacramento speciatim pertractat, ubi & nos peculiariter de singulis disputabimus, data opera explicabuntur.

## Ad Argumenta Haereticorum Responsio.

10. Objiciunt hæretici I. Opp. 1. Nullibi Divina Scriptura septem enumerat *Sacramenta*, nisi forte Apocalypsi XVII. 7. ubi *Sacramenta* dicuntur septem capita bestiæ. Non ergo alicubi, nisi in Ecclesia Antichristi, septem *Sacramenta* connumerantur.

Respondetur. Resp. heterodoxos nihil è Scripturarum silentio adversùs nos concludere, quippe contendimus, non sola Scriptura, verum etiam Apostolicis Traditionibus Ecclesiæ inconcussa dogmata contineri; quod etiam ex hoc capite evincitur: nam cum de numero *Sacramentorum* Scriptura sileat; qua norma hunc definiemus, nisi ex traditione majorum? Deinde negamus in Scripturis Canonicis singula *Sacramenta* minime commendari. Illud præterea ab adversariis petimus, ubi *Sacramenta* in Divinis Scripturis esse duo, vel tria tantummodo, declaretur? Scire etiam cupimus, quare hæretici credant quatuor esse Evangelia, cum in sacris literis nullibi scriptum sit, num sint quatuor, vel plura? Futilis ergo, fracta, atque nimium infirma est prior hæc impiorum hæreticorum argutatio. In ea vero parte, qua repetit *Sacramentorum* numerum tanquam excogitatum, fictumque è septem bestiæ capitibus, olet singularem dementiam, & maximam temeritatem. Principio enim, (ut Bellarminus notat lib. 2. cap. 27.) eo loci non septem *Sacramenta* dicuntur bestiæ capita, sed unum *Sacramentum mulier, & bestia, quæ portat eam, & habet capita septem, & cornua decem*; ideoque, si nugari fas est, eadem bestia est Lutherana hæresis, septem polluta vitiis, & quæ aliquando asseruit unam duntaxat dari *Sacramentum*, id est, Baptismum. Deinde septenario numero magna in Scripturis significari mysteria, diximus paulo supra cum Gabriele Philadelphiensi: quibus adde, quæ Bongus eruditus Bergomas de mystica numeri VII. significatione pag. 223. affert ad probandum septeno numero perfici omnem munditiem; quoniam septimo die emissa est columba, septem diebus à Moyse expiatum altare, septies sanguis contra sacrarii velum aspersus, diebus septem præscripta in Levitico immundorum purgatio; aliaque innumera, ingeniosè quidem explicata, sed religiosè tamen, ac temperanter.

11. Instantia Dices: Joannes cap. XIX. 34. ait de Christo, postquam tradidit spiritum, *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* In quem locum scribit Augustinus Tract. 120. in Joan. num. 2. *Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt.* Similia Augustinus docet lib. XXII de Civit. Dei cap. 17. in Psalmum 103. serm. 4. num. 6. & alibi. Singillatim Græci PP. *in sanguine, & aqua* expressam asserunt *Eucharistiam*, atque *Baptismum*; scribit enim Cyrillus Alex. lib. XII. in Joan. pag. 1074. *Lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua mistus scaturiit, quod Eulogiæ Mysticæ, & sancti Baptismatis imago quædam erat, atque primitiæ.*

Diluitur. Respondent Theologi, Augustinum, & Cyrillum præcipua *Sacramenta* commemorare, quibus magis deprehenditur Ecclesiæ unitas, & communio, at non excludere *Sacramenta* reliqua. Verùm quantum ad Augustinum attinet, apertè sermonem instituit de Ecclesiæ ex latere Christi ædificatione, ad quam concurrunt, *sanguis redemptionis*, per quem ille diaboli mancipia soluto pretio redemit, & sacrum *baptisma*, per quod filii Adæ regnerantur: alia autem *Sacramenta* sunt necessaria ad Ecclesiam hanc roborandam, nutriendam, purgandam. Et quidem Augustinus citatis in locis ex-

exemplum affert arcæ Noe; in qua factum est ostium, *quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura*, nec non primæ mulieris de latere viri dormientis productæ: unde ait in Joannem, *Hinc secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis effluxit;* ac de Civit. Dei: *In cruce pendentis latus lancea perforatum est, atque inde sanguis, & aqua profluit: quæ Sacramenta esse novimus, quibus AEDIFICATUR ECCLESIA.* Idem docet Theophylactus in Evangelia pag. edit. Morelli 828.

12. Objiciunt 2. Opp. 2. Adversatur statuto *Sacramentorum* numero Patrum traditio. Primò enim nunquam apud veteres septenarium hunc numerum adinvenies, nunquam primæva Ecclesia catalogum istum contexuit. Deinde cum antiquis consuetum esset fidei mysteria gentibus occultare, duo tantum ex Patribus novimus occultata, Baptismum, & Eucharistiam; nam Augustinus in Ps. 103. num. 14. ait. *Quid est, quod occultum est, & non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ. Opera enim nostra vident, & pagani; Sacramenta verò occultantur illis.*

Respondetur Resp. ad 1. neque olim Ecclesiam definivisse *Sacramenta* esse duntaxat duo. Præterea idcirco non definivit, quoniam res erat cuique fidelium notissima. Insuper hunc numerum servasse dicenda est, quando anathemate percussit *Sacramenta* aliqua denegantes, ut sæculo tertio Novatianos non confirmantes neophytos, quarto Manichæos damnantes nuptias, quartodecimo Witclefistas Unctionem abjicientes extremam. Tandem Ecclesia, uti Scripturarum sanctarum canonem, ita *Sacramentorum* numerum definivit, quando id opportunum esse judicavit ad reprimendam hæreticorum audaciam. Quod addebatur de Sacrorum mysteriorum occultatione, adversus hæreticos retorquetur. Enimverò ex D. Basilio de Spiritu sancto cap. 27. Tom. 2. pag. edit. Morel. 211. patet inter arcana, quæ scripto non produntur, connumerari τὸ ἐλαίῳ τὴν χρίσιν, *olei inunctionem*: Chrysostomus hom. XVIII. in 2. Epist. ad Corinth. inter arcana solis initiatis manifesta recenset sacram ordinationem, precesque, & ceremonias in illa adhibitas, καὶ ἐπιβοῶσιν ἅπερ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. ἐν γὰρ δὴ δήμοις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτεσθαι ἅπαντα, pag. edit. Commel. 872. id est, *Et acclamant ea, quæ nota habent initiati. Neque enim fas est coram profanis cuncta detegere.* Hunc locum vidit etiam Casaubonus Exercit. XVI. in Baronium, num. 43. pag. 404. atque hinc Cl. Schelstratenus de Arcani disciplina pag. 18. demonstrat contra Tentzelium olim nondum initiatis plura, quam duo *Sacramenta* fuisse occulta. S. P. Augustinus eodem sermone in Ps. 103. num. 9. scribit: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis.* Numero itaque 14. duo commemorans, reliqua non excludit.

13. Objiciunt 3. Opp. 3. Patres antiquiores, & celebriores ignorarunt septenarium numerum *Sacramentorum*. Justinus in Apologia ad Antoninum, quæ secunda dicitur, pag. 54. mentionem facit baptismatis, & pag. 97. Eucharistiæ: nullum aliud *Sacramentum* commemorat. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 34. Baptismi quidem, & Eucharistiæ meminit, cæterorum *Sacramentorum* nequaquam. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesibus Mystagogicis de tribus tantum *Sacramentis* pertractat, nempe prima, & secunda de Baptismo, tertia de Chrismate, quarta de Eucharistia. In eundem numerum consentit Ambrosius lib. VI. de Sacram. cap. 2. postquam de his tribus prolixè egerat, concludens, num. 2. pag. 381. *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissimè cognovisti omnia.* Tenet eundem numerum Gregorius Magnus relatus in cap. *Multi sæcularium* 2. p. decreti q. 1. causa 1. num. 84. ubi ait: *Sunt autem sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi.* Igitur duo, vel ad summum tria *Sacramenta* sunt ex Patribus retinenda.

Resp. falsam esse hæreticorum consecutionem. Laudati enim Patres, duo, vel tria *Sacramenta* commemorarunt, prout postulabat suscepti operis ratio. Justinus de baptismo egit, ut retunderet impactam Christianis calumniam, quod malefica superstitione initiarentur; ac reponit, *etiam Dæmones cum lavationem hanc audissent per Prophetam promulgatam, effecisse, & ut ingressuri in delubra eorum, & accessuri ad illos, atque libationibus, & adipis nidoribus offerendis operaturi se ipsos aquæ aspersione lustrarent.* Unde consequitur non posse in Christi fidelibus damnari regenerationis lavacrum ab iis, qui suis in mysteriis adhibebant corporum lustrationes. Pertractat & de Eucharistia ad re-

Respondetur

repellendam illorum accusationem, qui arbitrabantur in Ecclesiarum conventibus, & in sacra Altaris mensa trucidatas infantium carnes apponi, narrans distribui illic panem, & vinum, ac demonstrans non posse id redargui à paganis, quoniam & similia *in mysteriis, atque initiationibus Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones.* In sacrificiis enim Mithræ apponebant qui initiabantur panem, & aquæ poculum. In Apologia ergo pro Christianis elaborata Justinus ea vindicat, quæ opponebantur: si cætera irrisoribus manifestasset, nec se gessisset prudenter, nec servasset arcanorum disciplinam, nec Apologiam suos intra fines continuisset. Tertullianus in IV. contra Marcionem commemorat Baptismum, & Eucharistiam, quoniam hæc duo *Sacramenta* admittebat etiam Marcion, quem ita eo loci perstringit, *Si omnino negas permitti divortium à Christo, quomodo tu nuptias dirimis? Nec conjungens marem & fœminam, nec alibi conjunctos ad Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ admittens, nisi inter se conjuraverint adversus fructum nuptiarum?* Cæterum Tertullianus de præscriptionibus cap. 40. meminit quoque cæterorum *Sacramentorum* de spiritu nequitiæ scribens, *ejusdem esse partes invertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos;* en æmulatio baptismi: *expositionem delictorum de lavacro repromittit;* en pœnitentiæ imitatio: *Mithra signat illic in frontibus milites suos;* vides Chrismatis usurpationem: *celebrat & panis oblationem;* id Eucharistiæ æmulatio quædam est: *Quid? quod & summum Pontificem unius nuptiis statuit?* quasi scilicet ad consecrandum matrimonium, & Sacerdotum Hierarchiam commonstrandam. Vide Carolum Moreau Tom. 3. Tertull. pag. 573. Cyrillus, & Ambrosius docentes Catechumenos, quibus simul tria illa *Sacramenta* conferebantur, de his plenissime tractant, cætera tamen non expungunt. Numquid enim Ambrosius negat *Sacramentum* Pœnitentiæ, de quo duos libros exornavit adversus Novatianos? Asserendum idem est de C. *Multi sæcularium*, in quo ideo trium *Sacramentorum* fit mentio, quoniam nonnulli temere affirmabant sanctificata non esse, dum conficiuntur eorum officio, *quorum vita aliorum oculis apparet ignobilis:* quamquam sententiam illam frustra inter opera Gregorii requires.

Opp. 4. cum Joanne Calvino lib. IV. Institut. cap. XVIII. num. 2. Augustinus cum de iis signis loquitur, quæ divinæ in nos gratiæ testimonia esse debent, duo ista enumerat, Baptismum, & Eucharistiam. Ad Januarium Epist. 118. nunc 54. *Primo*, inquit, *tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo nos subdidisse & sarcinæ levi. Unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit. Sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio corporis, & sanguinis Domini, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur.* Item de Doctrina Christiana, lib. III. cap. 9. *A resurrectione Domini quædam pauca signa pro multis, eademque factu facillima, intellectu augustissima, observatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina: sicut est baptismus, & celebratio corporis, & sanguinis Domini.* Cur nullam hic sacri numeri, hoc est, septenarii, mentionem facit? An verisimile est prætermissurum fuisse, si tunc fuisset in Ecclesia institutus? Imo cum Baptismum, & Cœnam nominat, alia subticet; an non satis innuit hæc duo mysteria singulari dignitate præstare, alias ceremonias inferiori loco subsidere? Ita Calvinus. 14. Objiciunt 4. cum Calvino.

Resp. non solum Augustinum aliis in locis plura *Sacramenta* connumerare, verum etiam in iis, quæ Calvinus opponit, ipsius Calvini hæresim, & pervicaciam refellere; quippe, ut supra diximus: qui ex omnibus aliqua exempla producit, is cætera non excludit, Augustinus ad Januarium, & de doctrina Christiana, ad explicanda *Sacramenta* omnia profert exemplum Baptismi, & Eucharistiæ. Igitur Augustinus *Sacramenta* reliqua non excludit. Quid igitur, inquit Calvinus, ea subticuit? Respondet Lindanus p. 176. quod de signorum non agebatur numero, sed natura, sed vi, sed efficientia, quibus novi populi societas à Christo est colligata: quod cum ista duo Baptismus, & Eucharistia præ cæteris præcipue præstent atque efficiant, his duobus in præsentia contentus, alia silentio præteribat. Sed cur non omnia accensuit, cum sit alias, inquit Calvinus, in Respondetur.

ob-

observandis numeris curiosior, quam necesse foret? Quia hominibus in Catholica Apostolicæ fidei doctrina institutis & perseverantibus scribens, rauca nondum audierat murmura contra saluberrimum *Sacramentorum* numerum obstrepentia. *Cur putamus nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur*? Hæc Lindanus respondens Calvino iisdem verbis, quibus Augustinus reprimit objectamenta Juliani, lib. 1. cap. 6. num. 22.

15. Objiciunt

Opp. 5. Vetustissimus Scriptor Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica Hierarchia prolixe *de Sacramentis* pertractat. *De Baptismo* cap. 2. pag. edit. Plant. 251. *de Euch.* cap. 3. p. 282. *de sacro unguento*, sive Chrismate cap. 4. p. 329. & cap. 5. pag. 355. *de sacrorum ordinum consecrationibus*. Obiter cap. 7. pag. 415. etiam *reconciliationis*, & absolutionis sacerdotalis facit mentionem. Frustra in Dionysii libro requires unctionem extremam, ac matrimonium. Nullum de his duobus extat verbum in libro quoque de Cardinalibus Christi operibus in Appendice Cypriani, serm. de Ablutione pedum, & serm. de Unct. Chrismatis, pag. novæ edit. 103. & 107. Sunt ergo ista duo è *Sacramentorum* albo expungenda.

Respondent Theologi.

Respondent Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 65. art. 1. ad 3. Dionysium (quisquis sit ilius operis Auctor) de iis tantum *Sacramentis* pertractare, quæ in actionibus officiisque hierarchicis potissimum considerantur, id est, quæ in Ecclesia exercentur quadam consecratione: unde nec reconciliationis speciatim meminit, nisi obiter, ac per transennam. Hunc esse illius operis scopum, apertum est ex priori capite, pag. 230. De Pœnitentia autem, quæ vix hoc in opere innuitur, manifestius loquitur Epistola ad Demophilum Tom. 2. pag. 108. Addo quarto capite de Ecclesiastica Hierarchia agi de Consecratione τοῦ μύρε, *sacri olei*, quo nomine significari non tantum Chrisma, & Oleum catechumenorum, verùm etiam oleum infirmorum, animadvertit pag. 341. Balthasar Corderius. Et quidem dum ait Dionysius pag. 339. *sacri unguenti* non solum usum esse in consecrationibus, & in confirmatione baptizatorum, verum etiam *in aliis Divinæ benignitatis operationibus*, videtur etiam commonstrare gratiam in unctione extrema collatam. Auctor autem de Cardinalibus Christi operibus in serm. de Ablutione Pedum pertractat de *Sacramentis*, quæ iterari non debent. *Nam baptismum*, inquit, *repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros ordines semel datos iterum renovat; nemo sacro oleo lita iterum linit, aut consecrat.* In sermone autem de Unctione Chrismatis agit de iis, quæ sacro oleo peraguntur, & de fractione panis, & de mensa Eucharistica: quæ feria quinta majoris hebdomadæ speciali ritu celebrantur, & consecrantur. Verùm quid hæc juvant Novatores denegantes *Sacramenta* sacræ ordinationis, & Chrismatis?

16. Objiciunt 6. Magistrum Sent. Durandum, & Hugonem Victorin.

Opp. 6. Primus omnium invexit numerum septenarium *Sacramentorum* Magister Sententiarum in IV. dist. 2. quem tamen nec omnes Scholastici secuti sunt, nam Durandus, ut diximus, matrimonium rejicit è numero sacrorum mysteriorum. Deinde Hugo Victorinus de Sacramentis Parte IX. pag. 291. ad illa septem addidit Sacramenta quamplura, id est, aspersionem aquæ cum sale benedictæ, susceptionem sacrorum cinerum, benedictionem palmarum, cereum, qui in Sabbato sancto benedicitur, & agnos, qui benedicuntur in solemnitate Paschali. Neque dici potest Hugonem loqui de *Sacramentis* latè acceptis, quippe iis explicatis cap. 10. ait: *Sunt alia quædam in Ecclesia sacra, non tamen Sacramenta.* Ea ergo, quæ antecedenter commemoraverat, sacramenta sunt propriè dicta. Præterea si *Ordo* inter Sacramenta recenseatur, cum septem sint ordines, erit sacrorum mysteriorum numerus septenario major duplo. Postremò cur in *Sacramentorum* catalogo non connumerabitur etiam professio Monastica, & Martyrium, quæ duo saltem magnam habent sanctificandorum hominum efficaciam?

Resp. Magistrum sententiarum ex pervulgata traditione, non è cerebro suo tradidisse *Sacramentorum* numerum; aliàs quomodo mortalium nemo in dogma nuper excogitatum, & quidem in re gravissima, acuisset stylum, cum dicta quæque Magistri Scriptores innumeri vellicaverint? De Durando respondent Juenin, & Card. Gotti Ecclesiæ mentem non fuisse assecutum. Verùm Durandus, tametsi affirmaverit Matrimonium non habere cum aliis *Sacramentis* rationem *univocam*, neque gratiam efficienter conferre, qua in re plurimum aberravit à veritate, Respondetur.

hanc tamen thesim præmittit in IV. dist. 26. q. 3. *Tenendum est absolutè, quod matrimonium est Sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, Extra, de hæreticis, Ad abolendam, ubi enumerat matrimonium inter alia Sacramenta.* Hugo autem Victorinus IX. P. de illis Sacramentis pertractat, quæ non sunt *Sacramenta* præcipua, & gratiæ per se efficientia, sed de iis, quibus sanctitas augetur per exercitationem devotionis; nam cap. 1. inquit, *Sunt quædam sacramenta in Ecclesia, in quibus etsi principaliter salus non consistet, tamen salus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur.* Atque in horum numero recensetasperſionem aquæ, sacros cineres, & alia superius enumerata. Quæ omnia propria *Sacramenta* non esse, ex iis, quæ docet Hugo, inferri potest. Cap. enim 2. ex ritu benedicendi aquam demonstrat ea contra spirituales nequitias fideles eorumque habitacula communiri; idque etiam S. Thomas citata q. 65. art. 1. ad 6. Estius dist. 1. §. 15. & unanimis traditio Scholasticorum, At, inquis, nonne Aqua benedicta remittit venialia peccata? Negat id eo loci Estius, quoniam aliàs propriè conferret gratiam, & esset *Sacramentum*: affirmat tamen S. Thomas loco nuper citato & Joannes Stephanus Durantus lib. 1. de Ritibus Eccl. cap. 21. pag. 71. Verum sententiam mediam arbitror tenendam esse, scilicet, lustralem aquam valere contra peccata venialia, non ex institutione Christi, & tanquam signum efficax gratiæ, sed ex precibus Ecclesiæ, & devotione eorum, qui asperguntur: quam sententiam docuit Joannes à Turrecremata S. R. E. Cardinalis in Opusculo de Aqua benedicta cap. 6. Atque hinc liquet aquam benedictam Sacramentale quoddam esse, non *Sacramentum*, cum gratiam ex opere operato, & ex Christi institutione non conferat. Idem asserendum de sacris cineribus, quæ ut cap. 3. inquit Hugo, *feria quarta quando jejunium votivum suscipitur, capitibus fidelium imponuntur, ob recordationem mortalitatis nostræ.* Vide de Sacris cineribus Angelum Rocca Tom. 1. pag. 217. & orationem Adeodati nostri Senensis habitam anno 1552. in Tridentino Concilio, Tom. XIV. pag. 1524. Idem de Cereis, palmarum ramis, aliisque Sacramentalibus est asserendum. Scite Londonienſe Concilium supra laudatum *Sacramenta principalia* ab his docet esse distincta. Dum Hugo Victorinus cap. 10. scribit, alia esse in Ecclesia sacra, quæ tamen non sunt Sacramenta, *Sacra* ea dicit, quæ nec per se, ut Sacramenta septem, neque exercitatione virtutum conferunt sanctitatem, ut sunt ornamenta Templorum, & possessiones Ecclesiarum, & alia, quæ *sacra* appellantur, quoniam Divinis ministeriis, & clericorum sustentationi deserviunt. Professio Monachalis non alia ratione à quibusdam Græcorum dicitur *Sacramentum*, nisi quatenus per eam sacris mysteriis viri religiosi initiantur, aut saltem devovent se sacræ cuidam militiæ, cum nullam talis professio largiatur sanctitatem, nisi ratione devotionis, & humilitatis voventium. Quid vero Martyrium? Istud quidem ob charitatem, fidem, ac patientiam Martyrum largitur eis sanctitatem; sed non habet institutionem Christi, neque sanctificationem verborum, neque significationem gratiæ, ut inquit in IV. dist. 4. Sanctus Bonaventura, ideoque non est *Sacramentum.* Omnes denique Ordines ad unum Sacerdotium, tanquam ad sui complementum, ac terminum referuntur, ideoque simul cum presbyteratu unicum Sacramentum constituunt.

Cineres sacros, &c.

Nec Professio Monastica est Sacramentum.

Nec Martyrium est tale.

Mens auctoris circa aquam lustralem.

# CAPUT VI.

## Ostendit lotionem pedum inter vera *Sacramenta* non esse connumerandum.

## *SUMMARIUM.*

1. Cur hæretici nobis objiciant lotionem pedum?
2. Mos lavandi pedes fuit in quibusdam Ecclesiis in usu; non tamen in omnibus, nec semper.
3. Lotio pedum non est Sacramentum.
4. Nec est requisitum essentiale ad Baptismum;
5. & seqq. Solvuntur variæ objectiones.

1. Cur Hæretici nobis objiciant lotionem pedum?

HÆreticorum quidam objiciunt adversus statutum numerum *Sacramentorum*, quod semel *Sacramentis* aliis præter baptismum, & Eucharistiam ad-

admissis, necessum sit adstruere alia complura, præsertim verò Pedum lotionem, de qua videtur Joan. XIII. haberi Divinum mandatum, & promissionem gratiæ sanctificantis; cumque ex alia parte sit visibile signum, & ritu peragatur externo, videtur omnia comprehendere, quæ requiruntur ad veri *Sacramenti* rationem. At lotionem pedum non esse *Sacramentum* propriè dictum tenent Catholici omnes, Bellarminus maximè lib. 2. cap. 24. Tournely q. 2. art. 4. Boucat art. ult. sect. 1. qui argumentum istud stilo fusiori prosequuntur, atque ante hos omnes Lucas Tudensis lib. 2. adversus Albigenses, Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 215.

2. Mos lavandi pedes in quibusdam Ecclesiis,

Antequam nos aliquid statuamus, præmittimus ablutionem pedum fuisse in quibusdam Ecclesiis in usu, dum conferretur baptismus. De Ecclesia Mediolanensi testem habemus S. Ambrosium lib. de Mysteriis cap. 6. & lib. 3. de Sacram. cap. 1. necnon in Ceremoniali Ambrosiano Beroaldum. Eandem consuetudinem obtinuisse olim in Gallicanis Ecclesiis, ex antiquis Missalibus editis in *Codice Sacramentorum* à Jos. Thomasio, & in Museo Italico à Mabillonio, observarunt Monachi Benedictini in notis ad Ambros. Tom. 2. pag. 362. & Martene lib. 1. de Eccles. Rit. cap. 1. art. XV. num. 8. Addimus viguisse olim eandem consuetudinem in Ægypto, ut colligit Jos. Vicecomes de Antiq. Baptismi rit. lib. 3. cap. 17. pag. 243. ex vita Serapionis Sindonitæ scripta à Palladio in Hist. Lausiaca cap. 83. sect. 79. Tom. 2. Bibl. Vet. PP. pag. 1006. ubi narratur Serapionem *avulsis à theatro mimis, & Christiana religione imbutis laxasse pedes, ac ministrasse baptismum.*

Non tamen in omnibus, nec semper.

Verum consuetudo ista nec semper viguit, neque ubique locorum. Enim vero extat canon 48. Illiberitanus apud Aguirre Tom. 1. pag. 605. *Neque pedes eorum* (qui baptizantur) *lavandi sunt à Sacerdotibus, vel Clericis.* Inverisimile autem non est loco lotionis pedum substitutum *capitilavium* in Ecclesiis Hispanicis, ut idem Aguirre ex Isidoro lib. 6. Etymol. cap. 17. conjectat. S. Ambrosius citato lib. III. de Sacram. cap. 1. num. 5. ait in Romana Ecclesia consuetudinem hanc non haberi: cumque præcedenti num. 4. scribat, *Succinctus summus Sacerdos pedes tibi lavit*, id est, Episcopus; qui eo sæculo summi Sacerdotis nomine vocabatur; non caret probabilitate morem illum lavandi pedes baptizatorum manasse ex ritu Romanæ Ecclesiæ, in qua ex antiqua consuetudine summus Pontifex ad lavandos pauperum pedes se Christi exemplo demittit. S. P. Augustinus epist. ad Januarium 118. nunc 54. num. 10. lavandi baptizandorum pedes consuetudinem ortam putat, ex quo eorum *corpora per observationem quadragesimæ sordidata, ad fontem absque offensione sensus non possent tractari, nisi aliqua die lavarentur.* Non tamen Augustinus ibidem docet hunc ritum fuisse omnino profanum; addit enim ad hanc lotionem diem illum fuisse electum, *quo cœna Dominica anniversariè celebratur;* & proxima Epist. 55. cap. XVIII. num. 33. cur iste dies electus fuerit, docet his verbis: *De lavandis verò pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, sicut ipse consequenter exposuit, quæsitum est quonam tempore potissimum res tanta etiam facto doceretur, & illud tempus occurrit, quo ipsa commendatio religiosius inhæreret.* Manifestum est ergo lotionem pedum humilitatis causâ, & ad Christi imitationem exerceri. Inquirendum remanet, an sit proprie *Sacramentum*, vel saletm pars *Sacramenti* baptismatis.

3. Propositio. Lotio pedum nec Sacramentum, neque pars essentialis est Baptismi.

Prop. Lotio pedum neque *Sacramentum* est, neque ad *Sacramentum* baptismi essentialiter pertinet.

Demonstratur prima pars. Quod est institutum ad exemplum, & exercitium humilitatis, non ut efficax symbolum sanctificantis gratiæ, non est *Sacramentum* propriè dictum. Lotio Pedum peracta à Domino est ad exemplum, & exercitationem humilitatis. Igitur lotio pedum non est *Sacramentum* proprie dictum. Prob. minor; nam ipse Dominus Joan. XIII. 14. peractæ lotionis causam demonstrans, ait: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister; & vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quibus procul dubio docet impendendum esse proximo quodlibet humanitatis officium, neque, ubi id aliorum salus postulet, fugienda esse ministeria infima, atque vilissima; cum Dominus ac Magister præcinctus linteo laverit, & exterserit pedes discipulorum.

Prob. 1. Pars 1mò ex Evangelio,

Rectè Cyrillus Alex. in Joan. pag. 727. *Ex his docet non debere quemquam contra aliorum honorem insolenter efferri, sed existimare conservum superiorem esse, & quavis in re præponendum.* Notâ per id temporis factam inter discipulos contentionem, *quis eorum videtur esse major*, Lucæ II. 24. & S. P. Augustinus

2dò ex Patribus,

Tract. LVIII. in Joannem num. 4. *Didicimus, fratres, humilitatem ab excelso: faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit excelsus.* Præterea per lotionem pedum nulla gratia collata est; sed demonstratum duntaxat homines etiam justos habere quotidiana peccata venialia, quorum in Dominica oratione veniam petimus, & quæ delentur pietatis, humilitatisque exercitio. Enimvero versu 10. ait Christus: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes.* Si Apostoli, Juda excepto, mundi erant, & quidem toti; quare indigebant lotione pedum? Respondet Augustinus Tract. 57. num. 4. *pedum* nomine significari humanos affectus, *sine quibus in hac mortalitate non vivitur*, & quibus subrepentibus aliqua labe inquinamur, ob quam debita nostra in Oratione Dominica confitemur, atque hoc pacto *quotidie pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis.* Vide in hunc locum & Estium.

**Maximè ex Theophylacto.**

Placet mihi admodum & interpretatio Theophylacti pag. edit. Morel. 754. *Lavacrum non facit, ut intelligamus purificationem peccatorum Apostolorum (mundi enim esse perhibentur) sed symbolum est, quod mittendi sint in prædicationem, & transvehant etiam ad alios homines puritatem, quæ ipsis data est per verbum Dominicum. Idcirco & Petrus inquit: Non solum pedes meos laves, sed & caput, hoc est, non ad prædicationem tantum mittas me, sed & caput meum per martyrium purifica.* Ex quibus ita ratiocinamur: Aut *lotio pedum* significet purgationem venialium peccatorum, quæ oratione, & humilitate expiantur, aut Apostolicam prædicationem, non est efficax signum gratiæ sanctificantis, sed symbolum earum rerum, quæ ad ipsam gratiam disponunt. Atqui ex Evangelico textu, ac Patrum interpretamentis *lotio pedum* significat expiationem venialium per orationem atque humilitatem, sive missionem Apostolorum ad Evangelium prædicandum. Igitur *lotio pedum* non est gratiæ sanctificantis signum efficax. Insuper si gratiæ promissio esset in lotione pedum, maximè quoniam versu 8. legitur, *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Verùm hæc verba, si remissionem peccatorum significant, non significant remissionem factam vi externæ illius ablutionis, sed exercitatione humilitatis, & quotidiana oratione, ut loquitur Augustinus; neque enim aqua illa in pelvim missa ad pedes lavandos dicitur aut *lavacrum vitæ, aut regenerationis, aut renovationis, aut remissionis peccatorum*, quemadmodum appellatur baptismus; sed asseritur tantum minima quoque peccata purganda esse, ut regnemus cum Christo. Si verò eadem verba commonstrent Petrum non habiturum fuisse cum Christo partem, nec ulterius futurum familiarem & amicum Domini, ob inobedientiam, non ob alicujus *Sacramenti* contemptum, id est, ut inquit Cyrillus pag. 723. *nisi inusitatam hanc, & insolitam humilitatem didicisset*, futurum regni cœlorum expertem; nec etiam hoc sensu *lotioni pedum* annexa est gratiæ justificantis certa promissio, sive virtus effectrix. Nequit ergo ob sententiam illam Dominicam inter principalia *Sacramenta* connumerari.

Postremo, ut aqua, sive elementum, aut materia alia naturam induat *Sacramenti*, & gratiam producat, opus est, ut verbis, quæ formæ vicem gerunt, determinetur ad gratiam ipsam producendam. At neque Christus dum lavit pedes discipulorum, neque Sacerdotum quispiam exemplo Christi hanc lotionem exercens, determinavit unquam verbis *consecratoriis* aquæ elementum ad gratiam efficiendam. Ergo nunquam lotio pedum ad *Sacramenti* dignitatem evecta est.

3tiò ex ratione

Pars secunda propositionis demonstratur: nam quod neque in Ecclesia Romana servatur, neque in aliis Ecclesiis ubique, neque eadem die, quo baptismus confertur: nequit esse pars essentialis baptismi. Atqui *lotio pedum* neque in Ecclesia Romana cum baptizandis servatur, neque post Illiberitanos canones in Hispanica, & in quibusdam Ecclesiis alia die, ab ea qua tinguntur catechumeni, solita fuit adhiberi. Ergo *lotio pedum* non est essentialis pars *Sacramenti* baptismatis. Egregiè Augustinus ad Januarium Epist. 55. num. 33. *Sed ne ad ipsum Sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudine recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferri non dubitaverunt. Aliqui autem, ut hoc & sacratiori tempore commendarent, & à baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum, vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.* Præterea aqua ad lotionem pedum adhibenda hauriebatur ex fontibus ante Ecclesiæ fores constructis, quos in antiqua Ecclesia positos ut ingressuri in templum manus, pedesque lavarent, constat ex historia Eusebii lib. x. cap. 4. pag.

4. Prob. 2. Pars: & ostenditur Lotionem pedum fuisse tantùm consuetudinem, Ritum, & Ceremoniam.

pag. edit. Valesii 380. Ad hunc finem constructum fontem in atrio Basilicæ Felicianæ scribit S. Paulinus Episcopus Nolanus epist. 12. ad Severum, pag. edit. Plantin. 153. quod de fonte Vaticano accepit lib. 3. de Rit. Bapt. cap. 18. Vicecomes. Neque adhibita ad lotionem pedum aqua aliquo ritu consecrabatur, cum nullibi extet hujus consecrationis vestigium. At si *lotio pedum* ad *Sacramentum* baptismi pertinuisset, aqua ex eodem fonte fuisset hausta, & ritu aliquo consecrata. Insuper si *lotio pedum* pertinuisset ad baptismatis *Sacramentum;* cur non etiam lotio capitis, quam baptizandis factam liquet ex Isidoro lib. 6. Etymolog. cap. 18. & lib. 1. de Eccles. Off. cap. 27. nec non ex Rabano lib. 2. Instit. Cleric. cap. 35. aliisque monimentis productis à Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 1. art. 17. num. 1. atque longe ante à præcitato Vicecomite lib. 111. cap. 15. *Capitolavium* verò, uti appellabant, *Sacramentum*, aut *Sacramenti* partem fuisse, quis prudens existimabit? Adhæc post Concilium Moguntinum celebratum anno 813. omnes ferè Ecclesiæ tam pedum, quam capitis lotionem prætermiserunt: ut neque à Romana Ecclesia dissentirent, neque rudes aliqui ea ablutione contenti. negligerent salutare regenerationis lavacrum. Singuli itaque traditionum custodes Episcopi testati sunt lotionem pedum ceremoniam tantummodò esse, non *Sacramentum.* Postremo S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. haud obscurè docet lotionem pedum ceremoniam quamdam esse receptam consuetudine. Mediolanensis Ecclesiæ, ac pertinentem ad disciplinam, non *Sacramentum* proprie dictum, aut rem spectantem ad dogma, aut ad integritatem baptismi. Primò namque ait sequi se in omnibus Romanam Ecclesiam, quæ hujus lotionis non habet consuetudinem: *Non ignoramus* (inquit num. 5.) *quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, & formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet.* Postea inquit se in lotione pedum adhibenda ab Ecclesia Romana recedere, scribens: *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, rectius custoditur.* Quid est autem Ecclesiam Romanam in omnibus esse typum, & formam, eamque sequi beatum Ambrosium, sed circa lotionem pedum ab ea dissentire, nisi eandem lotionem ad disciplinam spectare, non ad dogmata, & ceremoniam esse, non *sacramentum*? Enimverò in iis, quæ disciplinam spectant, non violata Romanæ Ecclesiæ auctoritate suprema, possunt Episcopi Ecclesiarum suarum tenere consuetudinem; cum juxta Augustinum citata ad Januarium Epist. num. 34. *Saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.* Rectè itaque Ambrosius retinuit Ecclesiæ suæ consuetudinem; rectè etiam Carolo Magno imperante, dum corrigendæ essent dissensiones Ecclesiarum, in Moguntiaca Synodo, canone 4. To. VII. Concil. pag. 1242. statutum fuit, ut Sacramentum baptismatis *concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem celebretur.* Quoniam juxta Augustini regulam saluberrimam consuetudines, quæ habent exhortationem virtutis, ut lotio pedum facta ad imitationem Dominicæ humilitatis, servantur utiliter; & ubi subrepant dissidia, ac detrimenta plebis, abrogandæ sunt, sive ad normam universalis, & Apostolicæ Ecclesiæ sunt reformandæ. Atque ex his liquidò constat lotionem pedum nunquam ad *sacramentum* baptismatis pertinuisse, sed ad consuetudinem, ad disciplinam, ad ritum, ad ceremoniam.

5. Objectio 1. ex S. Ambrosio.

Unum videndum restat, quo sensu aliqui Patrum appellaverint eandem lotionem *Sacramentum*, eamque dixerint sanctificationis mysterium, quod visum quibusdam explicatu difficile, licet sit obvium ac planum. Ac primò videtur difficultatem ingerere quod S. Ambrosius scribit lib. de Mysteriis cap. 6. num. 32. *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur.* Et in 3. de Sacram. cap. 1. num. 5. refellens eos, qui asserebant, non in mysterio lavari pedes baptizatorum, sed in signum humilitatis, veluti dum hospites excipiuntur, ait: *Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est, & sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem.* In fine ejusdem capitis

capitis num. 7. *Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis.* Videtur ergo Ambrosius tribuere pedum lotioni rationem mysterii ac *Sacramenti*, & virtutem sanctificandi.

2da ex Arnoldo Bonævallis, Auctor etiam sermonis de Ablutione pedum inter opera Cypriani pag. cvi. scribit: *Ait Dominus, Nisi lavero te, non habebis partem mecum. Paulatim mysterii hujus declaratur necessitas, quam conditio proposita inevitabilem reddit:* paucisque interjectis, *Supra diximus semel lotos baptismate, eodem lavacro ulterius non egere: sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum.*

3tia ex S. Eligio Accedit S. Eligius Noviomensis Episcopus, qui floruit sæculo VII. obiitque juxta Chronicon Sigeberti, an. 665. Is hom. IV. in Cœna Domini Tom. XII. Bibl. PP. pag. 305. hæc habet: *Ut igitur audivit vestra dilectio; hæc omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum est purgatio: unde non incongrue hac ipsa die, sicut Ecclesiæ tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio.*

4ta & præcipua ex S. Bernardo Difficiliora videntur quæ leguntur in sermone I. de Cœna Domini Tom. II. Ep. S. Bernardi pag. 75. Eo loci primùm Bernardus lotionem pedum connumerat inter *Sacramenta*, scribens num. 2. *In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus initium Sacramentorum omnium.* Deinde num. 4. affirmat Bernardus pedum lotionem revera fuisse Sacramentum significans peccatorum remissionem, hisce verbis: *Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus sacramentum pedum ablutionem.* Deinde probat lotionem pedum non fuisse solùm factam ad humilitatis exemplum, verum etiam ut *Sacramentum* ad peccatorum expiationem, ad hunc modum: *Vis autem nosse quod pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est, Si non lavero te non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sinè eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei.* Paulo infra: *Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quod offerenti manus, & caput pariter ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Quibus S. Bernardus aperte demonstrat, pedum ablutionem pertinere ad abluenda venialia peccata.

Verùm hæc omnia facilè diluuntur, si animadvertamus, quæ supra ex Augustino diximus, pedum ablutionem, ut factam à Christo, atque ad ipsius exemplum ab Ecclesiæ pastoribus, non esse officium humanitatis, quo hospites urbane excipimus & honoramus, sed ritum sacrum, ac mysticum, quo significatur indigere nos præter gratiam, quam conferunt principalia *sacramenta*, quotidianâ oratione, ut nobis venialia in pulvere pedum expressa divinitus condonentur, atque infirmitas humani arbitrii adjuvetur gratiâ reparatoris, ne concupiscentia nobis vitio primi hominis inseminata, & in regeneratis permanens ad agonem, in graviora flagitia, æternamque perditionem nos trahat. Vide Augustinum 2. p. Tom. 3. pag. 657. Rectè Augustini mentem assecutus est Lucas Tudensis Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 215. scribens: *Illa pedum ablutio non inter præcipua computatur Ecclesiæ Sacramenta, quia tantum per eam venialium indulgetur venia peccatorum, & humilitatis obsequia commendantur. Teste namque Domino, qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet; ac si diceret, qui mundus est à majoribus delictis, ut perfectus sit, abluatur etiam à superfluis cogitationibus, otiosis sermonibus, & minoribus culpis: quia dum sancti in vita præsenti degunt, difficillimum est ita caute vivere, quin saltem tenui venialium pulvere respergantur. Pes enim cum per terram graditur, ipsius terræ vel atomis in toto, aut in parte respergitur. Qui nisi abluantur frequenter, parvissimi pulveris sordidantur respersione frequenti. Non ergo minima negligenda peccata, quæ plerumque contemptum generant, qui ducit ad mortem.* Hoc itaque sensu ablutio pedum dicitur *Sacramentum*, atque mysterium, in quantum significat remissionem peccatorum venialium, quæ quotidiè lavari debent oratione, humilitate, aliisque remediis in ipsa lotione pedum expressis. Si enim ipsa *lotio pedum* ad venialia expianda requireretur, non quod ea lotione significatum est; non semel in anno, nec in sola ceremonia baptismatis pedes sacro ritu lavandi essent, sed omni prorsus die: quotidianis quippe peccatis quotidiana remedia sunt adhibenda.

6. Responsio universalis, & diluuntur omnia ex solo Augustino.

Ac

7. Responsio specialis ad S. Ambrosium.

Ac nihil aliud profectò docent Ambrosius, Arnoldus Bonæ-Vallis, auctor, ut fertur, sermonis Cypriano tributi, Eligius Noviomi in Belgio Antistes, & mellifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus. Sanctus enim Ambrosius per baptismum omnia peccata dimitti docuit, non solùm in libro de Philosophia, qui non extat, laudatur tamen ab Augustino lib. 2. contra Julianum cap. 5. num. 14. ubi legitur, *Ille justificatur à peccato, cui per baptismum peccata omnia remittuntur*, nec non lib. 3. Offic. cap. 18. num. 103. in Psalmum xxxvi. num. 63. & lib. 2. in Lucam num. 79. verùm etiam in iis locis, quæ objiciuntur: nam in lib. de Mysteriis ait *nostra peccata per baptismum relaxari*, & in iii. de Sacramentis, *In baptismo*, inquit, *omnis culpa diluitur*. Quomodo ergo juxta Ambrosium in lotione pedum est mysterium sanctificationis, quomodo abluitur planta pedis ut tollantur hæreditaria peccata, quomodo lavantur pedes, ut laventur venena serpentis? Profectò non alio sensu, nisi quatenus concupiscentia, serpentis fraude ingenerata, per quam quotidie in plura peccata prolabimur, lotione pedum, & exercitatione humilitatis frænatur, atque ita pedum ablutio non delet inquinamenta peccati, sed tribuit aliquod sanctificationis subsidium. Explicat enim Ambrosium Ambrosius ipse scribens in Ps 48. num. 9. Tom. 1. pag. 948. *Lavemus & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum, & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.* Atque eodem lib. iii. de Sacram. num. 7. *In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus à Diabolo est, & venenum ei effusum super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.* Ob eandem rationem quod lotio pedum significet auferendum calcanei lubricum, & corroborandam exercitatione virtutum hæreditariam infirmitatem, scripserat Ambrosius præced. num. 5. in lotione pedum latere mysterium sanctificationis, nec esse illam eodem loco tenendam, quo habetur ablutio hospitum facta ad solam honestatem hospitii.

Hìc se ipsum explicat

Idem planè docet Auctor sermonis de Ablutione pedum, commendans *mysterii hujus necessitatem*, quatenus necessarium nobis est, ut exemplo Magistri non dedignemur humilitatis officia in alterutrum exercere, quoniam *ad expiationem proficit humilis pietas, & pia humilitas*, & per ablutionem pedum *rectè cognitam & intellectam adhærentes animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur.* Ubi non ait, lavari sordes ipsa pedum materiali ablutione, sed *ablutione recte cognita & intellecta*, id est, quotidiana satisfactione, sive humilitate quotidie exercenda. Explicat sese apertius ita Deum alloquens: *Propter hoc, benignissime Domine, pedes lavas discipulis, quia post baptismum, quem sui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti, quod nunquam debet intermitti: tamen ipse quod doces facis, ut quanti quæstus hoc opus sit, ex tua bonitate discamus, & inclinata ad pedes nostros altitudine tua, stans adversus proximum, & erigens se contra Deum confundatur superbia hominum, & ad humilitatem Dei noverit de se humilia sapere lutum.*

8. Respondetur ad Arnoldum ex ipso Arnoldo.

Docet idem prorsus Sanctus Eligius, & quoniam eo temporis fiebat Feria v. in Cœna Domini *reconciliatio pœnitentium*, ut patet ex Epistola Innoc. I. ad Decentium, ex Epistola Hieronymi ad Oceanum, ex canone ix. Conc. Agathensis, & ex Pontificali Romano P. iii. tit. 3. notisque in hunc titulum Josephi Catalani, viri plurimum eruditi; ideo beatus Eligius in homilia de Cœna Domini monet lavandos esse pedes ad reconciliationem obtinendam, id est, dimittenda peccata alterutrum, atque in signum reconciliationis fraternæ invicem pedes abluendos. *Nos quoque*, ait, Christi *exemplo, & mandato commoniti, & corporaliter hoc agere, & multo magis spiritaliter debemus invicem pedes lavare: hoc est, alterutrum peccata dimittere, & pro eisdem à Deo dimittendis invicem exorare, sicut & Apostolus admonet: Donantes vobismet ipsis, si aliquis adversus aliquem habet culpam, sicut & Dominus donavit nobis, ita & nos invicem.*

9. Item ad S. Eligium ex eodem Eligio.

Eadem denique est sententia divi Bernardi: qui loco citato ait quidem ablutionem pedum esse sacramentum, sed non *Sacramentum* proprie dictum conferens remissionem peccatorum, sed sacramentum late acceptum significans remissionem peccatorum quotidiano-

10. Et ad S. Bernardum ex ipso Bernardo.

dianorum, & aspersionem pravarum affectionum, quæ non lotione pedum purgantur, sed largitate Divina, quam in Dominica oratione quotidie petimus. Quare etsi Bernardus recenset ablutionem pedum inter *Sacramenta* simul cum Eucharistia & baptismo; innuit tamen inter hæc discrimen, quod ista duo sint signa gratiæ efficacia, ideoque propria *Sacramenta*, lotio autem pedum significet, non operetur venialium peccatorum remissionem. Et quidem eodem sermone de Baptismo ait: *Quæ est ergo gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum*, & infra, *Lavamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ.* De Eucharistia etiam inquit: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.* At nihil tale asserit Abbas Claravallensis de lotione pedum. Ait quidem in hac latere sacramentum, scilicet quotidianorum peccatorum remissionem. Verum aitne, remissionem istam produci ipsamet pedum ablutione? Minimè: quotidiana enim remissio nequit unius annuæ ablutionis opus esse. Sed audi Bernardum: *Et unde scimus*, inquit, *quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quod offerenti manus & caput ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio, & conversatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet, cedat animus, vel ad horam. In multis enim offendimus omnes.* Postremo Bernardus innuens horum peccatorum remedium concludit: *Nemo perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusanda excusationes in peccatis: quoniam, ut audivit Petrus, nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, imo & libenter, si tantum modo nos agnoscamus: in hujusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est, quod in oratione, quam ipse constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare.* Non audio venialia peccata expiari *lotione pedum*, sed agnitione infirmitatis propriæ, & assiduitate orationis. In ampliori ergo significatione Bernardus, Eligius, Arnoldus, atque Ambrosius sacramentum appellavere *lotionem pedum*; de qua ad hunc modum se habet nostra dissertatio.

# CAPUT VII.

## De ordine, necessitate, ac dignitate septem Sacramentorum.

### *SUMMARIUM.*

1. Sacramentorum ordo variè recensetur ab Auctoribus.
2. Necessitas illorum ex Tridentino.
3. Quibus, & quæ sint necessaria.
4. & 5. Signitas Sacramentorum.

1. Ordo septem Sacramentorum variè recenseatur ab Auctoribus.

NOn omnes eodem ordine *Sacramenta* septem recensent. Londinense quippe Concilium, fortasse quotidianæ necessitatis rationem habens, recenset Pœnitentiam ante Eucharistiam, & Matrimonium ante Ordinem; probare enim se debet homo, priusquam ad Angelorum mensam accedat, præceditque carnalis generatio Ecclesiasticum ministerium. Joannes Paleologus in Confessione fidei Pœnitentiam, & Unctionem extremam statuit postremo loco. Græcorum Patriarcha Hieremias Ordinem locat post sacrosanctam Communionem. Magister sententiarum, S. Thomas, alii Scholastici, Eugenius IV. & Tridentinum Concilium docent seriem, ordinemque singulis satis notum. Vide Remissivè cap. v. prop. 1. Manifestum est autem ordinem hunc esse optimum, & comprobatum ex his, quæ in serie humanæ vitæ contingunt, quemadmodum eo loci verbis Eugenii, & communi ratione demonstratum est.

2. Necessitas Illorum constat ex Trid. contrà Novatores

De *Sacramentorum* necessitate extat canon IV. sess. 7. Trid. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema*

*anathema sit.* Quo in canone perstringitur hæresis Novatorum asserentium homines justificari per solam fidem, ideoque *Sacramentis* gratiam justificationis non conferri, sed fidem duntaxat excitari, atque nutriri; unde majoris perspicuitatis gratia addidit Tridentina Synodus proximum canonem v. *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse, anathema sit.* Firmissime itaque tenendum est, quod licèt fides ad justificationem disponat, causæ tamen aliæ ad justificationem ipsam concurrunt, à nobis lib. XIX. enumeratæ, inter quas instrumentalis causæ rationem habent *Sacramenta*, quæ indita sibi virtute sanctitatem efficiunt, ut infra demonstrabimus. Si enim *Sacramentis* virtus ipsa deesset; nequaquam ad salutem forent necessaria, cum etiam verbum Dei, & Sacrorum librorum lectio possint fidem excitare, & nutrire; præsertim cum Novatores autument verba in *Sacramentorum* administratione adhibita eandem prorsus habere vim, quam habet prædicatio Evangelii. Illud ergo, quod Tridentinum Concilium definit de *Sacramentorum* necessitate, ex aliarum controversiarum enodatione redditur manifestum.

3. Quibus, & quæ sint necessaria?

Verùm non omnia *Sacramenta* sunt singulis necessaria, ut præcitato canone definitum est: quippe Baptismus, & Pœnitentia, quæ duo *Sacramenta* instituta sunt pro his, qui lethali culpa inquinati nequeunt, nisi sanctificentur, æternæ vitæ fieri participes, unde & vulgari sermone dicuntur *Sacramenta mortuorum*, necessaria sunt necessitate medii, id est, sunt medium necessarium, sine quo neque gratiam Sacramentalem, neque cœlestis regni hæreditatem consequimur: baptismus quidem puerulis, aliisque adhuc originali labe inquinatis; ac pœnitentia iis, qui acceptam in baptismate sanctitatem actualibus transgressionibus pessumdederunt. Cætera Sacramenta, *vivorum* dicta, atque instituta ad gratiam augendam, necessaria sunt necessitate præcepti; id est, suscipienda eo tempore, quo præscribit Ecclesia, & facultas suppetit suscipientibus: ita tamen, ut Ordo, si Ecclesia universim spectetur, habeat quoque absolutam necessitatem, quam appellant *medii*, quoniam absque sacra ministrorum ordinatione neque consecrari posset corpus Dominicum, neque in hac rerum divinarum constitutione lapsis beneficium absolutionis impendi. Verum nec Ordo, nec matrimonium singulis sunt necessaria, cum homo libertate præditus nequeat, nisi causa impellente, sive Ecclesiæ ministerio, sive vinculo conjugali constringi. Matrimonium quoque eatenus necessarium est, quatenus Ecclesiæ filii debent cum sanctitate nuptiarum dare operam filiis procreandis. Rectè S. Thomas 3. p. q. 65. art. 4. *Dicendum, quod necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ: & hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter: hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria Sacramenta necessaria: duo quidem personæ singulari, baptismus quidem simpliciter & absolute; pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum: Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ, quia ubi non est gubernator, populus corruet, ut dicitur Prov. XI. 14. sed secundo modo sunt necessaria alia Sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctio pœnitentiam: matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat.* Hactenus S. Thomas.

Alia vocantur *mortuorum*,

Alia *vivorum*

Quantum denique ad *Sacramentorum* attinet dignitatem, sancitum est ab eodem Tridentino sess. VII. canone 3. Sacramenta non ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud non sit alio dignius. Hæretici enim, præsertim Calvinistæ, æqualia inter se *Sacramenta* esse autumant, ut confirmationem, & alia, quæ ut Baptismus, & Eucharistia in sacris novi Testamenti libris non commendantur, è *Sacramentorum* numero extrudant, ut in Antidoto Concil. Trid. ad hunc Canonem scribit his verbis hæresiarcha Calvinus: *Quis non malit Neptunium sustinere fulmen, quam æquare Christi institutis hominum inventa? Baptismum legimus à Christo commendatum: similiter, & sacram cænam. De aliis nihil tale.* Eo quoque fine putant quidam Calvinum *Sacramenta* fecisse paria, quoniam æquiparando Eucharistiam baptismo poterat facilius negare realem Christi in *Sacramento* præsentiam. At, cum etiam Lutherus in hoc dogmate adversarius Calvini, æqualitatem *Sacramentorum* commentus sit in Epist. ad Pragensem Senatum, arbitror

4. Dignitas Sacramentorum.

Non omnia sunt paria, contra Calvinum, & Lutherum, aliosque Novatores.

tum Calvini, tum Lutheri dogma eo collineare, ut asserant *Sacramenta* inter se paria, quoniam eodem Dei verbo fidem excitando, ratione consimili ad salutem proficiunt, nullumque *Sacramentum* operatur in anima sanctitatem: nam Lutherus eo loci haud obscure id prodidit scribens: *Nullum Sacramentum alio dignius est, quod omnia eodem verbo nituntur.* Qua in re quantum à veritate Novatores aberrent, ea commonstrabunt, quæ dicentur de *Sacramentorum* effectibus. Sacratissimam verò Eucharistiam, *Sacramentum Sacramentorum* à Patribus nuncupatam, mysteriis cæteris præferendam demonstrant rationes plurimæ à D. Thoma productæ citata q. LXV. art. 3. At modo eam tantum proferam, quam suppeditat sess. XIII. cap. 3. Synodus sacrosancta, dum ait: *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse Sanctitatis auctor ante usum est:* ex quo etiam sequitur in hoc *Sacramento* non solum à digne accedentibus suscipi gratiam, verùm & Dominum Jesum, fontem gratiarum omnium.

Eucharistia omnium dignissimum & *Sacramentum Sacramentorum.*

5. Reliqua præstant inter se quoad effectum.

Etsi autem Eucharistia longe reliqua *Sacramenta* præcedit: singula tamen peculiarem habent effectum, quo tantum considerato præstantiora sunt reliquis; ut baptismus præstat in abluenda macula originali, pœnitentia in reconciliatione lapsorum, ac ita de cæteris ratiocinando. Quare prælaudatus canon tertius ad hunc modum post exactam limam, ac ponderationem redactus fuit: *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Ubi notandum est adjectam eam vocem, *nulla ratione*, propterea quod placebat quibusdam canonem hunc esse prætermittendum, cum sit in quovis *Sacramento* quædam propria excellentia, ob quam secundum aliquam rationem possit cæteris æquiparari. Videsis Eminentissimi Pallavicini Historiam lib. IX. cap. 7. num. 4. Hæc verò de iis, quæ in hujus capitis titulo proponuntur, sint dicta.

# CAPUT VIII.

## Agitur de *Sacramentorum* novæ Legis institutione.

### *SUMMARIUM.*

1. Scholasticorum antiquorum variæ opiniones.
2. Post Tridentinum omnes conveniunt.
3. Notandum circa potestatem instituendi.
4. 5. 6. 7. Probatur, Christum immediatè instituisse omnia Sacramenta novæ legis.
8. & 9. Afferuntur, & solvuntur objectiones.
10. Sacramenta omnia immediatè à Christo fuisse instituta, non est de fide.
11. & 12. Solvuntur objectiones.
13. & seqq. an puræ creaturæ communicari possit potestas instituendi Sacramentum.

1. Prænot. 1. Scholasticorum antiquorum ante Trid. Opiniones variæ.

SCribit doctissimus Bellarminus lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 23. olim quosdam Scholasticos existimasse, non omnia *Sacramenta* à Christo fuisse *immediatè* instituta; nam, inquit, Hugo Vict. lib. 2. de Sacram. p. 15. cap. 2. & Magister lib. IV. dist. 23. negant à Domino institutam Unctionem extremam. Alex. Alensis q. 9. m. 1. ac S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 1. qu. 1. tenent *Sacramentum* Confirmationis institutum post mortem Apostolorum in Concilio Meldensi: idem Alensis q. 14. memb. 3. Bonav. dist. 17. art. 1. q. 3. & Marsilius in IV. q. 14. asserunt non à Christo, sed ab Apostolis institutum *Sacramentum* Pœnitentiæ. Id quidem de Confirmatione, ac de Unctione extrema verissimè dictum est: sed quantum ad Pœnitentiam attinet, Alensis q. 14. art. 3. aperte docet institutam à Domino tam quantum ad *materiale*, quod se tenet ex parte pœnitentis, quàm quantum ad *formale*, quod attenditur in absolutione, & potestate clavium. Bonaventura autem ait *formale* confessionis, id est, potestatem absolvendi, per se institutum à Christo, *materiale* autem, & accusationem peccati, insinuatum tantummodo. Verùm id parum refert. Profecto neque Confirmationem à Concilio Meldensi, neque Unctionem extremam à Divo Jacobo institutam valido momento antiqui illi Scholastici demonstrabant: enimvero in Concilio Meldensi, (quod ignoro cur Gregorius de

de Valentia Tom. IV. pag. 529. scripserit non reperiri,) canone 44. 45. & 46. agitur de consecratione, & in unctione Chrismatis, non autem de institutione. Vid. Tom. VII. Conc. pag. 1833. Divus autem Jacobus inunctionem infirmorum cap. v. 14. commendavit, præcepit, atque, ut loquitur Trid. sess. XIV. *promulgavit*, sed non instituit.

2. Prænot. 2. Post Trid. omnes conveniunt.

Postquam verò eadem Tridentina Synodus sess. VII. can. 10. *omnia Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta esse definivit*, nemo prorsus est, qui audeat oppositum literis mandare, aut sentire. Ex tridentina etiam definitione colligitur Christum fuisse *Sacramentorum* omnium immediatum Auctorem, quod adversus communem sententiam audax nimium esset, errorisque plenissimum impugnare. Verum an *immediata* hæc institutio spectet ad fidei decreta, non consentiunt Scholasticis celebriores: affirmant quippe, non posse illæsa fide negari, quod Christus *immediate* ac per se ipsum *Sacramenta* omnia instituerit, citato loco Bellarminus, Becanus de Sacramentis in communi cap. 5. Vasquesius in 3. p. disput. 135. cap. 1. Gonet disput. v. art. 1. Joan. Bapt. Duhamel dissert. 2. cap. 2. Puteanus noster in 3. p. q. 64. dub. 1. Gavardi q. 1. art. 5. §. 1. Isambertus q. 64. disp. 1. art. 1. Frassen. disp. Proemial. art. 2. q. 1. concl. 3. & Canali disp. 3. q. 1. ad 2. objectionem. At sunt viri alii doctissimi, qui licet fateantur *Sacramenta* omnia immediate à J. Christo instituta, idque censeant Tridentinis Patribus, & rationi magis conforme, nihilominus affirmant id nequaquam definitum fuisse; inter quos connumerantur viri doctissimi, Estius in IV. dist. 1. §. 16. Suaresius in 3. p. q. 64. art. 4. disp. 12. sect. 1. Florentius de Cocq. Tract. VII. sect. 2. Caspar Juenin. q. 4. concl. 2. Cardinalis Gotti q. 6. dub. unica §. 2. Tournely q. 5. art. 1. atque ex nostratibus Farvacquez cap. 2. q. 1. & Leonardus Vanroy cap. 2. q. 1. Atque hos omnes laudandos existimavi, ut ex ipsa Doctorum dissensione constaret in hac secunda quæstionis parte non esse judicium adversus Farvacquesium nostrum temerè pronuntiandum.

Dissentiunt tamen in uno, & in quo?

3. Prænot. 3. circa Potestatem instituendi.

Et quoniam vagum Scholasticorum ingenium non tantum in iis, quæ facta sunt, occupatur, sed etiam erigit se ad investiganda quæ possent aliquando contingere; istud etiam ad concertationum acervos traxere, num potestas instituendi *Sacramenta* possit nudis creaturis communicari: qua in re negantem partem tenuerunt Scotus in 4. dist. 1. q. 3. Gabriel q. 2. art. 3. Durandus dist. 1. q. 1. num. 4. Vasquesius 3. p. disp. 135. cap. 2. Mastrius disp. 1. q. 6. & Frassen art. 2. q. 1. concl. 1. affirmativam vero propugnant Thomistæ, & Ægidiani omnes, Suaresius in 3. p. q. 64. art. 4. disput. 12. sect. 2. Valentia disput. III. q. v. puncto 3. Joannes Puteanus disp. v. art. 1. aliique quamplurimi. Tria itaque erunt nobis disquirenda: primum, an Christus immediate instituerit *Sacramenta* omnia: alterum, an id à Tridentina Synodo sit definitum; tertium, an simplici creaturæ possit istiusmodi institutionis communicari potestas.

Tria hic disquiruntur.

4. Propositio 1. Christus immediatè instituit omnia Sacramenta novæ Legis. Prob 1. ex Scriptura.

Propositio I. Christus Jesus *immediatè* omnia legis novæ Sacramenta instituisse dicendus est.

Id namque, etsi non adeo apertè, haud difficulter tamen ex Scripturis colligitur. Primum quoniam Apostoli *Sacramentorum* non auctores, sed dispensatores in Apostolicis literis appellantur. Paulus enim in priori ad Corinth. III. 5. retundens eorum zelum & contentionem, qui in partes eorum, à quibus *Sacramenta* recipiebant, facto schismate abibant, inquit: *Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus, Ministri ejus, cui credidistis.* Et initio proximi capitis: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Petrus quoque epist. 1. cap. IV. 10. omnes Ecclesiarum rectores appellat *dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Si autem cuipiam tanta collata esset dignitas & facultas, ut dici posset *Sacramentorum* institutor, & auctor, nonne id potius, quam mortalibus cæteris, datum fuisset Apostolis? At hi mysteriorum fuere tantummodo dispensatores. Præterea in Apostolicis Actis cap. 1. v. 3. testatur Lucas, Dominum Iesum post resurrectionem suam per dies quadraginta cum discipulis conversatum, fidei veritatem multis argumentis confirmantem, & loquentem de Regno Dei, id est, aperiendo discipulis sensum divinarum Scripturarum, exponendo Ecclesiasticam hierarchiam, necnon formas ritusque Sacramentorum. Nisi enim de iis, quæ in Ecclesia præcipua sunt, ac plurimum necessaria, divinus Magister postremis illis diebus sermonem habuit cum Apostolis paulo post ad fidem propagandam profecturis, de qua re putabimus confabulatum? Recte itaque S. Leo Serm. 1. de Ascensione cap. 2. pag. 71. scribit: *Non ergo ii dies, dilectissimi, qui in-*

*ter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu: sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria.* Insuper *Sacramenta* omnia, ut vidimus supra, & accuratius demonstrabimus de singulis pertractantes, testimonio aliquo sacrorum Evangeliorum commendantur, ideoque, antequam Christus ad cœleste solium conscenderet, fuerant instituta.

5. Prob. 2. ex Traditione.

Probatur 2. traditione. Nullum quippe traditionis validum magis, ac veraciorem testem in medium proferre possumus, quam Synodum Oecumenicam à Romano Pontifice confirmatam, & ab universa Catholica Ecclesia receptam: de qua infra. Deinde, ut mittamus Dionysium Areopagitam, qui in cap. 1. de Eccl. Hierarch. pag. 235. ait primos sacri ordinis nostri moderatores, supersubstantialis principatus munere plenos, tradidisse nobis in sensibilibus figuris supercælestia, & in materiis immateriata, id est, traditione à Christo derivata Sacramentorum symbola exposuisse; ut inquam, hunc missum faciam, S. Ambrosius lib. IV. de Sacramentis cap. IV. num. 13. *Ergo*, inquit, *auctor Sacramentorum qui est, nisi Dominus Jesus? De cælo ista Sacramenta venerunt.* S. P. Augustinus de Doctr. Christ. lib. III. capit. 9. num. 13. de Sacramentis ait, *Ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina*, productis exemplis Baptismi, & Eucharistiæ, quæ duo *Sacramenta* immediate à Christo Jesu instituta neque ullus negat heterodoxus. Idem docet in Epistola ad Januarium 118. nunc 54. num. 1. Perspicua autem de vera Religione cap. 17. num. 33. *Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continerent.* Vide Hieronymum Torrensem Confess. Augustin. lib. 3. cap. 1. parag. 2.

6. Prob. 3. ex definitione Trid.

Tertio probatur definitione Tridentini: cujus sess. VII. canon primus est: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, &c. anathema sit.* Ubi non definitur quidem *Sacramenta* à Domino instituta *immediate*, sed istud tamen firma hinc argumentatione deducitur. Principio namque quid est *instituere*, nisi aut decernere, aut erudire, aut inchoare, aut proponere, aut dirigere, aut promulgare? Quocunque ergo sensu dicatur Jesus Christus *Sacramentorum* institutor, ipse eadem *Sacramenta* determinavit, proposuit, & de iis discipulos imbuit: ideoque omnia per semetipsum, priusquam cœlos conscenderet, instituerat: statuere enim & inchoare est prima institutio; promulgare autem atque erudire, primam institutionem supponit. Deinde Tridentina Synodus aperte inter institutionem, ac promulgationem distinguit, dum sess. XIV. Canone 1. decernit Extremam unctionem esse *vere, & proprie Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Jacobo Apostolo promulgatum.* Præterea eadem sacrosancta Synodus sess. XXI. cap. 2. ita Apostolis & Ecclesiæ tribuit potestatem instituendi ritus, & ceremonias, quæ servari solent in sacrorum mysteriorum celebratione, ut videatur illis denegare facultatem immutandi, quæ pertinent ad horum substantiam, ideoque hæc à Christo fuit constituta, atque determinata: etenim declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait; Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso* (Eucharistiæ) *Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, Cætera, inquit, cum venero, disponam.* Atque his etiam roboratur momentum primum ex verbis Pauli depromptum.

7. Prob. 4. ex ratione.

Probatur tandem ratione. Ac primo, cum Deus per se, & immediatè instituerit *Sacramenta* legis veteris, tametsi essent elementa egena atque infirma, necnon plurium Doctorum opinione, *Sacramentum* quoque legis naturæ: cur *immediate*, ac per se non instituit *Sacramenta* perfectiora, & symbola cœlestium munerum efficientia? Adhæc tribuere vim sanctificandi sensibili elemento, atque ad producendam spiritualem gratiam, aquam, oleum, triticeumque panem elevare quisnam potest, nisi supremus Dominus? Insuper si Christus Ecclesiæ ædificator est, Fidei Conditor, & animarum Sanctificator; quomodo non ipse instituit *Sacramenta*, quæ sunt Ecclesiæ compago, fidei symbola,

bola, animarum remedia? Tandem Apostoli, eorumque successores possunt quidem articulos fidei à Christo traditos explicare ac proponere, sed nova dogmata, & novos articulos condere nequeunt. Pari ergo jure potuerunt tradere nobis instituta à Christo mysteria; nova autem *Sacramenta* instituere non potuerunt.

8. Objectio 1ma ex S. Aug.

Adversus hanc priorem thesim militant quæ sequuntur. Primum Augustinus cum lib. 3. de doct. Christiana, tum Epist. ad Januarium, ubi ait *Sacramenta* à Christo instituta, duo tantum commemorat, Baptismum, & Eucharistiam; reliqua igitur vel *Sacramenta* non sunt, vel instituta fuerunt ab Apostolis, aut ab Ecclesia.

2da ex Arnoldo.

Deinde Auctor Sermonis de Ablut. Pedum, de quo non semel mentionem fecimus, pag. CIII. scribit: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor: in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem; & sicut par est Spiritui sancto, & Christo divinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas & potestas: nec minus ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quòd ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit.* Ex quibus videtur solum Eucharistiæ *Sacramentum* habere Christum auctorem, reliqua autem ab Apostolis fuisse instituta.

3tia ex Scripturis.

Ad hæc ex Scripturis demonstrari nequit, quando Christus Dominus instituerit *Sacramenta* septem, præsertim verò, quando Matrimonium ad *Sacramenti* evexerit dignitatem. Præterea quæ scripta non sunt, retinentur tanquam *ab Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta*, juxta Augustini regulam, citata ad Januarium Epist. Tom. 2. pag. 124. Cum itaque institutionem omnium *Sacramentorum* non possimus è Scriptura sacra colligere, consequens est nonnulla instituta fuisse ab Apostolis, vel à Synodo aliqua universali.

4ta ex prænotandis.

Tandem, ut in prænotatis dictum est, nonnulli doctores Catholici à Christo *immediate* instituta negant *Sacramenta* Confirmationis, & Unctionis extremæ.

9. Resp. ad 1mum.

Resp. ad 1. S. P. Augustinum uti eo loci particula *sicuti*, ex omnibus aliqua proferens exempli causâ, ut diximus cap. 5. quare sicut ibidem alia *Sacramenta* non denegat, ita non denegat institutionem aliorum *Sacramentorum* immediatam. Quod sequitur nullius momenti est, siquidem illius sermonis Auctor, dum ait homines in *cæteris* habuisse Spiritum sanctum doctorem, non affirmavit ab hominibus instituta cætera *Sacramenta*, sed ea tradita, quæ ad *Sacramenti* Eucharistiæ pertinent celebrationem, puta sacram lyturgiam, jejunium, & alia, quæ Apostolica traditione didicimus. Ait enim non minus ratum esse, *quod Christus Jesus in sui commemorationem fieri præcepit*, quam ea, quæ dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt: eodem ferme pacto, quo Apostolus in priori ad Corinth. XI. posteaquam præceptum Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, luculenter exposuit, inquit versu ult. *Cætera autem, cum venero, disponam.* Vide quæ supra diximus ex Tridentino, nec non Augustinum scribentem citata Epist. 54. ad Januarium num. 8 institutum ab Apostolis, & quidem Spiritu sancto dictante, ut Dominicum corpus sumatur à jejunis, productis ad hoc comprobandum Apostoli verbis. Proximum hac ratione diluitur: quamvis in scripturis expressa non esset institutio *Sacramentorum*; hinc tamen nihil eueretur propositioni nostræ contrarium; quippe præter Scripturam agnoscimus tanquam fidei normam, & irreformabilem regulam, *verbum traditum.* Ast nihilominus etiam sacræ literæ instituta à Christo *Sacramenta* commonstrant, & Matrimonium quidem Matt. XIX. 4. aut Joan. 2. 1. ut alibi discutietur. Illud verò, quod additur, hanc exigit responsionem. Augustinus in citata ad Januarium Epistola tria distinguit, primum *Sacramenta* à Domino instituta, sicuti est baptismus, & Dominici corporis communicatio: deinde ea, quæ ab universa Ecclesia servantur, ut anniversaria solemnitas resurrectionis, ascensionis Christi, & adventus Spiritus sancti: tertio loco, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, ut jejunium sabbati. Apertissimum est autem in verbis, quæ objiciuntur, sanctum Patrem loqui de iis, quæ secundo loco posita sunt, ideoque nihil inde concluditur, nisi in Ecclesia præter *Sacramenta* retineri *alia commendata & statuta*, quæ si serventur ab universa, quacunque se diffundit Ecclesia, cujusmodi sunt solemnitates prædictæ, quamvis scripta non sint, retinenda sunt tamen, quoniam ex illorum universali consuetudine

ad 2dum.

ad 3tium.

tudine apparet, aut tradita fuisse ab Apostolis, aut definita in Synodis Oecumenicis.

ad 4tum. In diluenda objectione postrema non immorabimur; cum paucorum Doctorum placitum nequeat esse locus Theologicus ineluctabilis, pateatque innixos illos fundamento labili & arenoso; quoniam, ut diximus in prænotationibus, ex Jacobi Epistola infertur hunc Apostolum promulgasse, non præscripsisse infirmorum unctionem, & constat Meldensem Synodum anno tantum 845. coactam, cum permulti Patres Confirmationis meminissent, definire duntaxat, ne Chorepiscopi Chrisma consecrent, neque Episcopi alio tempore, quam majoris hebdomadæ quinta feria, illud conficiant, neque ipsi, sive illorum ministri exigant denarios, vel munuscula quælibet à confirmandis. Cæterum ex hac eadem objectione adversus heterodoxos perspicuè infertur Tridentinos Patres non ad normam eorum, quæ Petrus Lombardus, aut Scholasticorum quispiam privata sententia docuit, sed juxta traditionem in Romana Ecclesia custoditam, fabricasse decreta, & canones edidisse.

10. Propositio 2. Sacramenta omnia esse à Christo *immediatè* instituta, Trid. non definivit tanquam dogma fidei Prob. 1.

PROPOSITIO II. Non est tanquam dogma fidei à Tridentina Synodo definitum, *Sacramenta* omnia esse à Christo *immediate* instituta.

Prob. I. In definitione enim Tridentini particula *immediate* non reperitur, & licet à nobis inferatur Theologica ratiocinatione, quia institutor propriè dicitur, qui idem auctor est, & quia Ecclesiæ collata est potestas immutandi ritus, non verò *Sacramentorum* substantiam; hæc tamen ratiocinatio idonea non est ad fidei decretum constituendum. Enimvero si potest dici Christus miraculorum patrator, quamvis miracula plura patrata sint per Apostolos, necnon baptizans & consecrans, licet in ejus nomine consecrent, baptizentque ministri; ac si Deus non minus est princeps causa eorum effectuum, qui ab ipso immediatè producuntur, quam illorum, qui causas habent secundas: non repugnat dici etiam Christum Dominum *Sacramentorum* institutorem, tametsi per Apostolos, sua in eos potestate translata, *Sacramenta* quædam instituisset. Dixi autem, *non repugnat*; ego quippe in hujusmodi comparatione non arbitror tantam inesse vim, quantam putant Tiletanus, de Cocq, & Farvacquez: siquidem dum efficientem causam nomino, non exprimo *immediatum*, aut *mediatum* principium; dum verò dico *Institutorem*, intelligo eum, qui statuit, qui determinat, qui est auctor *immediatus*. Non enim de iis ritibus, E.G. quæ Ecclesia mutat, ut Tridentinum loquitur, *pro rerum, temporum, & locorum varietate*, proprie dicimus, *Christus ritus istos instituit*, sed, *instituit Ecclesia*; tametsi Ecclesia hoc præstiterit facta sibi à Domino potestate. Atque id monui, ne argumentum istud videretur oppugnare superiorem propositionem.

II. Jodocus Ravestein Lovanienſis Theologus, & ad Tridentinam Synodum missus à Maria Regina Belgii Gubernatrice, & qui tantæ fuit existimationis, atque doctrinæ, ut in reformando canone primo de Confirmatione præcipuam habuerit partem, ex Historia Conc. lib. XII. cap. 12. num. 11. in Apologia edita contra Martinum Kemnitium, qui canoni I. sess. VII. inseruit particulam *Ipso*, legens, *Si quis dixerit non omnia ista septem Sacramenta à Christo ipso instituta esse, anathema sit:* scribit, *Hanc cavillationem studiosè & circumspectè Patres Synodi excluserunt, dum decreverunt, quod omnia novæ legis Sacramenta instituta quidem sint à Jesu Christo, non autem quod omnia sint à Christo immediate instituta.* Prob. 2.

III. Ruardus Tapperus Theologus alter Lovanienſis in Explicat. articulorum adversus hæreticorum dogmata, à se exornatâ, postquam à Tridentina Synodo reversus fuerat, pag. 3. inquit: *Inquiri posset, si hæc potestas instituendi Sacramenta fuerit apud Apostolos, an fuerit solum Apostolica, an in Ecclesia manserit apud eorum successores; sed nihil horum requirit articulus, qui solum habet, quod omnia Sacramenta sunt à Christo instituta: non autem quod ab eo sunt instituta immediate.* Et in altera declaratione breviori edita ante præcedentem, anno 1554. pag. 9. probabilem esse pronuntiat sententiam Magistri Sententiarum, & Hugonis, *determinationem materiæ, aut etiam formæ Sacramentorum fieri potuisse ab Apostolis, imo factam esse re ipsa in nonnullis Sacramentis ex instinctu Spiritus sancti.* Quod sane vir eximius non asseruisset, si compertum ei esset, visum aliter Tridentinis Patribus, præsertim cum ipse præcedenti pag. 8. sententiam exponens suam, scripserit: *Christus*, in Prob. 3.

Sacra-

Sacramentorum institutione, *res certas elegit, certamque verborum formam præscripsit.*

Prob. 4. IV. Cum Tridentini PP. adeo cautè se gesserint, ne definitionibus suis aliquem ex Catholicis Scriptoribus læderent, quemadmodum in articulo Justificationis factum narrat Pallavicinus lib. VIII. cap. 9. num. 10. in articulo de intentione ministri, lib. IX. cap. 6. num. 2. & in articulo de Attritione, lib. XII. cap. 10. num. 25. haud probabile est damnasse sententiam Magistri Sententiarum, Hugonis, Alensis, Divique Bonaventuræ, qui affirmant aliqua *Sacramenta* non esse à Christo *immediate* instituta; cumque hæretici asseverent, Dominum Jesum instituisse duntaxat Baptismum, & Eucharistiam, reliqua verò *Sacramenta* tanquam figmenta hominum esse explodenda; longe probabilius est, Synodum Oecumenicam ad hæreses extirpandas coadunatam, eo sensu definiisse *Sacramenta* quælibet à Christo instituta, quatenus auctoritate detinentur divina, non autem ex arbitraria hominum inventione.

II. Objectiones. 1ma. Oppones primò cum Bellarmino lib. I. de Sacram. in gen. cap. 23. Nisi Tridentina Synodus statuisset singula *Sacramenta* fuisse à Christo *immediate* instituta, frustra canonem istum posuisset, cum nemo unquam dubitaverit, quin saltem mediatè *Sacramenta* instituta sint à Deo.

2da. Secundò. Præterea sess. XIV. can. I. Concilium sese explicat, dum *Sacramenti* extremæ unctionis tribuit institutionem Christo, & B. Jacobo Apostolo promulgationem.

3tia. Tertio sess. XXI. cap. 2. declarat, Ecclesiam habere potestatem immutandi ritus Sacramentorum, *salva tamen eorum substantia.* Hæc etiam nos produximus supra ad priorem thesim stabiliendam.

12. Resp. ad 1mum. Ad primum respondetur, hæreticos affirmare *Sacramenta* quædam, nec mediate, nec immediate fuisse à Christo instituta; siquidem Melanchthon in Locis communibus Confirmationem appellat *otiosam ceremoniam*, Calvinus in Antidoto §. 11. ait, se *ne unius quidem stercoris Chrisma facere*, Wiclefus longe antea scripserat lib. IV. Trialogi cap. 14. Confirmationem ipsam *à Diabolo introductam.* Pœnitentiam Calvinus lib. IV. Instit. cap. 19. §. 17. appellat *mendacium & impostu*ram, Kemnitius effutiit hoc Sacramentum, *factum à Petro Lombardo*, idem affirmant cæteri Novatores. Unctionem extremam Lutherus in libro de Captivit. Babyl. vocat *deliramentum*, Philippus in locis *ceremoniam superstitiosam*, Calvinus cit. loco §. 18. *Sacramentum fictitium.* Itaque adversus istiusmodi blasphemias definitum est, omnia *Sacramenta* esse à Christo instituta; nullum esse inutile figmentum, nullum impostu*ram*, nullum ritum superstitiosum. De institutione autem *immediata* nullam habemus fidei definitionem.

His diluitur objectio secunda; cum enim Lutherus scripserit unctionem extremam institutam à Jacobo Apostolo, aut ab Ecclesia, *propria auctoritate*, optime definiunt Tridentini PP. institutam à Christo, & à Jacobo promulgatam, quoniam nec Jacobus, nec quispiam alter auctoritate propria *Sacramentum* istud invexit. Hæretici enim, ut Extremam unctionem facilius eliminarent, Magistro hanc affixere calumniam, quod opinatus sit, Jacobum suomet libitu, non Spiritu sancto dictante Unctionem ipsam induxisse: quam calumniam expungit Controv. x. Albertus Pighius, demonstrans, quomodo veteres Scholastici, qui putarunt *Sacramenta* aliqua ab Apostolis instituta, nunquam existimarunt, quod hoc præstiterint sepsis, nullaque suffulti à Domino potestate. Ad 2dum.

Denique sess. XXI. declarat Tridentina Synodus, in *Sacramentis*, posteaquam instituta sunt, non posse immutari substantiam, sed ceremonias ritusque tantummodo, ipsis *Sacramentis* permanentibus; quæ tamen, cum sint plurimum necessaria, nequeunt in desuetudinem, cum ritibus antiquitatis, abire: num verò primum *Sacramenta* instituta sint à Christo *immediate*, hoc in loco Tridentina Synodus, expressa saltem definitione, nequaquam affirmat. Ad 3tium.

PROPOSITIO III. Facile possunt conciliari diversæ Theologorum sententiæ circa quæsitum tertium, an communicari queat creaturæ *hypostatice* Deo non unitæ potestas instituendi *Sacramenta.* 13. Propositio 3.

Triplex enim potestas distinguenda est, *auctoritatis*, quæ propria est Dei, importatque virtutem conferendi sensibilibus signis vim effectricem producendi gratiam: *excellentiæ*, quæ potestas convenit humanitati Christi, atque in eo sita est, ut Christus promeruerit eam gratiam, quæ per *Sacramenta* confertur rite dispositis; ut potuerit ipsam gratiam conferre etiam absque sensibilibus Sacramentorum signaculis, atque ut eadem *Sacramenta* in Christi nomine

Auctor conciliat Theologos distinguendò triplicem Potestatem, *Auctoritatis* scilicet, *Excellentiæ*, & *Ministerii.*

administrentur: tertia est potestas *ministerii*, sive delegata Ecclesiæ ministris, quâ *Sacramenta* à Domino Jesu instituta parant, efficiunt, dispensant. Atque de hac potestate nulla oriri potest dubitatio.

14. Quoad potestatem *Auctoritatis* subscribit Scoto.

Quantum ergo attinet ad potestatem *auctoritatis*, affirmandum est, non posse creaturæ alicui communicari; sola enim suprema Causa potest talem virtutem tribuere sensibili elemento, ut corpus tangat, & sanctificet animam. Cum enim gratia sanctificans animam sit divinæ naturæ participatio, arrha Spiritus sancti, & pignus cœlestis hæreditatis: quis, nisi Deus summus potest nos evehere ad divinitatis consortium, nobisque Spiritum sanctum, & gloriæ, quæ pendet à Dei beneplacito ac promissione, pignus, arrhamque tribuere? In hoc ergo subscribendum est Scoto: quamvis enim creatura à Deo talem nacta esset facultatem, ut symbola *Sacramentorum* statueret, atque pro suo arbitratu determinaret materiam, formamque præscriberet; semper tamen virtus supernaturalium donorum effectrix esset divini muneris opus.

15. Quoad potestatem *Excellentiæ*

At si loquamur de potestate *excellentiæ*, tametsi hæc nequeat ea ratione creaturis communicari, qua competit Salvatori, cujus meritum ob *hypostaticæ* unionis prærogativam infinitum est, omniaque gratiarum præstantissima dona potuit *de condigno* universis Adæ posteris promereri, potest tamen creaturis concedi, ut cum D. Thoma q. 64. art. 4. tenent Scholastici fere omnes. Neque enim in hac potestate aliquid apparet, quod vel contradictionem importet, vel rerum creatarum superet conditionem. Nam si creatura accepta à Domino potestate instituret *Sacramenta*; gratiam ipsa non efficeret, sed Deo largiente illam sensibili signo alligaret, quod sufficere videtur ad *Sacramentorum* institutionem. Posset etiam creatura absque visibilium *Sacramentorum* adminiculo gratiam cæteris impertiri, non quidem tanquam causa princeps, sed tanquam à suprema dependens: qua in re quid contradictionis eluceat, ego quidem non video. Neque absolutè potestas instituendi *Sacramenta* exigit meritum infinitum; cum Deus gratiarum suarum Dominus, eas possit, quando, & quomodolibet ei libuerit, dispensare. Sicut ergo poterat per *nudum* hominem universos redimere, non tamen præscripta rigorosa illa satisfactione, quam exhibere non valebat, nisi Deus-homo, Christus Jesus: ita potuisset puræ creaturæ largiri facultatem instituendi *Sacramenta*, non ita tamen, ut creatura illa gratiam cæteris conferendam eo promereretur pacto, quo illam Dominus Jesus, Deus-homo promeruit. Quamquam enim S. Thomas citato art. 4. scribat, potuisse Deum ministris communicare *tantam gratiæ plenitudinem, ut ad invocationem nominum ipsorum conferrentur Sacramenta, & ut ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio;* attamen existimandum non est beatissimum Thomam tribuere creaturæ possibili potestatem *excellentiæ*, qualem præcedenti articulo tribuit humanitati Redemptoris, tanquam *instrumento conjuncto in eadem persona divinitati.*

Divo Thomæ &c.

16. Et Augustino.

Posse etiam Deum tantam dignitatem impertiri creaturæ, ut in hujus nomine *Sacramenta* conferantur, diserte scribit S. P. Augustinus Tract. v. in Joan. num. 7. quamquam ibidem sapientissime animadvertit, magis congruum fuisse, ut unus Dominus Jesus Christus esset *Sacramentorum* institutor & auctor, quo facilius teneretur Ecclesiæ unitas, & quisque perciperet unum esse Mediatorem nostrum, in quo spes nostra locanda est. Quare si creatura tantam obtinuisset prærogativam, ut in ejus nomine aliquis baptizaretur, aut alia *Sacramenta* reciperet; ad servandam Ecclesiæ unionem esset quotidie singulis inculcandum, creaturam ipsam, non propria auctoritate, sed delegata, vim tantam communicasse elementis, ejusque nomen, tanquam illius, qui vicem gereret supremi Auctoris, in Sacramentali ministratione proferri. *Potuit autem* (inquit Augustinus) *Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus à Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo: ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut nomine Pauli baptizati estis?* Atque his præclarissimi Doctoris Augustini verbis dissertationi modum, finemque constituo.

CAPUT

# CAPUT IX.

## An *Sacramenta* novæ legis rebus, & verbis, tanquam *materiâ*, & *formâ* perficiantur.

### *SUMMARIUM.*

1. Cur Scholastici utantur vocabulis *materiæ*, & *formæ*.
2. Refertur error Pauli Sarpi.
3. Sacramenta rebûs tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ perficiuntur.
4. Materia, & forma Sacramentorum non habet cum principiis rerum æquabilem analogiam.
5. Triplex differentia inter Sacramenta, & compositum physicum.
6. Objectio Pauli Sarpi refellitur.

1. Scholastici cur hîc utantur vocabulis *Materiæ* & *Formæ*?

DE partibus, quibus perficiuntur *Sacramenta*, pertractandum est modo. Illas pervulgata nunc Scholarum consuetudine *materiam*, & *formam* appellamus, ducta à rerum naturalium principiis comparatione: nam quemadmodum in corporibus adinvenitur subjecta res indifferens ad constituendum unum, vel alterum, & quod rem illam determinat ad peculiarem quamdam rationem; quorum unum Philosophi *materiam* dicunt, alterum *formam*: ita in *Sacramentis* adinvenitur *elementum*, sive res aliqua subjecta sensibus, & *verbum* rem ipsam determinans, & in ratione *Sacramenti* constituens. Sensibile ergo elementum insignitur *materiæ* nomine, verba *formæ* vocabulo denotantur. Consuetudinem explicandi *Sacramenta* per materiam & formam permulti derivatam putant à Peripatetica philosophia, quæ per materiam, & formam explicat naturalem corporum generationem. Verum num ita res se habeat, incertum. Enimvero si omnium primus *Sacramenta* hisce vocabulis explicavit circa annum 1215. Guilelmus Antisiodorensis in Summa, ut animadvertit Jo. Morinus III. P. de Sacris Ordinationibus Exerc. 1. cap. 1. & ex Morino Juenin q. 3. cap. 2. Vanroy cap. 1. q. 3. ac Tournelius q. 1. art. 4. obtinuerat longe antea disputatrix illa, & sermonis barbari, ac tumescens Philosophia, initio IX. sæculi una cum Arabum tyrannide restituta, priusquam Scriptores Aristotelicis imbuti dogmatibus suas de *Sacramentis* lucubrationes vocabulis istiusmodi contexerent. Neque inusitata sunt in Philosophicis aliis sectis *materiæ* vel *formæ* nomina; quamvis in Arabum physiologia intelligant his nominibus incompletam quamdam substantiam; in aliis verò certam elementorum congeriem, atomorumque combinationem. Meminit quoque *formæ* baptismatis S.P. Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis cap. 34. tametsi videatur eo vocabulo designare potius ritum ac ceremonias, quam verba, quibus perficitur salutiferum regenerationis lavacrum. Rerum tamen, verborumque Sanctum protoparentem meminisse, & utraque necessaria existimasse ad *Sacramenta* conficienda, dubitari non potest.

2. Refertur Error Pauli Sarpi, vulgò Veneti, aut Suavis.

In hac itaque disquisitione refellendus nobis erit error Pauli Sarpi, qui in Hist. Concilii Trid. lib. 2. cap. de Articulis Baptismi, scribit antiquitatis studiosis notum, nunquam priscis temporibus materiam & formam *Sacramentorum* innotuisse; cum Stephanus Papa opinaretur neminem à quacunque hæresi venientem rebaptizandum; Concilium verò Nicænum statuerit, ut denuo tingerentur Paulianistæ, & Montanistæ, non autem Cathari; quamquam illi, qui tunc temporis vigebant hæretici, exceptis paucis Montanistis, insolitis uterentur baptismi formis, propter insolentes, quas tam de Divinitate, quam de persona Christi tuebantur opiniones. Atque hinc Suavis methodum explicandi *Sacramenta* per *materiam*, & *formam* carpit & vellicat, tanquam veteribus incompertam. Deinde quoniam multi magis, quam æquum sit, contentiosi, spectato munere, quod in corporibus exercetur à materia, & forma, simul dum corpora constituunt existentibus, ac permanentibus in composito, frustra tale munus in *Sacramentis* perquirunt; explicanda est etiam differentia, quæ intercedit inter principia physici corporis, & inter materiam, formamque *Sacramentorum*.

3. Propositio I. Sacramenta rebûs, tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ perficiuntur. Prob. 1. ex Conciliis.

PROPOSITIO I. *Sacramenta* rebus, *tanquam materia*, & verbis, *tanquam forma*, perficiuntur.

Probatur primo. Eugenius in Instruct. Armenorum, in Concilio Florentino Tom. XIII. pag. 535. *Sacramentis* omnibus novæ legis enumeratis, inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur*,

*tur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Synodus pariter Bituricensis Tom. xv. pag. 1067. *Omnia etenim Sacramenta tribus constant ac perficiuntur, rebus ut materia: verbis, ut forma: ministro ut conferente Sacramentum, & communem Ecclesiæ intentionem habente.*

Prob. 2. Traditione.

Deinde probatur traditione. Et Occidentalis quidem Ecclesiæ apparet ex memoratis Synodis universalis assensus: Orientalis vero Ecclesiæ traditionem commonstrat in sua Censura ad Witembergenses directa Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus scribens cap. VII. pag. 60. *Quæ quidem omnia Sacramenta sacra sanciuntur Scriptura, certamque ac definitam materiam & formam habent: uti baptismi materia est aqua, forma autem verba Sacerdotis illa, Baptizatur servus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Prob. 3. Specialiter de Materia,

Præterea *Sacramenta* constare materia, aut re aliqua sensibili indubitatum est; cum enim sint signa gratiæ, debet in his adhiberi sensibile aliquod *elementum*, quo effectus designari queat spiritualis. Quare diximus præced. cap. v. etiam Diabolum in superstitiosis initiationibus, sive ad affectationem divinitatis, sive ad æmulationem, sive ad contemptum mysteriorum nostrorum, aquam lustralem, panem, oleumque non semel adhibuisse. Eandem materiam haud obscure divinæ literæ manifestant, aquam baptismatis, impositionem manuum, sacram unctionem, ac panem vinumque Eucharisticum commemorantes, mutuam quoque conjugatorum conventionem, assensumque reciprocum, ac peccatorum detestationem: quæ hoc loco innuere sat est.

item de Forma.

Formam autem *Sacramentorum* comprobant momenta complura. Ac primo S.P. Augustinus Tract. LXXX. in Joan. n. 3. inquit: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus abluat, & cor tangat, nisi faciente verbo?* Et infra: *Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo:* atque ibidem: *Detrahe verbum, & quid aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* quæ verba relata sunt in canonem à Gratiano, 2. p. causa 1. q. 1. c. *Detrahe.* Lib. etiam VI. de Baptismo cap. 17. aliisque in locis scribit Augustinus baptismum *verbis Evangelicis* consecrari. Deinde veteres, quemadmodum dictum est alibi, occultabant gentibus Religionis nostræ mysteria: non ipsas res tantum, quæ spectatæ in se communes sunt, nulloque tectæ velamine, sed ritus, consecrationes, & præsertim verborum formam. Innocentius enim Primus in priori sua decretali volumine Sacrorum Conciliorum II. pag. 1245. differens num. 3. de *Sacramento* Confirmationis, sacro commemorato Chrismate, *Verba autem*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere:* & num. 8. explicata materia Unctionis extremæ, ait: *Reliqua vero, quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Legi potest Scheleft. de Arcani disciplina cap. 2. art. 2. Estius in IV. dist. 1. §. 18. & caput hujus dissertat. quintum. Tandem discrimen istud inter vetera ac nova *Sacramenta* intercedit, quod illa gratiam promittebant ac præsignabant; hæc verò illam efficiunt, & conferunt, non solum exhibitione signaculi sensibilis fidem excitando, ut delirant hæretici, verum etiam propria energia ac virtute operando sanctificationem. Quamquam verò rationem signi ac promissionis habere queant nuda *elementa* per solam Auctoris institutionem atque determinationem, quemadmodum sponsorum promissa demonstrat annulus, aut futuram hæreditatem rite conditum testamentum, ideoque ad constituenda vetera *Sacramenta* non fuerit necessaria formæ prolatio: ut tamen aqua, aut res alia subjecta sensibus suamet energia exornet spiritualem animum sanctitate, debet consecratoriis verbis vim quamdam eximiam supra materialia nanciscì; & consequenter ajebat paulo supra benè, sapienterque Augustinus, *Unde ista tanta virtus, nisi faciente verbo?* Et, *Detrahe verbum, quid aqua nisi aqua?* Quod itidem valet de *Sacramentis* reliquis, videlicet, si detrahatur forma verborum, quid oleum nisi oleum? quid panis nisi panis? quid sacrorum ministrorum manus, nisi manus? quid postremo conjugum contractus, nisi contractus? Ut ergo res sensibilis tantam acquirat virtutem, ut habeatur signum gratiæ efficiens & practicum, ut constituatur *Sacramentum* novæ legis præstantius veteribus; accedere debet verbum ad elementum, forma ad materiam: idque priori hac positione erat commonstrandum.

Pro-

PROPOSITIO II. Materia & forma *Sacramentorum* non habet cum principiis rerum corporalium æquabilem analogiam.

4. Propositio 2. Materia & forma Sacramentorum non habent omnimodam similitudinem cum partibus physicis. Prob. variè.

Cum soleant nonnulli è Schola inutiliter, ut puto, circa propositionem præcedentem objectare, quod verba proferantur, non permaneant, quemadmodum in compositis physicis persistit forma; & quod aliquando desinat ipsa materies, perseverante *Sacramento*, ut in Eucharistia substantia panis & vini, aliquando autem nec sit materia aliqua, ut dum impenditur absolutio probis Christianis subito, gravissimoque morbo correptis: necessario commonefaciendum est, Ecclesiam non profiteri in *Sacramentis* materiam & formam *propriè*, & quæ omnino intrinsecis corporalium rerum principiis possit æquiparari. Primum namque præcitata Synodus Florentina non ait *Sacramenta* perfici *materia*, & *forma*, sed rebus *tanquam materia*, & verbis *tanquam forma:* qua loquendi ratione, accuratissima quidem, & consulto usurpata, utitur etiam Tridentina Synodus ubi sess. XIV. cap. 3. appellat actus pœnitentis *quasi materiam* Sacramenti Pœnitentiæ, non vero *materiam* simpliciter, & absolute. Theologi quoque politiores subscribunt beato Thomæ affirmanti q. 60. art. 7. *in Sacramentis verba se habere per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ.* Præterea cum *Sacramentum* non sit compositum aliquod physicum, sed morale, nec etiam ejus partes cum partibus physicis habent omnimodam similitudinem: & sat est, si quemadmodum partes physicæ ad rem naturalem constituendam physicè coexistunt, physice uniuntur, & physice participant materiæ, ac formæ naturam; ita res & verba Sacramentorum *moraliter* coexistant, ut actus pœnitentis & forma Sacerdotalis absolutionis; *moraliter* uniantur, ut subjectus panis, & consecrationis verba; *moraliter* etiam sint sensibiles, ut contritio pœnitentium, sive sponsorum assensus quasi materialis evadit, & sensibus subjicitur per nutus, per verba, per signa alia corporea.

Materiam itaque, & formam *Sacramentorum* idcirco appellamus res, atque verba; quoniam sicut *materia* ad constituendum corpus unum, aut aliud suapte natura indifferens, accedente *forma*, id est, tali substantiali actu, vel tali elementorum affectione, ad unum specie compositum determinatur, & coarctatur: ita res sensibiles, quarum multiplex potest esse usus, per *formam* verborum determinantur ad sacrum mysterium constituendum, efficiendamque gratiam, quæ supergreditur naturalem facultatem rerum quarumlibet sensibilium.

5. Differentia inter Sacramenta & compositum physicum est triplex.

Cæterum inter *Sacramenta*, & compositum physicum intercedit discrimen multiplex: ac primum est, quod principia corporum eidem inhærent, permanentque simul; ait in *Sacramentis* pertransit *forma* verborum, nec semper *materiæ* coexistit, sed illam sæpenumero sequitur post aliquod temporis intervallum. Discrimen alterum est, quod physica materies est solida, & permanens: quorumdam vero *Sacramentorum* materia est actio pertransiens, nec per se, sed tantum adminiculo externorum motuum sensibilis. Tertium discrimen in eo situm est, quod si materia subesse desinat, physicum compositum perit atque dissolvitur; perseverat autem *Sacramentum* quamquam materia nonnisi *moraliter* percipiatur adesse, uti contingit in venerabili Eucharistiæ *Sacramento*, quod permanentibus duntaxat rerum subjectarum accidentibus, diu persistit. Atque horum discriminum rationem paulo antea produximus: quoniam scilicet *Sacramentum* non physicum compositum est, sed morale, neque proprie *materia & forma* constituitur, sed rebus *tanquam materia*, & verbis *quasi forma* perficitur.

6. Objectio, & Error Pauli Veneti refutatur.

Restat ergo, ut Pauli Veneti refutemus futilem, & inanem objectationem. Principio certum est nomina quamplurima quotidiano usu probari, quamvis fuerint antiquis inusitata; idque utiliter, dummodo ad comprobanda fidei dogmata adversus profanas novitates existimentur idonea: quod lib. VII. cap. 13. & 19. ostendimus recte factum de vocabulo *Omoousion*, & particula *Filioque*; lib. XXVI. cap. 14. de voce *Deipara:* nec non libro, in quo versamur, cap. 1. de nomine *Sacramenti.* Deinde quod nos affirmamus, illud idem sacri tradidere Doctores, ubi docuerunt non perfici *Sacramenta*, nisi verbum accedat ad *elementum*, & res sensibiles nullam habere vim sanctitatis effectricem, nisi determinatione verborum. Deinde in eo Suavis turpiter halucinatur, quod ad oppugnandam materiam, formamque *Sacramentorum* utitur exemplo baptismi ab hæreticis collati, cum baptismi tam

materia, quam forma in Evangelio sit expressa. Sapientissime itaque Pallavicinus lib. IX. hist. Concil. Trid. cap. 6. num. 8. his verbis Suavem refellit: *Nec ille nimis crassam comminiscitur tunc in Ecclesia ignorantiam, etiam Evangelii, quo aperte docemur & baptismi materiam, hoc est aquam, & formam, qua baptismum conferimus, hoc est, Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quin unquam accidere potuit, ut in universa Christiana Republica tam cito evanuerit traditio de iis, quibus constare debet Sacramentum maxime necessarium, maxime universale, maximeque nominatum præ reliquis, quæ sunt in Ecclesia. At vero ubi etiam id accidisset, quid causæ erat, quod aliqui baptismi ab hæreticis collati, sicut ipse fatetur, sufficere credebantur, aliqui non sufficere, ideoque illos tunc iterare mos erat? Quænam alia poterit excogitari ratio, nisi quod in illis, non in his cerdebatur Sacramenti substantia? Nulla sunt rerum genera tam opposita, quam falsum & verum; unde qui semel falsum protulit, postea ne falsi convinceretur, opus foret nunquam quidquam veri proferre.* Porro quando immutatio formæ irritet *Sacramentum*, & quid de baptismo hæreticorum asserendum sit, disquirendum est postmodum.

# CAPUT X.

## An pænes Ecclesiam sit immutare formam, ac materiam *Sacramentorum?*

## *SUMMARIUM.*

1. Status Quæstionis.
2. 3. 4. Ecclesia nequit mutare Sacramentorum materiam, aut formam.
5. & 6. Triplici objectioni satisfit.
7. & 8. Solvuntur reliquæ objectiones.

1. Status quæstionis.

PArum, ut opinor distat hæc quæstio ab illa, quam supra definivimus, num Christus Dominus sit *Sacramentorum* omnium immediatus Auctor & Institutor, an verò *Sacramentorum* aliquorum materiam & formam determinaverit Ecclesia Apostolica, facta sibi à Domino potestate. Nam si Dominus Jesus instituit ac determinavit quorumlibet *Sacramentorum* res, atque verba; certum est non posse Ecclesiam hæc adversus Christi institutionem immutare. Ad majorem tamen hujus argumenti notitiam, quoniam de materia, & forma *Sacramentorum* nunc singillatim pertractamus, propositam quæstionem curabimus expressius dirimere. Discipuli itaque Pauli Samosatensis in solis Evangelicis verbis, spreto sensibili elemento, *Sacramenta* constituerunt, quamquam liberos suos aliquando vellent salutati aqua lustrari, ut ex Photio scribit 2. p. Panopliæ tit. 21. pag. 696. Euthymius Monachus Zigabenus. Ita Paulitiani *materiam* Sacramentorum tanquam non præscriptam, & inutilem abjecere. At Novatores, cum velint usurpata in *Sacramentis* verba, quasi ad concionem adhiberi ad fidem excitandam, formam consequenter negant, quæ *Sacramenta* perficiat: supinus ac portentosius error insequenti capite discutiendus. Nonnulli ex Catholicis putant, non quidem præsentem Ecclesiam omnibus institutis plene formatam, sed quæ fuit tempore Apostolorum, determinasse materiam & formam quorumdam *Sacramentorum*, præsertim Confirmationis, & Ordinis: à qua sententia alienus non est Franciscus Farvacques de Sacramentis in genere cap. IV. q. 3. Franciscus Amicus Tom. VII. sect. IV. num. 45. ait potuisse Ecclesiam pro materia Ordinis adhibere usum sacrarum vestium, quas modo adhibet ut ceremonias tantummodo. Ejusdem *Sacramenti* Ordinis essentialem materiam esse solam porrectionem sacrorum instrumentorum censuit in IV. dist. 24. q. 1. art. 4. Dominicus Soto: cumque Apostolorum ætate sacri ordines collati fuerint per solam manuum impositionem, ut demonstrant Franciscus Hallier pag. 427. Morinus 3. P. Exercit. 7. pag. 131. Juenin de Ordine cap. 2. q. IV. consequitur ex sententia Soti immutatam fuisse sacræ ordinationis materiam. Juxta doctrinam vero illorum Doctorum, qui censent tam impositionem manuum, quam instrumentorum traditionem esse sacrarum ordinationum *materiam essentialem*, ut visum Bellarmino de Ordine cap. IX. laudatis ab ipso Theologis, & præcitato Doctori Sorbonico Hallier pag. 439.

saltem

saltem consequitur additam ab Ecclesia ad materiam antiquitus institutam materiam aliam partialem. Nonnullæ aliæ circa materiam confirmationis, & matrimonii occurrunt dubitationes: quibus tamen minime obstantibus, proximam pono assertionem communiori Scholasticorum assensu firmatam.

Propositio. Ecclesia nequit mutare Sacramentorum materiam, aut formam.

Prop. Non est penes Ecclesiam materiam formamque Sacramentorum immutare.

Prob. 1 remissivè.

Prob. 1. Dominus Jesus, juxta præcedens cap. VIII. ita est *Sacramentorum* auctor, & institutor, ut penes Ecclesiam sit quidem potestas statuendi, & mutandi pro temporum & locorum varietate ceremonias & ritus, sed non eorundem *Sacramentorum* substantiam. Si autem Ecclesia posset statuere ac mutare materiam, formamque *Sacramentorum* mutare, & statuere, posset non tantum ipsorum *Sacramentorum* ritus, verum etiam substantiam, quæ in rebus & verbis, sive in materia & forma sita est. Igitur Ecclesia materiam formamque *Sacramentorum* mutare non potest. Præterea Dominus Jesus non solum Baptismum, & Eucharistiam instituit, sed etiam *Sacramenta* reliqua; & quamvis non omnia instituta à Christo invicte demonstretur è sacris literis, inconcusse tamen infertur ex Apostolicis traditionibus; atqui Baptismum & Eucharistiam ita Christus instituit, ut determinaverit materiam & formam, aquam scilicet, panem, & vinum, & Evangelica verba Matt. XXVIII. 19. & XXVI. 26. 28. descripta: Ergo eodem pacto, id est, materiam & formam determinando, instituit *Sacramenta* reliqua. Insuper, quod citato cap. 8. dictum est, congruum fuisse, ut Christus per se *Sacramenta* instituret ad unionem Christiani populi, & ad majorem gratiæ significationem, illud valet etiam de certa determinatione rerum, atque verborum; semel enim determinatione ista relicta in Ecclesiæ potestate, uti in cæremoniis & ritibus, ita in rebus essentialibus sensim inducta esset variatio; & omnes hæreticorum sectæ, quæ temere gloriantur veram apud se Ecclesiam servari, nova *Sacramenta* auderent intrudere, adeoque non solam exteriorem Christi vestem, sed interiorem quoque, inconsutilem, & desuper contextam, Ecclesiæ scilicet fidem, unionem, charitatemque discinderent.

3. Prob 2. Quia est quæstio *facti*.

Ad hæc num Christus dederit Ecclesiæ suæ potestatem immutandi materiam, aut formam *Sacramentorum*, quæstio facti est, & pendens a Christi voluntate. Dum vero facti agitantur quæstiones, nihil est absque valido aliquo momento definiendum. At Ecclesiæ collatam prædictam auctoritatem nequit è Scripturis sacris evinci, nequit comprobari ex traditione; nulloque oraculo Romanorum Pontificum, nullo SS. Conciliorum decreto fulcitur. Sententia ergo, quæ potestatem illam concedit Ecclesiæ, tanquam commentitia rejici debet.

Prob. 3. Quia non est necessarium ad regendam Ecclesiam.

Rursus: mutatio materiæ & formæ *Sacramentorum* nullatenus ad Ecclesiæ regimen est necessaria, quemadmodum necessaria esse potest quandam ceremoniarum abolitio; quid enim commodi accederet Ecclesiæ, si E. G. pro manuum impositione substitueret solum calicem, aut sacras vestes? imo quot in Ecclesia non orirentur dissidia, quot non excitarentur tumultus? At Christus Ecclesiæ illam tantummodo facultatem concessit, quæ optimo ipsius regimini congruere poterat. Non ergo dedit ei potestatem statuendi, & mutandi materiam & formam *Sacramentorum*.

4. Prob. 4. à pari.

Postremò: Ecclesia non potest concedere novum aliquem fidei articulum, non divinam legem abrogare, non vim gratiæ effectricem signaculo tribuere sensibili. Igitur nec potest instituere novum aliquod *Sacramentum*, nec statutam abolere materiam, nec pro libitu alicui rei impertiri sanctificandi virtutem; æqua enim in his omnibus, & quidem summa & divina requiritur auctoritas. Quamobrem Hadrianus VI. in IV. pag. 6. columna 4. hujus argumentationis vim assecutus, ait: *Ecclesia non posset novam formam baptismi, aut alterius Sacramenti instituere aut institutam quovis modo mutare: quia ut solius Dei est animam à labe peccati emundare, juxta illud Isaiæ 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me: ita solus quæ sanctificant animam potest instituere: unde noverit se Ecclesia non esse dominam Sacramentorum, sed ministram; nec posse magis formam aliquam Sacramentorum destituere, aut novam instituere, quam legem aliquam divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere, qui aliter non est de fide.*

5. Objicitur 1mo triplicíter.

Opp. 1. Ecclesia quorumdam *Sacramentorum* materiam re ipsa mutavit: quod sane non fecisset, nisi collata sibi à Domino potestate. Ac primo statuit materiam *Sacramenti* confirmationis esse sacri chrismatis inunctionem, cum ætate Apostolorum baptizati sola impositione

ne

ne manuum confirmarentur, ut liquet ex Act. Apostol. cap. VIII. 18. Deinde per septem priora sæcula Ordinatio Sacerdotalis absque porrectione calicis peracta est, ut liquet ex Ordine Romano ab Alcuino, ut fertur, conscripto: & tamen Eugenio IV. in Florentino Concilio Tom. XIII. pag. 538. ita definit: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superpositа traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Circa materiam itaque sacrarum Ordinationum aliter ab Ecclesia statutum est, quam servaverit primæva Apostolicæ Ecclesiæ consuetudo.

Tertio ante Tridentinam Synodum contractus etiam clandestinus erat *Sacramenti* Matrimonii materia: at sessione 24. cap. 1. Tom. XIV. pag. 876. eadem venerabilis Synodus decrevit, *eos, qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddi, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse.*

Responsio ad 1. Resp. falsum esse, quod Ecclesia *Sacramentorum* aliquorum materiam mutaverit. Atque ad momentum primum fateor baptizatos ex Apostolica traditione confirmari impositione manuum, & nego aliquando non adhibitum sacrum Chrisma, quod antiquitus usu receptum, & ad sanctificationem applicatum, scribunt SS. Martyr Cyprianus Epistola 70. ad Januarium, Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 3. Mystagogica, aliique suo loco afferendi. Qui autem in sola impositione manuum constituunt sacræ confirmationis materiam, respondebunt chrisma materiam esse tantum *accidentalem*, & sine qua etiamnum valide *Sacramentum* Confirmationis conficeretur.

Ad 2. Ad alterum hæc sit responsio. Eugenius IV. non solum Armenios instruxit circa orthodoxæ fidei veritatem, verum etiam circa alia tunc discussa, & in Romana Ecclesia servata, *ne ulla in futurum apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolica, unioque ipsa stabilis & perpetua sine ullo scrupulo perseveret*; ita namque legitur in decreto Eugenii pag. 530. Quemadmodum verò in ea instructione non tradit Eugenius omnes fidei articulos, sed illos tantum, in quibus Armenii aut errabant, aut dubitabant, ut sapienter monuit Spondanus ad annum 1439. num. 18. ita non docuit materiam *essentialem* sacrorum Ordinum, quam nec Græci, nec Armenii, nec Latini ignorabant, sed materiam *accidentalem* adhibitam in Ecclesia Romana, traditionem nempe sacrorum Instrumentorum; non quidem necessariam ad *Sacramenti* substantiam, (nam alioqui Romana Ecclesia haberet tanquam cassas, irritasque consecrationes Græcorum,) sed perutilem ad servandam cum Apostolica sede stabilem unionem. Quod si contendas, porrectionem instrumentorum materiam esse sacræ ordinationis *essentialem*; nihil reponendum est aliud, nisi utramque materiam, hanc nempe, & manuum impositionem à Christo institutam, facta Ecclesiæ potestate ut una, vel altera, aut utraque simul adhiberetur, ita, ut Romana Ecclesia non ex Alcuino, neque ex Ritualibus Gallicanis, sed ex Apostolica traditione etiam instrumenta in usum assumpserit.

Ad tertium verò habeto responsum istud: ut liquet ex præcitatis Tridentini verbis, Ecclesia non mutavit materiam *Sacramenti* matrimonii, sed declaravit irritum contractum clam & sine testibus celebratum. Perpendens enim *gravia peccata quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt*; huic malo remedium adhibens, statuit ut clandestinus contractus, quo in animarum suarum perniciem plurimi abutebantur, in posterum esset nullus & irritus: quod non est immutare *Sacramentorum* materiam, sed justa de causa ad validitatem contractus præscribere conditionem, ad graviſſima scelera vitanda summopere necessariam. Ad 3.

Opp. 2. Multiplex materia potest habere analogiam cum effectu *Sacramentorum:* nam ut significetur, E. G. baptizatum mundari a peccatis, perinde est, si aqua, aut liquore alio abluatur. Ad effectum vero spiritalem producendum sufficienter ipsa materia determinatur prolatione verborum. Non ergo necessum fuit, ut Christus omnium *Sacramentorum* determinaret materiam. Objicitur 2dò.

Resp.

Resp. materiam *Sacramentorum* habere quidem cum effectu aliquam similitudinem: *si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*, inquit Augustinus Epist. 118. ad Bonif. num. 9. at, quemadmodum observatum est cap. 1. hanc analogiam non habet Sacramentorum materia suapte natura, sed ex divina institutione: eodem quippe Augustino docente lib. 111. de Doct. Christ. cap. IX. num. 13. Sacramentum *est utile signum divinitus institutum*; ideoque Christus statuit determinavitque materiam *Sacramentorum*, ut manifestius invisibilis gratiæ sanctificationem exprimeret, ut per allegoricam significationem institutione Christi manifestatam, ut idem Augustinus docet Epist. ad Januarium 119. nunc 55. num. 21. *plus moveat, plus delectet, plus honoretur.* Si dixeris ad institutionem satis esse, si Christus determinaverit materiam *Sacramentorum* in genere, repetam quæ scripsi cap. 8. prop. 1. verum Institutorem illum esse, qui statuit, definit, præscribit; neque Ecclesiæ aliam potestatem fuisse concessam, nisi statuendi ac mutandi ritus Sacramentorum *salva illorum substantia*, uti declarat Oecumenica Synodus Tridentina sess. XXI. cap. 1.

8. Objicitur 8tiò. Opp. 3. Si forma *Sacramentorum* certis verbis ac syllabis esset determinata, non cœlestis esset ac divina, sed superstitiosa & magica, Christus ergo nequaquam formam *Sacramentorum* definivit. Atque hinc est, quod Ecclesia Græca alia in conficiendis Sacramentis forma utitur, quam Latina: illaque, ut plurimum, deprecativis verbis, hæc autem indicativis.

Resp. magicam superstitionem in eo Resp. sitam esse, quod improbi utantur *quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis*, & ex his effecta quædam expectent *ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conventa*: ut rectè monet Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22. num. 33. Audacter ergo, & sacrilege quidam hæretici in *Sacramentorum* forma ad certas syllabas coarctata subesse inquiunt crimen superstitionis, cum ipsa verba non *humana præsumptione* instituta sint, sed auctoritate divina; nec inde expectetur effectus ad pacta & conventa cum dæmonibus, sed ex Dei omnipotentia, ex Christi meritis, atque ex orthodoxæ religionis signaculis. Sane si superstitio esset uti certis signis divinitus præscriptis ad effectum consequendum, nonne superstitiose hebræi liniissent postes sanguine agni ad cædem vitandam, nonne superstitiose serpentem æneum aspexissent, ut à venenatis morsibus sanarentur, nonne superstitionem redoleret septena lotio Naamani ad lepræ maculam abstergendam, ut mittam alia plura, quæ literæ sacræ commemorant? Idcirco autem dæmon ad certa signa effectus producit suos, quoniam divinitatem affectans iis insigniter tangitur & delectatur, quæ cum sacris mysteriis institutis ad cultum summi Dei habere videntur aliquam proportionem, juxta præclaram doctrinam S. P. Augustini lib. XXI. de Civit. Dei cap. 6. Quod autem postremo loco addebatur de forma, quam Græci adhibent diversa à forma Latinorum, nullius est momenti; cum inter utramque sit solum *accidentale* discrimen, minimè verborum *substantiam* immutans, ut ostendemus pertractantes de singulis *Sacramentis*.

# CAPUT XI.

## An verba, quæ *Sacramentorum* forma sunt, idem, ac præstat Evangelium, munus tantummodo exerceant.

### *SUMMARIUM.*

1. & 2. Præliminaria.
3. Verba Sacramentorum non sunt promissoria.
4. Nec concionatoria.
5. Sed consecratoria.
6. Quid sit calix Benedictionis, & verbum vitæ.
7. & seqq. enodantur objectiones.

1. Ex solo hæreticorum dogmate *sola fides sufficit* ortæ plurimæ hæreses. *Modicum fermentum*, inquit in priori ad Corinthios cap. quinto Apostolus *totam massam corrumpit.* Ex pravo enim hæreticorum dogmate, quod sola fides justificet, inficitur universatum ferè veritatum complexio: illinc derivata est damnata assertio, *Sacramenta* gratiam non conferre spiritualem, illinc *Sacramentorum* verba efficaciam non habere, sed significationem duntaxat: illinc eadem verba nihil præstare aliud, quam nos instruere, divinas

promissiones confirmare, atque nos certiores reddere, quatenus per fidem Deo intime conjungimur: illinc præterea eos, qui non credunt, non recipere *Sacramenta*, neque corpus Dominicum manducare: illinc *Sacramenta* conficienda vernaculis verbis, quæ ad instruendum videntur esse magis idonea: illinc denique hæreticorum dogmatum portentosa colluvies. Rectè auctor controversiarum, quæ inter Doctores Sorbonæ & ministros Calvinianos habitæ sunt Parisiis an. 1566. pag. 196. has impias consecutiones animadvertit scribens: *Le total fondament sur le quel les ministres bastissent toute leur doctrine, est ceste proposition: La seule foy nous unit, & conjonct avec Dieu; duquel principe ils inferent les propositiones qui ensuyvent. Que es Sacremens ne nous unissent point avec Dieu. Que par iceux il ne nous est conferre aucune grace spirituelle. Que la parole de Sacremens n'est effective, mais significative seulement. Que l'office d'iceux Sacremens n'est autre, que nous faire certains & asseruez d'avantage de la parole & promesses de Dieu. Que telle office n'est, quæ per nous donner aussi plus ample asseurance, que nous sommes conjoincts avec Dieu per la seule foy. Que c'est abus & superstition de penser, que par certaines paroles il se face aucune consecration de la materia du Sacrement, &c.*

2. Status quæstionis.

Hinc arbitror perspicuum esse propositæ quæstionis sensum. Cum enim heterodoxi omnem justificandi vim tribuant fidei, tenent consequenter verba in *Sacramentis* conficiendis prolata perinde se habere, ac prædicatio Evangelii, nimirum nobis Christi gratiam proponere, illam polliceri, ad Christi fidem nos excitare, non autem immutare ac consecrare materiam illam sensibilem: sive, ut aliis verbis quæstio proponitur, Sacramentorum verba *concionis vel promissionis* esse, non autem *consecrationis*. Et quamquam aliquando fateantur hæretici verbotenus signa *Sacramentorum* sensibilia consecrari verbis; *consecrationis* nomine non intelligunt sensibilis materiæ ad vim conferendi gratiam elevationem, sed ejusdem materiæ translationem de usu communi & profano ad sacrum: quemadmodum etsi proferant verba, non tamen ea putant partem *Sacramentorum* essentialem, sed puram, putam conditionem ad fidem ingenerandam. Quamobrem Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14. §. 4. consuetudinem nostram proferendi submissa voce verba consecrationis appellat demurmurationem, ingentemque sacrorum mysteriorum profanationem: & Turretinus Minister Genevensis q. 6. de Sacram. n. 3. admittit verbum *consecratorium*, non autem *operativum*, sed alta pronunciandum voce, ut in *Sacramenta* suscipientibus fidem excitet. Quod sedulo notandum est, ne dum commendantur à quibusdam hæreticis verba *consecratoria*, aliquid aliud credantur admittere præter verba concionis & promissionis. Nos itaque cum Bellarmino lib. I. de Sacramentis cap. 19. Estio dist. 1. §. 8. Suaresio Tom. 3. in 3. P. pag. 25. Du Hamel Tom. 7. pag. 39. Frassenio Tom. x. pag. 35. Tournely de Sacramentis in gen. pag. 33. Juenin in Comment. Hist. q. 3. cap. 4. Canali pag. 19. Auctore præclari operis de Re Sacramentaria lib. 1. q. 3. cap. 1. §. 2. quos tantum in hac quæstione sat erit perlegere, necnon cum Theologis omnibus orthodoxis affirmamus verba *Sacramentorum* non *promissoria*, aut *concionalia* esse, sed *consecratoria*, nec eo duntaxat sensu, quatenus iisdem verbis elementa, ac symbola sensibilia de profano usu convertuntur in sacrum; verum etiam quatenus ipsorum verborum virtute redduntur ad productionem gratiæ efficacia. Verum, quoniam hæc quæstio, ut constat, ab ea, quæ inferius agitanda est, de gratia *Sacramentorum* pendet tota; illam breviter, & ad hunc modum resolvimus.

Propositio. Verba sacramentorum non sunt promissoria, aut concionalia, sed consecratoria. Prob. 1ma Pars. 1.

Propositio. Verba, quæ formam *Sacramentorum* constituunt, non sunt promissionis, aut concionis, sed tantummodo consecrationis.

Demonstratur pars prima. Verba, quæ effectum præsentem commonstrant, eumque divina operante virtute producunt, *promissoria* non sunt juxta sensum hæreticorum: promissio enim non est actualis gratiarum largitio, sed gratiam offerentis pollicitatio; atqui verba, quibus *Sacramenta* conficiuntur, sit in exemplo, *Ego te baptizo*, &c. non exprimunt gratiæ conferendæ pollicitationem, sed designant, efficiuntque præsens animarum lavacrum, atque regenerationem spiritus: ergo prædicta verba non sunt *promissoria*, ad sensum hæreticorum.

2.

II. Idcirco autumant hæretici verba *Sacramentorum* solam innuere promissionem, quoniam censent solam fidem nos Deo conjungere, hujusque conjunctionis *Sacramenta* esse nudum sigillum, & arrham. Atqui falsum est solam fidem nos Deo conjungere, cum

cum id potiori jure charitati, & ipsorum *Sacramentorum* participationi sit tribuendum, affirmante Christo, Joan. XIV. 23. se apud eos permansurum, qui ipsum diligunt, ejusque sermonem servant, & Joannis 6. 57. pollicente, ei daturum se vitam æternam, & in eo commoraturum, qui ipsius carnem manducat, & bibit sanguinem. Igitur verba *Sacramentorum* non eo sensu promittunt gratiam, quod hæc soli fidei, non charitati, non observationi mandatorum, non ipsorum *Sacramentorum* virtuti, quemadmodum comminiscuntur hæretici, sit tribuenda.

3. III. Promissio gratiæ non est in sacris literis facta credentibus tantum, sed credentibus qui *Sacramenta* recipiunt: non enim Marci XVI. 16. legitur *Qui crediderit, salvus erit;* sed, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et si alicubi non credentibus sacrosancta Evangelia minitantur damnationem æternam, ut Joan. III. 36. & VIII. 24. eandem æternam pœnam iis præscribunt, qui negligunt *Sacramenta:* quippe de Baptismo legitur Joan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*, & de Eucharistia Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verba itaque *Sacramentorum* nequeunt esse promissoria gratiæ ad sensum hæreticorum; ita, ut soli fidei, non *Sacramentorum* virtuti à Deo largitore alligata sit ipsa gratia.

4. IV. Si quis hæreticum his verbis interpellaret, Baptizatus qui non crediderit, salvarine poterit? responderet utique, *minimè; non enim scriptum est: Qui baptizatus fuerit salvus erit*, sed, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Igitur si interrogetur, Qui credit, at non baptizatur, salvusne erit? respondere debet, *Non;* cum scriptum sit, illum salvum fore, *qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Salus ergo non tam fidei, quam *Sacramento* conjuncta est; neque verba *Sacramentorum* sunt *promissoria* gratiæ collatæ credentibus, sed collatæ credentibus, qui digne suscipiunt *Sacramenta.*

5. V. Christus non absolute, non absque apposita conditione promisit credentibus æternam vitam, sed dummodo ipsius præceptis obtemperent, dummodo baptizentur, dummodo Corporis sui *Sacramentum* digne suscipiant. Mentitur ergo, maximamque Domino irrogat injuriam, quisquis censet Evangelicis verbis, quibus *Sacramenta* consecrantur, gratiam fide sola arripiendam, promitti.

Probatur modo, verba *Sacramentorum* non esse *concionalia.* Ac primum, quidquid Calviniani effutiant, forma baptismi sita non est in concione sive institutione catechumeni, quæ sacræ ablutioni præmittitur, sed in verbis, quæ pronuntiantur, dum baptizati lavacro tinguntur sacro, nempe, *Ego te baptizo, &c.* enimvero non solum catholici, nisi hæc verba proferantur, aut *substantialiter* immutentur, tenent baptismum nullum esse, ac integre iisdem verbis pronuntiatis validum putant baptismum ab hæreticis collatum: verum etiam ipsi Calviniani eadem verba pronuntianda fatentur, probantque collatum sive à nobis, sive ab aliis à secta sua hæreticis *Sacramentum.* Quis vero dubitat, quin concio, institutio, catechismus apud nos & hæreticos discrepent, ac norma nostra credendi futilis, & irrationalis videatur hæreticis, conciones verò hæreticorum complurium puta Samosatensium, Arianorum, Ebionitarum, aut sacrosanctum Trinitatis mysterium, aut Verbi divinitatem, aut susceptæ ab ipso carnis œconomiam denegantium, tum nobis, tum iisdem Calvinianis tanquam sacrilegæ existimentur? Si ergo in hujusmodi concione locaretur *Sacramentalis forma*, quemadmodum nos institutiones hæreticas, hæretici institutiones nostras repudiant, ita nec nos baptismum hæreticorum probaremus, neque hæretici baptismum probarent nostrum. Quapropter non in concione præmissa baptismo, sed in iis verbis, *Ego te baptizo, &c.* Sacramentalis forma locanda est. Hæc autem verba nullam profecto concionem, nullam catechesim continent, sed significant duntaxat spiritualem animorum inquinatorum ablutionem: quod pariter dicendum est de forma cæterorum *Sacramentorum.* Hæc itaque verbis *concionatoriis* nequaquam constat.

4. Prob. ada Pars 1.

2. Deinde admittunt Calviniani *Pædobaptismum.* At in baptizandis infantibus nulla apparet sacræ concionis necessitas. Quid enim in his efficere potest prædicatio Evangelica, quam paucorum dierum nati nequeunt ulla ratione percipere? Num adeo simplices erimus, ut præbeamus fidem hæreticis comminiscentibus puerulos sacræ rege-

nerationis tempore nanciſci divino movente ſpiritu ſenſuum perſpicacitatem, & acumen ingenii? non adeo ſtolidi ſumus, ac male ſani, ut iſthæc credamus. Tam mira, & ſupra naturæ leges perceptio nullo fulcitur loco Scripturarum Sanctarum, ad quas tantum heterodoxi nos provocant. Quotidiano etiam experimento comperimus, dum ſacræ perficiuntur ceremoniæ, puerulos vagitibus, lacrymis, cæterisque indiciis commonſtrare quomodo non dignoſcant quid in ipſis ſalutaris unda operetur. Quare Auguſtinus de Peccatorum meritis lib. 1. cap. XXXVI. num. 66. *Illas*, inquit, *conſideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus, & Deum prorſus ignorant, cujus Sacramentis, etiam cum baptizantur, obſiſtunt.* Lib. quoque XXI. de Civit. D. cap. 16. commendat Dei miſericordiam, ex quo infantibus Sacramenta Mediatoris ſalutem afferant, quando *nondum eſt præcepti capax infirmitas mentis.* In baptismo itaque parvulorum verba concionatoria ad excitandam fidem non adhibentur.

3. Præterea verba concionalia nequeunt producere effectum aliquem, niſi percipiantur; *fides* enim, inquit Apoſtolus, *ex auditu:* unde & hæretici errorem ex errore trahentes ajunt proferenda eſſe verba *Sacramentorum* vernacula lingua. Atqui verba *Sacramentorum* effectum producunt, etiamſi illorum verborum ſenſus à ſuſcipientibus non percipiatur. Igitur verba *Sacramentorum* concionalia nequaquam ſunt. Minorem hæc argumenta commonſtrant. Primò, ut Dei verbum producat ſupra naturalem rerum virtutem effectum aliquem, neceſſe non eſt, ut effectus hujus ſubjecta percipiant ejusdem verbi ſignificationem; dum enim Joſue præcepit Soli, ne moveretur contra Gabaon, dum Elias imperavit igni, ut de cœlo deſcenderet, dum Dominus Jeſus clamavit quatriduano Lazaro, *Veni foras*, aut dixit viduæ filio, *Adoleſcens, tibi dico ſurge*, aut verbo ventos, ac tempeſtates maris cohibuit; nunquid ſol, ignis, elementa, mortui, ſenſu & cognitione erant prædiri? At hisce exemplis Patres virtutem *Sacramentorum* explanant, ut dicam alibi. Non ergo neceſſum eſt ad gratiam *in Sacramentis* producendam, ut ſignificatio verborum percipiatur. Rurſus in Euchariſtia idem præſtant conſecrationis verba, quod ſermo Dei vivus & efficax, quo Dominus omnia quæcunque voluit, fecit. Hinc Damaſcenus lib. IV. de fide cap. XIV. pag. 278. ait: *Si dixit, Fiat lux & facta eſt, Fiat firmamentum & factum eſt, ſi verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum, ſi cœlum & terra, aqua item, & ignis, & aer, & omne eorum ornatum Domini verbo completum & abſolutum eſt, atque hoc etiam nobiliſſimum animal quod homo nuncupatur: ſi ipſemet Deus Verbum, poſteaquam ita voluntas ipſius tulit, homo factus eſt atque ex puris & immaculatis ſanctæ, ac ſemper virginis ſanguinibus carnem ſibi ipſi ſine ſemine condidit; quid tandem afferri poteſt, quin ex pane corpus ſuum, ex vino, & aqua ſanguinem ſuum efficere queat?* Ut ergo divinum Verbum in rerum productione indepedenter à creaturarum ſenſu condidit univerſa; ita in *Sacramentis* independenter ab audientium perceptione materiam conſecrat, perficit, immutat, & gratiam ſpiritualem producit.

Poſtremò, cum Evangelium aperte 4.
affirmet Sacerdotes à peccatis abſolvere, ex Calvini doctrina ſequitur illos nullam aliam habere poteſtatem, niſi prædicationis & catechismi, ita, ut ipſi dicantur animas ſolvere, quoniam *teſtes Chriſti, ac ſponſores conſtituti de remiſſione peccatorum certiores reddunt conſcientias.* Atque ita docet Calvinus lib. III. Inſtit. cap. IV. num. 12. Quis autem ferat talem ſacrarum Scripturarum depravationem? quis dixerit Dominum Apoſtolos alloquentem, Jo. XX. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, impropriè locutum, & dicendum ei potius, *Quibus prædicaveritis Evangelium, remittentur peccata*? Sacrorum itaque miniſtrorum verba in *Sacramentis* conficiendis aliam, quam catechismi & concionis vim habent, & ſplendide mentiuntur Calviniani, affirmantes nihil eadem valere, niſi ad promiſſionem gratiæ, & fidei externam excitationem.

Demonſtratur modo propoſitionis 5.
pars tertia. Principio ex dictis Sacra- Prob. 3tia
mentorum verba non ſunt promiſſoria; Pars
non ſunt concionalia ad ſenſum hæreticorum: ſunt ergo conſecratoria. Deinde 1.
veritatem hanc ſacræ literæ, Patres, Ex Sacris literis.
& manifeſta ratio confirmant. Sacræ quidem literæ; enimvero deſcribunt verba, quibus Sacramenta perficiuntur, vel tanquam prolata ſuper ſymbola, ut in Euchariſtia, vel tanquam expreſſiva ſpiritalis effectus, ad quem producendum ſymbola ſenſibilia adhibentur, ut in baptismo. Ea igitur verba ſymbola, ſive

sive elementa consecrant, elevantque ad gratiam efficiendam. Addunt Theologi post Bellarminum Sacramentorum verba esse verba benedictionis, scribente Apostolo in 1. ad Corint. x. 14. *Calix benedictionis, cui benedicimus*, & esse verba vitæ, eodem Apostolo scribente ad Ephesios 5. 26. *Mundans* Ecclesiam *lavacro aquæ in verbo vitæ:* quæ tamen duo loca (patiatur Lectoris humanitas judicii mei libertatem) non videntur ad revincendos hæreticos prorsus invicta.

Auctoris animadversio specialis.

2. Ex Patribus.

Quantum ad Patres attinet, Dionysius de Eccles. Hierarchia cap. III. pag. 234. ait à Pontifice, & Sacerdote *divinissima consecrari mysteria*, idem repetit pag. 296. consecrationis nomine significans verba ante hostiæ elevationem prolata, ut liquet ex textu, & ex scholiis S. Maximi pag. 386. edit. Plant. & cap. VII. pag. 417. appellat verba Sacramentalia, *Invocationes consecratorias*, quas ait *nefas esse scripto interpretari, & arcanum earum sensum & virtutes, quas in iis Deus operatur, è secreto in publicum efferre*; ubi sermonem instituit de verbis ab Episcopo prolatis in sacris ordinationibus, ut ibidem animadvertunt S. Maximus, & Pachymeras. S. Ambrosius lib. IV. de Sacram. cap. IV. num. 14. de Euch. inquit: *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in Superioribus à Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* In his Ambrosii verbis declaratur formam *Sacramentorum* sitam non esse in verbis aut historicis, aut deprecatoriis, aut instructivis, quæ præmittuntur, sed in iis, quibus symbola consecrantur: hisce Sacramentum confici: hisce in Eucharistiæ mysteriis effici quod antea non erat: hisce denique commonstrari, quomodo *Sacramentorum* verba operatoria sint, utpote sermo Christi, *quo facta sunt omnia*. Illustris sanè locus, quo omne Calvinianis subterfugium præcluditur, ac jure meritoque relatus inter Canones, de Consecrat. dist. 2. c. *Panis est.* S. P. Augustinus Tract. LXXX. in Joannem num. 3. docet primum verba spectare ad Sacramentum constituendum. *Accedit*, inquit, *verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Docet posthac ipsum verbum conferre sensibili aquæ elemento vim abluendi peccata, *Unde*, ait, *ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo?* Addit hoc verbo consecrari baptismum, ut animum mundare queat, *Quo sine dubio ut mundare possit consecratur & baptismus.* Verba itaque juxta Augustinum elementum consecrant, perficiunt, & sanctificationis virtute locupletant. In libro quoque contra Faustum XIX. cap. 15. scribit non consecrari baptismum, nisi dicantur *illæ syllabæ celeriter sonantes & transeuntes:* & denique lib. VI. de Baptismo cap. 25. num. 47. docet baptismum *consecrari Evangelicis verbis;* neque haberi baptismum Christi, *nisi verbis Evangelicis consecratum.*

3. Ex ratione.

Ratio tandem manifesta est, verba quippe Sacramentalia applicantur symbolis, & proferuntur, etiamsi suscipientes Sacramenta sensum illorum non percipiant; neque proferuntur duntaxat ad excitandam in his fidem, Deique promissiones obsignandas. Deserviunt ergo ad consecranda symbola, supernamque virtutem eis tribuendam.

6. Probatur multis Judicium Auctoris speciale, quid sit *Calix Benedictionis*, & *Verbum vitæ.*

Nollem Scholasticorum quempiam mihi subirasci, quod scripserim, non satis invicte refelli hæreticos pervulgatis testimoniis, *Calix benedictionis, cui benedicimus*, &, *Mundans eam lavacro in verbo vitæ.* Nihil enim veritati fidei orthodoxæ detrahit, qui validiora suppeditat arma, & quid cætera habeant vitii, ut hostiles impetus caveantur, præmonstrat. Ergo prior locus haud recte ad oppugnandos hæreticos adhibetur. Benedictio etenim calicis, non est facta Verbis Dominicis consecratio, sed beneficientiæ divinæ invocatio super symbola, ut inquit Jansenius in Concordia cap. 131. demonstratque Estius in Paulum Tom. 1. pag. 300. Revera Evangelistæ narrantes Eucharistiæ institutionem, docent benedictionem panis præmissam fuisse consecrationi. Idem constat ex canone Missæ. Quomodo ergo *benedictionis* nomine intelliguntur verba consecrationis, quibus perficitur Eucharistia? Id falso affirmari probat citato loco Estius, Interpres sanè orthodoxus, accuratus, præclarus. Non sunt autem valida contra hæreticos tela,

quæ etiam catholicorum interpretamentis possunt eludi. Argumentationibus Estii, quas poterit quisque eo loci perlegere, accedit quod Patres calicis *benedictionem* non consecrationem vini intellexere, sed eulogiam, & gratiarum actionem factam Christo, qui pro nobis pretiosissimum effudit sanguinem. Aperta sunt verba Jo. Chrysostomi hom. XXIV. in 1. ad Corinth. pag. edit. Commel. 532. Oecumenii pag. 514. ac Theophylacti pag. 244. Alia verba deprompta ex Epistola ad Ephesios v. 26. sunt paulum validiora. Enimvero *verbum vitæ* interpretantur formam baptismi Chrysostomus in Paulum pag. 1160. scribens: *In verbo*, inquit, *quonam*? *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Similiter Theophylactus pag. 557. Theodoretus Tom. III. pag. 315. Oecum. tom. 2. pag. 53. atque ex Latinis Anselmus pag. 558. S. Thomas in cap. 5. ad Ephes. lect. VIII. Accedunt interpretes subsellii non infimi, Hugo à S. Victore, Salmeron, Lyranus, A Lapide, Calmet. Hoc itaque loco in hac quæstione haud irrationabiliter uti possumus. At non est, ut vulgo creditur, ineluctabilis. Hieronymus quippe Tom. IV. pag. 390. *verbum vitæ* interpretatur *verbum doctrinæ.* Respondent quidam cum Bellarmino à Hieronymo sensum exponi tropologicum. Verum apparet tropologiam non *in verbo vitæ* à Hieronymo observari, sed in nomine *viri*, & *uxoris:* ait namque, *Quia vero secundum tropologiam viros animas, & uxores corpora dixeramus, sic diligat anima corpus, quomodo Christus Ecclesiam, ut semetipsum tradat pro salute ipsius, & eam sanctificet verbo doctrinæ.* Videtur quoque Apostoli scopum esse, hortari viros ad diligendas uxores exemplo Christi, ut quemadmodum is Ecclesiam sibi in baptismate desponsatam, erudit monitis saluberrimis, ita mariti non solum copulentur uxorum corporibus, verum etiam verbo doctrinæ illas purificent. Hoc sensu Apostolum explicarunt Primasius Tom. X. Bibliot. PP. pag. 222. Sedulius in Paulum pag. edit. Basil. 325. Non rejicit hanc interpretationem Augustinus Calmet: Estius vero Tom. 2. pag. 63. genuinam esse contendit, & alteri præferendam, productis Scripturarum locis compluribus, in quibus prædicatio Evangelii dicitur verbum veritatis, verbum vitæ, verbum fidei. Contendit etiam hanc esse mentem Augustini Tract. LXXX. in Joannem num. 3. nec tamen inde consequi formam *Sacramentorum* sitam in verbis concionalibus: nam mundatio tribuitur Sacramento, & fidei: Sacramento quidem tanquam signo efficaci, fidei tanquam dispositioni. Verum de mente Augustini infra.

Opp. 1. Matthæi XXVIII. 19. mittens Dominus Apostolos in universum terrarum orbem, inquit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Nulla itaque verba, præter concionalia, & quibus audientium animis fides insinuetur, adhiberi debent mandato Christi in administratione baptismatis. 7. Objectio 1.

Resp. triplicis generis verba istic commendari, ea nempe, quibus Evangelicâ doctrinâ baptizati imbuuntur, & hæc præcedere debent sanctæ regenerationis lavacrum: quoniam nullus, nisi credat, dum rationis pollet exercitio, mancipari potest Christo, qui neminem in sui cultum compellit invitum. Deinde ea verba, quibus consecratur baptismus, expressa scilicet sacrosanctæ Trinitatis invocatio. Tum illa, quibus initiati inflammantur ad observantiam mandatorum, sine quibus æternam vitam minimè consequentur, *quia non sufficit baptizari, sed etiam bene operandum est post baptismum*, inquiunt Theophylactus in Evangelia pag. 164. & Marcus Asceta in Catena Græcorum Corderii pag. 816. Verba prioris generis sunt *concionatoria* expressa præcepto Domini, *Docete omnes gentes*; altera sunt *consecratoria*, determinata in sequentibus, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* postrema *hortatoria* sunt, & mandatorum observationem præscribentia, videlicet, *docentes eos servare omnia*, &c. Præclare Hieronymus in Mat. Tom. IV. pag. 144. *Ordo præcipuus: Jussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes; deinde fidei intingerent Sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent.* Ut ergo, hæreticis fatentibus, verba quæ præcipiunt observanda, non pertinent ad Sacramenti constitutionem, utpote ordine consequentia; ita quæ fidei præbent rudimenta, cum præcedant sanctæ renovationis lavacrum, ad istum tanquam forma minime spectant; sed quemadmodum Marci ult. 17. dum legitur, *In nomine meo dæmonia ejicient*, &c. τὸ *in nomine*, refertur ad signa à credentibus patranda, ita hoc in loco, Solutio.

ubi

ubi legimus, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* τὸ *in nomine*, ad actum baptismi, non ad præcedentem Evangelii prædicationem est referendum. Atque ex his apparet falsitas consequentiæ.

8. Objectio 2. Opp. 2. Ambrosius lib. de Mysteriis cap. 111. num. 14. scribit: *Aqua enim sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est.* Igitur verba, quibus consecratur aqua baptismatis, sunt mysteriorum crucis prædicationes.

Solutio communis. Respondent Theologi quidam cum Frassenio disput. Proem. q. 3. art. 1. Ambrosium commemorare verba prædicationis, quatenus per ipsum baptismi ritum prædicatur Crux Christi. Du-Hamelius inquit, ad hunc modum loqui Ambrosium, quoniam nulla inesset aquæ vis sanctificationis, nisi nobis applicarentur Christi merita. At respondendum puto, eo loci Ambrosium sermonem instituere, non de verbis, quibus ministratur baptismus, sed de benedictionis aquæ fontisque baptismalis: immediate enim sequitur: *Cum verò salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri, & salutaris poculi temperatur.* Neque aliquis moveri debet, quod etiam sine benedictione aqua possit esse materia baptismi; Ambrosius verò scribat, aquam sine Dominicæ crucis prædicatione nullius salutaris usus esse: quippe loquitur S. Antistes de usu & consuetudine, non de jure & validitate. Vide not. PP. Bened. tom. 2. pag. 328. Cæterum ex hoc eodem Ambrosii capite invicte refelluntur hæretici. Nam primum num. 9. docet aquam baptismatis habere divinam sanctificandi virtutem, & ab initio temporis fuisse præfiguratam in aqua rerum universarum elemento, super quam spiritus Domini ferebatur. Addit num. 10. figuram columbæ, quæ super aquas diluvii cum ramo oleæ legitur advolasse. Profert num. 14. immutationem aquarum, in quas Moyses lignum immisit. Affert insuper num. 16. exemplum Naamani, quem aqua Jordanis mundavit à lepra: quibus sane exemplis non fidei tantum, sed ipsi elemento verbis Evangelicis consecrato vim sanctificationis fatetur inesse. Proximo demum capite num. 20. ostendens fidem sine aqua non mundare, ait: *Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire*, concludens insequenti numero, *Crede ergo, quia non sunt vacuæ aquæ.*

Specialis ab Auctore.

9. Objectio 3. Opp. 3. Tract. LXXX. in Joannem num. 3. ait Augustinus, verbum, per quod in Sacramento mundamur, illud esse, de quo Joan. XV. 3. inquit Christus, *jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* De hoc enim verbo accipiendus est S. Pater, dum ibidem docet, accedere verbum ad elementum, ut fiat Sacramentum, tantamque virtutem tribuere aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Atqui verbum istud juxta Augustinum est duntaxat concionatorium. Igitur concionatoria sunt verba, quibus sacra administrantur mysteria. Prob. minor. Etenim Augustinus ad hunc modum loquitur: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Paucis interjectis: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ac rursus. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quo sine dubio ut mundare possit consecratur & baptismus.* Quis autem ignorat verbum fidei, quod prædicatur, quod creditur, quod Christus Apostolis annuntiavit, esse verbum *concionatorium*? Augustinus ergo manifestè hæreticis suffragatur.

10. Solutio communis aliorum. Resp. non deesse, quibus hoc argumentum videatur perdifficile, unde Scholastici, ut illud solvant, varias adinvenere responsiones. Bellarminus lib. 1. cap. 20. censet S. Patrem nunc locutum de verbo concionali, nunc autem de Sacramentali. Du-Hamelius, Frassen, Juenin, aliique reponunt, Augustinum velle duntaxat Sacramentali verbo vim inesse, non quatenus est sonus materialis, sed prout est fidei mysterium continens divinæ virtutis invocationem. Tournely cum recentioribus aliis inquit, S. Patrem pertractasse universim de omni verbo, per quod fit mundatio; sive enim mundatio fiat in Sacramento, sive extra, vis mundandi semper oritur à verbo. Id ego respondendum censeo. Specialis. Doctrina est Augustini, verba Evangelica, quibus consecratur baptismus, non

non esse præcedentem concionem, sed invocationem Trinitatis à ministro factam, dum corpus abluit. Inquit enim lib. III. de Baptismo cap. XV. num. 20. *integrum esse Sacramentum, si constet Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* In his Evangelicis verbis, *in nomine Patris, &c.* demonstrat Augustinus eodem opere de Baptismo lib. VI. cap. 25. num. 47. contineri symbolum Apostolicum, quod tribus constat partibus, de Patre, Filio, & Spiritu sancto pertractans. *Cæterum*, inquit, *quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* atque his verbis Evangelicis baptismum consecrari, & consecratum valere ad salutem, nullaque violari hominum perversitate, ibi S. Pater luculenter commonstrat. Hæc mihi videtur penitus objectionem elidere, & enervare. Enimvero Augustinus Tractatu 80. in Joannem loquitur de Christi prædicatione, & demonstrat vi hujus mundari homines in baptismo à labe peccati, quoniam Evangelica verba, quibus consecratur baptismus, sunt illa, quibus Symbolum constat, & continent fidei nostræ mysteria, quæ necessum est corde credere, & ore confiteri. In his autem quid difficultatis emergat, quid præsidii accedat Refractariis, non video. Inquiunt, per Augustinum habet baptismi aqua virtutem tantam *faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Respondeo, ita est: habet hanc virtutem baptismus, quia consecratur non verbis quibuscunque, sed Evangelicis, quæ continent fidei symbolum. At Augustinus addit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Et recte, quoniam verba, quibus confertur baptismus, Evangelicæ prædicationis summam continent, exprimuntque mysteria quæ corde credimus, & profitemur.

II. Corollarium.

Nil ergo S. Patris testimonia difficultatis præseferunt; nil juvant heterodoxos, quin illos refellunt, expugnantque invictissimè. Primo, quia *hoc verbum fidei* tantam tribuens virtutem aquæ, integrum conficit Sacramentum, tametsi non sit integra fides ministri, ut Augustinus docet lib. 3. de baptismo: ac tantum valet in Ecclesia Dei, *ut tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem*; ut scribit eodem Tractatu 80. in Joannem; igitur *hoc verbum fidei* mundat, etiamsi fidem non excitet; ideoque non est verbum *concionatorium*, ut hæretici autumant, quoniam verbum concionatorium, nisi credatur, nullum producit effectum. Deinde Augustinus ait verbum accedere ad elementum, tribuere aquæ vim mundandi, consecrare baptismum, & alia ejuscemodi, quæ aliud profecto indicant præter verbi prædicationem.

# CAPUT XII.

## Variæ circa materiam, formamque Sacramentorum diluuntur quæstiones.

## *SUMMARIUM.*

1. 2. & 3. Non est licitum in Sacramentis conficiendis uti materiâ aut formâ probabili relictâ certâ, vel tutiore.
4. Limitantur dicta in casu extremæ necessitatis.
5. An mutatio materiæ, aut formæ invalidet Sacramentum.
6. Mutatio substantialis invalidat:
7. Non vero accidentalis.
8. Quando adhuc contingat mutatio substantialis.
9. 10. 11. 12. An mutatio accidentalis verborum, facta animo inducendi hæresin invalidet Sacramentum?
13. Forma conditionalis usque ad octavum Sæculum fuit inaudita.
14. Postea tamen fuit adhibita, probata, & recepta.
15. Quandoque licitum est uti forma conditionali.
16. Corollarium, & cautela.

I. Quæstio I. An in Sacramentis conficiendis fas sit uti materiâ vel formâ probabili, relictâ certâ vel tutiore?

IN his de *Sacramentis* dissertationibus, etsi præcipuam operam in refutandis hæreticis curabimus impendere, prætermittere tamen nequaquam possumus quæstiones plurimas ad morum doctrinam spectantes, cum ad *Sacramentorum* dignitatem, ac sanctitatem cu-

stodiendam apprime sint necessariæ. Horum vero quæstionum prima est, num in *Sacramentis* conficiendis fas sit uti materia, aut forma tantum probabili, certa, vel tutiore relicta. Atque huic quæstioni incunctanter respondemus, id nefas esse. Nam præter ea, quæ universim

Resp. negative.

dispu-

Resp. negativè. Ratio 1ma est, quia pugnat contra *Charitatem*, ùt admittit ipse Vasquez Probabilistarum antesignanus.

disputavimus adversus probabilium opinionum delectum Volum IV. lib. XXI. dum agitur de *Sacramentis*, si extra necessitatis casum adhibeantur materia, & forma tantum probabilis, virtus charitatis, & religionis labefactatur. Et de violata quidem charitate consentientem habeo Probabilistarum, ut vocant, antesignanum Vasquesium: qui 1. 2. q. 63. cap. 3. num. 10. & 3. p. disput. 146. cap. 4. num. 27. etsi contendat non lædi debitam *Sacramentis* reverentiam, si in iis administrandis probabili utamur opinione, fatetur tamen violari charitatem, si in re tanti momenti sententiam certam posthabeamus. Atque hujus assertionis suæ profert validum istud momentum, *quoniam obligatio charitatis & misericordiæ hoc postu-e videtur, ut si proximo possumus cer-n remedium & sine ullo periculo adhi-e, non adhibeamus illud, quod forsan in nullius est momenti: qui autem minus tam eligeret partem administrans Sa-amentum, etiamsi ea pars probabilior sset, huic periculo re ipsa proximum exponeret, ut forsan re ipsa careret remedio: vel quia re ipsa nullum esset illud Sacramentum, vel quia careret effectu gratiæ.* Hæc Vasquesius.

2. Ratio 2da. quia est contra *Religionem*, quod variè & clarissimè ostenditur.

At longe probabilius est, non solùm charitatem labefactari, si in *Sacramentis* præferatur opinio probabilis, quod fatetur Vasquez; verùm etiam injuriam sacris mysteriis inferri, & parvipendi religionem, quod Theologus ille negat. Ut enim charitas proximorum saluti prospicit, ita religio Christi institutionem, & constituta ab ipso mysteria humillimè reveretur. Si ergo, haud diffitente Vasquesio, violatur fraterna charitas, quando culpâ nostrâ fieri potest, ut salus proximi certo destituatur remedio; pessumdatur etiam religio, quando electione nostra potest contingere, ne in sacris conficiendis mysteriis adhibeatur statuta à Christo, & prædefinita materia. Enimverò sicut nuda probabilitas non recte consulit proximorum periculo, ita exponit discrimini *Sacramentorum* validitatem. Accedit quod præcipuus *Sacramentorum* ministrator est Christus, homines verò vicem ipsius gerunt, & legatione funguntur. At censereturne vicem supremi domini illum gerere reverenter, qui sponte, & data opera ejus mandata ambiguis verbis exponeret? Quid si Pontificis Maximi constitutionem apocrisiarius scienter adulteraret? quid si Orator regiam postulationem sponte irritam cassamque redderet? quid si præco regis nomine falsa ultro, suoque judicio nuntiaret? Hi profecto regiam læderent majestatem. Cur ergo non erunt in Christum dominum injuriosi, qui ejus verba ipsis angelis formidanda in periculum falsitatis adducunt, & gratiæ pignora suo carere effectu, voluntaria perversitate permittunt? At plura de his Augustinenses eximii doctores, Franciscus Farvacques in disquisitione Theologica de Confes. peccatorum dubiorum cap. VIII. §. 2. & de Sacramentis in genere q. IV. pag. 63. Leonardus Vanroy de Consec. qu. 7. & de Sacram. cap. 1. q. 6. Aurelius Piette de Actibus hum. q. VIII. §. 2. aliique unanimi consensione.

3. Ratio 3tia. quia sententia adversa fuit damnata ab Innocentio XI.

Videtur demum hæc quæstio definita ab Innocentio XI. in proscriptione primæ propositionis: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Neque enim damnata thesis agit solummodo, ut quidam commenti sunt, de probabilitate *speculativa*: nam quod spectat ad collationem *Sacramentorum*, ad praxim, non ad solam speculationem, reducitur. In hac verò proscripta thesi sermonem institui de opinione probabili, qua aliquis uteretur *in Sacramentis conferendis*, manifestè ipsa verba declarant: ac præterea, ut lib. XXI. cap. 13. demonstravimus: fieri nequit, ut cum falsa speculatione probabili rectum judicium practicum componatur. Vide Tom. IV. pag. 173. & seq. Porro quod objiciunt de Attritione, quæ est Sacramenti Pœnitentiæ materia probabilis, eodem libro, pag. 194. commodam habet solutionem, & accuratiùs proximo volumine discutietur.

Prædictorum limitatio in extrema necessitate.

Hæc dicta sint, nisi extrema urgeat necessitas: hac enim ingruente, certum est licitè adhiberi materiam & formam tantùm probabiliter validam: nam baptizandum catechumenum, si desperatus jacuerit, nec pro se potuerit respondere, etiamsi viventi conjugi copulatus retineat adulterina consortia (quem tamen sanum corpore nemo admitteret ad baptismum) docet magnus Augustinus lib. 1. de Conjugiis adult. cap. 18. num. 35. Ibidem ait, eandem baptismatis & reconciliationis esse causam, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Et quidem recte; nam cum *Sacramenta* pro salute hominum sint

sint instituta, atque in extremo laboranti, nisi præstò sit exquisitum medicamentum, denegari non debeat præsens, quod probabiliter noscitur profuturum; cur animam agenti puerulo, dum limpidam aquam habere ad manus non possumus, nequaquam unda vino permixta, aut alio liquore vitiata sacrum baptisma conferendum est? Atque id de aliis *Sacramentis*, si necessario conficienda sint, pari ratione affirmamus. Neque hoc in casu Institutori *Sacramentorum* irrogatur injuria: qui enim jussit periclitantium animarum saluti afferri remedium, vult etiam, ubi efficacissimum deest, suppeditari opportunum, neque ullatenus patitur ut negligatur, sive immineat peccatorum perditio, sive scandalum pusillorum. Eam ob rem propriis manibus distribuit proditori Corporis sui *Sacramentum*: quamvis inhibuerit ne sanctum daretur canibus, ut citato loco animadvertit Latinorum Patrum præstantissimus Augustinus.

II.

5. Quæstio 2. An, & quæ mutatio materiæ vel formæ invalidet Sacramentum? Conveniunt Doctores, & distinguunt mutationem in *substantialem*, & *accidentalem*.

Sequitur quæstio altera, an, & quæ mutatio materiæ, vel formæ reddat irritum Sacramentum: in qua Doctores omnes conveniunt, Sacramentum invalidum fieri, si in materia, aut forma mutatio *substantialis* contingat; secus, si *accidentalis* tantummodo, elementi, verborumque substantiam minime immutans. De qua re præter Scholasticos legi potest Algerus Leodiensis Lib. III. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini cap. 13. Tomo Biblioth. PP. XXI. pag. 290. Est autem mutatio *substantialis* materiæ, cum altera diversæ speciei substituitur, ut si pro aqua in baptismate vinum adhibeatur, aut pro naturali unda, ex floribus, herbisve expressa è lambico: *accidentalis* autem, si ejusdem materiæ permaneat substantia; sit in exemplo, si aqua calefiat, aut aliquo afficiatur odore. Cum tamen Sacramenta materiam habeant, quæ est spiritualis effectus signum sensibile; aliquando censenda est materia *substantialiter* commutari; quando pristina remanente natura omnino signi rationem deperdit: sic glacies, tametsi est naturalis aqua frigore condensata, quoniam caret symbolo ablutionis internæ, à materia baptismi, non quatenus elementum physicum, sed quatenus Sacramenti pars est, dicenda erit differre *substantialiter*. Pari ratione *substantialiter* mutatur forma Sacramentorum, quotiescunque variatur legitimus, & quem ex publica institutione habent, verborum sensus, ut si quis baptismum conferens unius Trinitatis personæ nomen omittat: *accidentaliter* verò, dum vel incuria, vel ignorantia, vel negligentia verba aliqua, eodem permanente sensu, pronuntiantur paululum immutata, aut à communi Ecclesiæ usu discrepant sola grammaticali syntaxi, veluti dum obstetrix baptizat infantem lingua vernacula, ignarus latinam adhibet cum barbarismo, Græcus deprecandi modo utitur aliquando pro indicativo.

6. Resolvitur quæstio. Mutatio substantialis facit Sacramentum esse irritum.

Itaque dicendum est cassum irritumque fieri Sacramentum, ubi intersit materiæ aut formæ *substantialis* mutatio. Enimverò, ut dictum supra, Sacramenta signa sunt gratiæ ex libera Christi Domini institutione, qui eorundem materiam & formam determinavit. Si ergo alia materia, aut alia substituatur forma; Sacramentum nullum erit, quoniam non erit divinæ auctoritatis, atque institutionis, neque constabit materia, & forma à Christo præscriptis.

7. Non verò Accidentalis.

At si occurrat accidentaria mutatio, docent Theologi consensu unanimi validum confici Sacramentum, quod hisce momentis evincitur. Primo Zacharias summus Ecclesiæ Pastor cap. *Retulerunt*, de Consecrat. dist. 4. num. 86. definiit non esse iterum baptizandum, qui tinctus fuerat à Sacerdote, *pro ignorantia Romanæ locutionis* linguam infringente, & ad hunc modum pronuntiante consecratoria verba, *Baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritu sancta.* Deinde Augustinus lib. VI. de Baptismo cap. 25. num. 47. scribit sanctificari aquam *cum aliqua erroris verba per imperitiam peccator effundit*, quod & habetur cap. *Si non sanctificatur*, eadem dist. IV. num. 72. Præterea nunquam Romana Ecclesia repudiavit Sacramenta à Græcis collata verbis deprecativis (si deprecativa sunt tamen) quæ à forma à nobis usurpata *accidentaliter* discrepant.

8. Observatio singularis, quando adhuc contingat mutatio substantialis.

Observandum autem hic est, quod si integra permanente Sacramentali forma alia adderentur verba, quibus præcedentium sensus immutaretur, mutatio non esset accidentalis, sed substantialis, ideoque Sacramentum redderetur invalidum. Ita si quis Basilidis, aut Marcionis imbutus errore his verbis azymum consecraret: *Hoc est corpus meum, quod aerium & umbraticum est*, nefario hoc additamento perverteret significationem, quam præfert vocabulum illud

*corpus*

*corpus.* Idem asserendum est, si Arii, aut Macedonii infectus hæresi baptismi formam hac impietate proferret: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, qui alterius sunt à Patre substantiæ:* quoniam postrema hæc verba id, quod Filii, ac Spiritus sancti nomina indicant, præfracte negant, verbisque Evangelicis pravum sensum affigunt: quod tenet de simili forma adhibita ab Eunomianis apud Epiphanium hæresi LXXVI. num. 9. & ab Evangelicis verbis plurimum discrepante, atque Filium ad illorum ordinem redigente, quæ ab ipso fuerunt procreata. Idem censeo, si pestilentissimus Calvinianus, aut Jansenista calicem Domini consecrando arcana verba ita sacrilege efferret: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro reprobis nullatenus effusus est*, intendens relativum pronomen *qui* esse præcedentis vocabuli *sanquinis*, ut Scholæ loquuntur, determinativum; similis quippe mutatio innueret ibidem non contineri pretiosissimum illum sanguinem, quem pro universis hominibus piissimus Jesus effudit. Atque hoc pacto mutatio quælibet inducens præcedentium verborum pravam intelligentiam, reddit nullum, atque irritum *Sacramentum.*

## III.

9. Quæstio 3. An mutatio *accidentalis* verborum, facta animô inducendi hæresim, invalidet Sacramentum? Respondent imò aliqui affirmativè, ducti rescriptô Zachariæ, D. Thomæ, & Algeri.

Affinis est quæstio tertia, num saltem mutatio *accidentalis* verborum, facta eo fine, ut inducatur aliqua hæresis, cassum reddat Sacramenti valorem: quod quidam affirmavere ducti supracitato Zachariæ rescripto, ubi decrevit Pontifex valere baptismum ab ignaro latinæ linguæ, eâ pronuntiatione collatum, *In nomine Patria, &c.* non quidem absolute, sed, *si ille, qui baptizavit non errorem inducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset.* Si ergo adhibuisset formam illam animo errorem, vel hæresim inducendi, denuo conferendus erat, Zacharia auctore, baptismus. Etiam S. Thomas 3. p. p. 56. art. 8. hanc conclusionem ponit: *Si intendat* (is, qui verba profert) *per additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia.* Videtur esse eadem sententia Algeri, qui loco supra laudato, pag. 291. scribit: *Sed è contra sciendum est, quod non est Sacramentum Christi, quod in errore positi contra institutionem Ecclesiæ faciunt: nec est vera divini nominis invocatio, qua contra Christi præceptum Christianæ fidei periclitatur perfectio: nec ipsum nomen Domini, vel Dei verum est, quod perfidia proferentis adulteratum, verbotenus quidem Deum sonat. Sed secundum hæresim aliud sonat; cum ergo verba Ecclesiastica mutantur, & error, vel hæresis introducitur, ubi nec fides est, nec fidei forma, quomodo credenda est subsistere veritas Sacramenti?*

10. Respondet 2dò. Auctor negativè.

Verum, cum fides ministri ad Sacramenti valorem minime requiratur, ut Catholicorum profitetur doctrina: indubitatum est, Sacramentum valere, nisi Evangelica verba defuerint, & hæc dummodo substantialiter iutegra proferantur, nullatenus hominum quorumlibet perversitate vitiari. Si tamen qui Sacramenta conficit, intendens novum ritum, vel errorem inducere, data opera utatur verbis ambiguis, eaque intentionis suæ perversitate ad sensum pravum detorqueat, censeo nullum haberi Sacramentum; quoniam significatio verborum æquivocorum non ex eorum institutione pendet, sed ex determinatione proferentis. Ita, *si solemnia verba non mutantur, sed ritè proferuntur & ipsa executio Sacramenti rite perficitur, nec hæreticorum perfidia Sacramenti impedit veritatem*, inquit eo loci Algerus. Non enim proferentis malitia potest immutare significationem publico hominum instituto vocabulis inditam. At æquivoca verba receptam illam, ac præfinitam significationem non habent.

Nisi adhibeantur verba æquivoca.

11. Vindicantur Zacharias, D. Thomas, & Algerus.

Hæc explicant Zachariæ rescriptum, & D. Thomæ doctrinam. Qui enim pro nomine Filii, *filia* substituit, si id fecit latini sermonis ignorantia confecit utique *Sacramentum*; non enim ambiguam illam, & fracte pronuntiatam vocem prava animi sui determinatione ad contrarium sensum detorsit: at si proposito consilio id præstitit, quasi *Filiam* in divinis personis comminiscens, ut gentes Minervam procreatam è Jovis cerebro, aut consimili perversitate doctrinæ; minimè baptizavit, quia ambiguam vocem absurdæ significationi alligavit. Atque eo pacto exponendos arbitror Algerum, & D. Thomam. Is tamen non est accipiendus de quolibet ritu hæretico, & Ecclesiæ fidem labefactante; nam si quis baptizando, E.G. preces adderet impias, quales fabricarunt

runt Gallica lingua ministri Calviniani apud Marloratum de Orthodoxo baptismate pag. 84. servaret tamen præscriptam formam, procul dubio Sacramentum conficeret, *Quia* ut magnus Augustinus ait libro VI. de Baptismo tom. 9. pag. 176. *certa illa Evangelica verba sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, ut per illam evacuentur quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur.*

12. Germana D. Thomæ sententia comprobatur.

Atque hanc esse germanam D. Thomæ sententiam, potest ex eodem articulo comprobari. Ibi namque Doctor Angelicus scribit eum, qui in *forma* salutiferi baptismatis adderet nomen Deiparæ, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis Mariæ*, non certe baptizare, nisi quod addit, *In nomine beatæ Virginis*, ita intelligatur, ut intercessio Virginis prosit baptizato ad gratiam baptismalem servandam: nam si intelligeretur nomen Virginis id in baptismate efficere, quod nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, omnino Sacramentum esset irritum, quoniam non possumus baptizari in nomine alicujus creaturæ, juxta Apostolum in priori ad Corinthios 1. 13. Manifestum est ergo in ambigua verborum Sacramentalium mutatione, quæ posset Evangelicorum verborum, ac præstitutæ formæ sensum pervertere, explorandum esse animum proferentis: secus, si mutatio, vel additio obvium sensum Evangelicorum verborum nequeat inficere; non enim malitia proferentis perspicuam, inditamque verborum significationem potest corrumpere. Legi poterunt Theologia Moralis ad usum Seminarii Petrocorensis Tom. 3. pag. 19. Juenin. q. 3. cap. 6. art. 1. Salmanticenses Tract. XXII. disp. 1. dub. 6. num. 90. Guerrero Tom. 1. pag. 377. &c.

## IV.

13. Quæstio 4. Quid dicendum de Forma conditionali Sacramentorum? Resp. 1. Usque ad octavum sæculum similis forma fuit inaudita.

Proxima est quæstio, quid asserendum sit de Sacramentorum forma conditionali, E. G. *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Ad hanc verò quæstionem respondent primo eruditi Theologi, præsertim Juenin q. 2. cap. 5. Cardinalis Gotti Tom. 13. q. 2. dub. 4. Tournely de Sacram. in gen. pag. 40. & illustris Scriptor Operis de Re Sacrament. Tom. 1. pag. 9. antiquis temporibus, & ad sæculum usque octavum hanc conditionalem formam fuisse penitus inauditam. Quod sequentibus momentis ostenditur. I. Exorta sæculo III. quæstione, an valeret baptismus per aspersionem collatus *Clinicis*, id est, in lecto decumbentibus, S. Cyprianus in Epistola ad Magnum LXXVI. pag. novæ edit. 322. ait se quidem existimare *Clinicos* istos divinam gratiam consecutos, verum inquit: *Si aliquis existimat eos nihil consecutos, eoquod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes & vacui sunt, non decipiantur; ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur.* Ubi, ut liquet, nulla conditionalis forma præscribitur. II. Concilium Arelatense I. celebratum anno 314. apud Lab. Tom. 1. pag. 1428. canone VIII. mandat, ut baptizati ab Arianis, si ignorent an invocato Trinitatis nomine baptizati sint, & *interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur*, nulla pariter conditione commemorata. Extat de Consecrat. dist. 4. can. *de Arianis*. III. Eodem sæculo, anno scilicet 398. in Concilio Carthaginensi V. canone 6. qui insertus est eadem dist. 4. cap. *Placuit*, statutum fuit, ut absque ullo scrupulo baptizentur infantes, *si certissimi non inveniuntur testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere.* IV. Eadem Distinct. cap. *Cum itaque*, & cap. *Si multa*, habentur definitiones duæ S. Leonis; una est deprompta ex Epistola ad Leonem Ravennatensem Episcopum, data anno Christi 451. & in III. Vol. Concil. pag. 1316. ordine XXXVII. ubi baptizandum illum præcipit, qui regenerationis est cupidus, *si baptizatum se nec ille recordetur, nec alter attestari de eo possit;* petitur altera ex Epistola ad Rusticum Narbonensem, data proximo anno 452. & in præcitato volumine ordine XII. in qua pariter sancitum est formidandum non esse iterationis crimen, si illo ad consequendam gratiam accedat, *cujus in se nullum scit esse vestigium.* V. Idem sæculo VI. exeunte tradidit magnus Gregorius Epistola 32. nunc 17. libri XVI. ad Felicem Messanensem Episcopum, quàm epistolam, licèt olim in controversia positam, nunc tamen Gregorio tribuendam optimæ notæ Codices commonstrarunt; & in qua Doctor egregius ex antecessorum traditione declarat, absque iterationis piaculo tum homines baptizari & confirmari tum consecrari Ecclesias, quoties *nec scriptis nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati vel confirmati, sive*

*sive Ecclesiæ consecratæ sint.* VI. Eadem anno Leonis Isauri X. ideoque Ch. 726. scripsit ad IX. Consultationem S. Bonifacii Gregorius II. non, ut Gratianus, Hincmarus, & Ivo putarunt, III. quemadmodum rectè observarunt Sirmondus apud Labb. Tom. IV. pag. 1450. & Pagius Tom. 3. pag. 209. extatque Gregorii definitio in prælaudata dist. IV. de Consecrat. c. *Parvulos*, n. 110. His ergo constat ad plura sæcula conditionalem formulam fuisse incompertam: enimvero si octavo ineunte sæculo, aut elapsis tunc temporibus obtinuisset; ejus utique mentionem fecissent aliquam, qui de conferendo baptismate in casu hæsitationis, num revera, aut rite collatum fuerit, propriam sententiam pronuntiaverunt. At hi, summa licet eruditione conspicui, ac suprema in Ecclesiis auctoritate præditi, de hac quæstione interrogati formæ sub conditione prolatæ minime verba fecêre. Hæc itaque conditionalis forma ad octavi usque sæculi adolescentiam fuit incomperta.

14. Resp. 2. Postea fuit adhibita, probata & recepta.

Deinde eruditi Theologi affirmant conditionalem formam vertente sæculo octavo alicubi obtinuisse, servatam quoque nonnullis in locis, ac ab Alexandro II. probatam sæculo XII. communiter tamen in Occidentali Ecclesia receptam sæculo XIII. sedente Romano Pontifice Gregorio IX. Primum constat ex Capitularibus Caroli Magni, quæ ab Ansegiso Abbate collecta fuerunt an. 807. in his enim lib. VI. num. 181. pag. 1007. legitur: *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur: his tamen verbis præmissis, Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Alterum constat ex rescripto Alexandri III. quod extat cap. *De quibus*, Extra. De baptismo, n. 2. in quo præscribitur, baptizandos eos esse, de quibus dubium est an baptizati fuerint, his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* Laudari solent etiam Synodicæ Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi, qui successit Mauritio denato circa annum 1196. in Appendice Tom. X. Concil. Labbeanæ Collectionis, cap. 3. de Capitulis baptismum tangentibus, num. 4. ubi eadem formula Alexandri III. præscribitur, *Si es baptizatus, non te baptizo, si non es baptizatus, ego baptizo te, &c.* Tertium constat ex quo sæculo XIII. omnes Latinorum Ecclesiæ receperint *Jus Canonicum*, Gregorii IX. auctoritate promulgatum, in quo lib. 3. cap. 2. reperitur præcitatum rescriptum Alexandri III. ad Pontium Episcopum Claromontanum, ut conjectat Tom. III. pag. 831. Em. Gonzalez.

15. Resp. 3. Licitum est uti formâ conditionali, præsertim in Baptismo, & quando? item in aliis Sacramentis

Postremo consentiunt omnes fas esse uti formula conditionali in Sacramento baptismi, non ob quamcunque suspicionem, sed ob moralem certitudinem, quod antea non sit collatus baptismus, & post diligentem, accuratissimamque rei inquisitionem. Quod de aliis Sacramentis characterem imprimentibus est procul dubio asserendum. De Pœnitentia, si quis subito morbo correptus, nec voce nec signo peccata animique dolorem manifestare queat, idem dicendum est, nam & Clemens VIII. referente Homobono in Commentario Resolutorio de Examine Ecclesiastico Tom. I. Tract. VII. cap. 18. labentem è fabrica Templi Vaticani, his verbis absolvit, *Si es capax, absolvo te &c.* At si pœnitens compos sit sui, & certam absolutionis materiam ponat, absque conditione absolvi debet, quoniam forma absolutionis innovatæ confessioni, & iterato contritionis actui applicata, non iterat Sacramentum numero idem, sed aliud constituit. Licet enim peccata eadem sint, innovantur actus pœnitentis, qui Pœnitentiæ vera materia sunt, & novæ materiæ novam formam absque ullo scelere Sacerdos applicat. Quod si audita Confessione pœnitentem prolixis verbis doceat & commonefaciat, hæsitetque animo an absolutionis verba protulerit: tunc, ne hæc irrita sit & nulla, neque Sacramentum irreverentia aliqua polluatur, consultum erit, sub conditione absolutionem impendere, hoc pacto, *Si non es absolutus, absolvo te, &c.*

## V.

16. Corollarium & Cautela.

Ex his inferri potest, quam facile sit in prolatione Sacramentalium verborum nefario sacrilegii crimine maculare. Rectè Valentina Synodus III. celebrata Lothario imperante an. 855. definiit canone 5. *nihil in Ecclesiæ Sacramentis esse cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum.* Videsis Tom. VIII. Conc. Gen. pag. 138. S. Carolus Mediolanensis Antistes in Synodo an. 1565. Volum. Conc. XV. pag. 254. ex uberrimo fructu demonstrat, *quanta*

*diligentia, & intima animi pietate, & externo cultu, ac veneratione tractanda ac percipienda sunt.* Synodus pariter Burdigalensis anno 1583. celebrata, eodem Vol. p. 953. inculcat *erga omnia Sacramenta religionem, & reverentiam, quorum contemptus, ut ait Divus Augustinus, homines sacrilegos facit: impie enim contemnitur, sine quo pietas constare non potest.* Hinc primo concluditur sacrilegii reum esse, qui *substantialiter* immutat verba Sacramentalia: si enim id de ritibus, precibusque ab Ecclesia statutis jure meritoque sancivit sess. VII. canone 13. Oecumenica Synodus Tridentina, ne quis audeat quidquam, aut mutare, aut contemnere, aut pro libitu omittere; quid asserendum putas de omittentibus, contemnentibus, & mutantibus effectricem gratiæ, & divinitus institutam formam verborum, sine quibus Sacramentum est ludificum, & cassum? Neque à gravi reatu immunis est, qui formam hanc accidenti mutatione corrumpit, nisi ignorantia laboret ineluctabili; quippe non minori veneratione digna sunt Sacramentalia verba, ac sint divinæ Scripturæ, quibus Deuteronomii cap. IV. lege cautum est, ne quidpiam addatur, vel detrahatur: imo, cum utraque divina sint, non habent tamen Scripturæ verba vim illam sanctificandi, quam placuit liberrimo largitori gratiarum universarum annectere verbis Sacramentariis. Tertio sequitur gravissimè etiam delinquere qui nulla adactus necessitate repetit verba Sacramentalia, quandoquidem tali repetitione, utpote effectu vacuâ, sacrosancta mysteria redduntur nulla, atque ludifica, excepto, ut diximus, Sacramento Pœnitentiæ, in quo potest nova materia substerni. A gravi tamen culpa hac in re excusandi sunt scrupulosi propter mentis perturbationem, in qua eis videtur haud rite Sacramentalia verba pronuntiavisse; quamquam & iis præmissa ratione omnis abjicienda est hæsitatio, & animi anxietas prudenti ratiocinio discutienda. Sequitur quarto loco eum, qui baptismum ritè collatum repetit absque hæsitatione validis momentis innixa, & unde consurgat certitudo moralis illum nequaquam fuisse validè peractum, sese execrando crimine innectere, necnon irregularitate innodari, cui subjicitur iterans validum Sacramentum: atque ratio evidens est, quia in definitionibus præcedenti numero productis præcipitur conferendum baptismum, ubi nec puer respondere potest de tradito sibi Sacramento, nec alter est quisquam, qui attestari valeat, an ille sit baptizatus. Adeas Dominicum Sotum in IV. dist. 3. art. 6. Estium dist. 4. §. 15. Josephum Gibalinum de Irregularit. cap. 5. pag. 300. Eman. Gonzalez in III. Decretal. tit. 42. cap. 2. & Christianum Lupum in canonem 84. Trullanum, Tom. 3. pag. novæ edit. 152. Irregularem fieri etiam qui iterat Sacramentalia, scripsit lib. III. cap. 15. pag. 139. Simon Majolus, *cæteris tamen omnibus repugnantibus*, ait pag. 313. Gibalinus. Atque hactenus de materia & forma Sacramentorum.

# CAPUT XIII.

## De Sacramentorum ministris.

### *SUMMARIUM.*

1. & 2. Ponuntur prænotanda.
3. Solus homo viator est ordinarius Sacramentorum minister.
4. & 5. Solvitur triplex objectio.
6. Etiam Angeli, & Beati potestate extraordinaria possunt conficere Sacramenta.
7. Objectio solvitur.
8. Non omnes homines cujusvis Sacramenti sunt ministri.
9. Et seqq. satisfit objectionibus.

1. Lutherus agnoscit indiscriminatim omnes tanquam Ministros.

PRoxime sequitur, ut de *Sacramentorum* ministris dicere instituamus, qua in re nec Protestantes concordant invicem, neque nos cum illis convenimus. Lutherus enim in libro de abroganda Missa impudentissimè, ac mendacissime scripsit: *Ego non dicam quod Papistæ dicunt, nullum Angelum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse: sed contra dico, si Diabolus ipse veniret, & ego postea nescirem Diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ specie hominis vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, celebravisse Missam, & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse juxta institutio-*

*institutionem Christi, tunc cogeremur fateri Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, verum Sacramentum corporis, & sanguinis Christi nos accepisse.* In quibus sane verbis non una continetur fraudulentia mendacissimi, improbissimique scriptoris. Primo namque Theologi, quos *Papistas* Sectarii vocant, distinguunt inter ordinarium, & extraordinarium ministrum Sacramentorum, nec negant posse per angelos bonos peculiari delegatione perfici Sacramenta, subscribuntque omnes Divo Thomæ 3. p. q. 64. art. 7. asserenti, *quod sicut Deus virtutem suam non ita alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non ita alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis.* Imò Scotus in IV. dist. VI. q. I. docet validum *fore baptismum si diabolus illum ex Dei præcepto conferret*, quamvis scite monet non esse absque divina revelatione ratum habendum Sacramentum à spiritu mendacii collatum, propterea quod de Angelo perditionis supponitur fraudulenter se gerere, omniaque moliri, ut homines in errorem inducat; quod de sanctis angelis nefas est suspicari: atque hoc postremum tradidit etiam loco citato Doctor Aquinas. Permixtè itaque & confusè recitat catholicam sententiam hæresiarcha, ut illam cruento sævoque dente dilaniet. Deinde baptismum, absolutionem, & Eucharistiam ministrandi potestatem tribuit unicuique, quasi omnis homo indiscriminatim possit conficere singula Sacramenta, eademque sit singulorum ratio, sitque Sacerdotalis unctio, ut pestifero illo opusculo molitur, penitus abroganda. Hunc etiam honorem defert diabolo pestilentissimus assentator, ut veternosum serpentem æquiparet Ecclesiæ Pastoribus, utpote qui validum comminiscitur Sacramentum etiam irrisione collatum. Peccat quoque permiscens Evangelium, & Sacramenta, quasi idem munus sit utrorumque; & quemadmodum veritas illius pendet ex promulgatione doctrinæ, ita horum virtus innixa sit exhibitioni signorum: nec aliud hæc virtus sit, quam plebis rudimentum, fideique excitatio. Vah improbum, sceleratissimumque consarcinatorem errorum!

Minister Ordinarius & Extraordinarius.

Doctrina Scoti specialiter notanda.

2. Calvinus numerum Ministrorum nimium restringit.

Contra Calvinus lib. IV. Instit. cap. XV. num. 20. iis tantum, quibus Christus ministerium commisit, non solùm in Eucharistia, verum etiam in baptismo competere autumat legitimi dispensatoris officium, adeo, ut nec laici, nec mulieres, etiam in periculo mortis, baptizare queant, nec possit contraria consuetudo firma ratione defendi, ac perperam fiat, si privati homines baptismi administrationem sibi usurpent: *Est enim*, inquit, *pars Ecclesiastici ministerii, tam hujus, quam cænæ dispensatio.* Ita quaquaversum vergitur serpens hæresis: unus apostata & diabolum connumerat inter Sacramentorum ministros; alter fideles quoque laicos, & mulieres prohibet baptizare. At quoniam pertractare de dispensatione baptismatis spectat ad librum proximum, declinantes interim à Calvino aggredimur monstrosum alterum hæresiarcham. Prænotamus tantùm, non pertractare nos de principali Sacramentorum ministro, quem nemo unus ignorat esse Dominum Jesum, de quo Joannes I. 33. inquit, *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*, agnoscens, ut Augustinus ait Tract. VI. in Joan. num. 12. *propriam quamdam potestatem in Domino ad baptizandum:* sed instituimus disputationem de iis, qui non potestate primaria, sed ministerio, sibique commissa dispensatione perficiunt sacra mysteria, quique consueta sermonis consuetudine *ministri* appellantur; sunt enim sacri ministri etiam apud Ciceronem pro Cluentio perorantem, qui Deo veteribus institutis, religionibusque sunt consecrati.

Hîc non est sermo de Ministro Principali seu Christo.

PROPOSITIO I. Solus homo viator est ordinarius *Sacramentorum* minister. 3. Propositio I.

Probatur primò ex Scripturis: enimvero hominibus duntaxat Christus in ultima cœna ait: *Facite in meam commemorationem*, Lucæ XXII. 19. hominibus, *Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Matt. XXVIII. 19. hominibus, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Joan. XX. 23. atque de hominibus inquit Paulus ad Hebræos V. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus*: de hominibus idem Apostolus in Act. Apost. XX. 28. *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: de hominibus Jacobus V. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.* Nullibi hæc de Angelis, solutisque à corpore animabus dicta comperimus.

Prob. 1. ex Scripturis.

Soli

Soli itaque homines, & quidem in corpore viventes, sunt ordinarii Sacramentorum ministri. II. Probatur ex Patribus, qui Sacerdotes plurimùm honorandos esse demonstrant, ex quo eorum potestas neque Angelis, neque Archangelis collata sit, ut scribit homilia 17. Nazianzenus, & lib. III. de Sacerdotio Chrysostomus. III. Probatur, quoniam cum Ecclesia visibilis sit, & signis etiam sensibilibus ad populi Christiani unionem fovendam Christus Dominus alligarit virtutem sanctificandi; congruum erat, ut etiam Sacramentorum ministerium hominibus in corpore viventibns committeretur. IV. Revincitur Lutherus ex suismet principiis, ut mox dicam; nam ad Sacramentum conficiendum exigit Dei mandatum, & Christi institutionem, quæ duo putat nobis ex scriptura sola innotescere. At ex quo scripturæ loco docemur commissum dæmoni, aut sanctis Angelis baptizandi, & consecrandi ministerium? Ubinam extat hujus mandati vestigium? Perperam ergo ille adstruit ministerium hocce solis hominibus non competere.

2. Ex Patribus.

3. Ex ratione.

4. Ex ipsis Lutheri principiis.

Opp. Sacramenta confecit Judas membrum Diaboli: curnam nequit idem præstare Diabolus caput hominum reproborum? II. Saltem Angeli, qui sunt *administratorii spiritus*, ad Hebr. I. 14. poterunt ad animarum salutem conficere Sacramenta. III. At sanctis vita functis non videtur istiusmodi potestas deneganda, utpote qui retinent sacri Ordinis characterem.

4. Objectio triplex.

Resp. hæc nullius esse momenti. Judas enim non habuit potestatem consecrandi, ut membrum Diaboli, sed ut Christi discipulus. Angeli vero sunt *administratorii spiritus*, quatenus sunt nuntii Dei, hominum custodes, & inferiores Filio, cujus eo loci Apostolus majestatem commendat; atque nos juvant precibus, monitis, patrocinio, non autem fungentes munere sacerdotum. Sancti demum, si corpore destituti sunt, ad visibilem Ecclesiam non spectant, ac retinent sacri Ordinis characterem ad ornatum non ad ministerium. Si divinitus resurgant, aut in assumpto corpore huc descendant, esse Sacramentorum ordinarios ministros tenent Ledesma, Sotus, Gonet, Suarez, Salmanticenses: negat Alensis, Vasquez, de Lugo, sed innixi probationibus parum firmis; in quibus discutiendis nolumus tempus terere.

5. Resp. ad 1.

ad 2.

ad 3.

6. Propositio. 2.

Propositio II. Possunt Angeli sancti, & beati in cœlo regnantes extraordinaria potestate Sacramenta conficere.

Quod Augustini verbis, ratione, & Ecclesiasticis exemplis ostenditur. Augustinus namque lib. 2. contra Epistolam Parm. c. XV. num. 34. 4. *Nemo*, inquit, *accipit sine dante, sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, & homo qui accipiat, sive per se ipsum donante Deo, sive per angelum, sive per hominem sanctum, sicut Per Petrum, sicut per Joannem, sive per hominem iniquum, &c.* Et quidem, ut veniam ad alteram probationem, Deus non ita alligavit gratiam signis sensibilibus, ut nequeat illam alia ratione impertiri: igitur, inquit loco citato S. Thomas, non ita alligavit Sacramentale ministerium hominibus viatoribus, ut non valeat illud angelis, animisque beatis committere. Insuper aliquando Angeli non solum Sacramenta dispensarunt, verum etiam confecerunt. Nam sacrâ synaxi refecerunt, præter alios complures, sanctimonialem Ordinis nostri Veronicam de Binasco, Divam Agnetem Politianam, Marcum Eremitam, Bonaventuram eximium Ecclesiæ Doctorem, &c. Adeas Sanctorum Acta Tom. I. Januarii p. 88. & 926. Tom. 2. Aprilis pag. 798. Tom. 3. Julii pag. 827. & Sozomenum lib. VI. cap. 29. pag. edit. Val. 681. Idem de Thoma Apostolo singulis annis propria manu Indorum populis Eucharistiam porrigente retulit Joannes Patriarcha Callisto II. Romano Pontifici, anno 1120. ut narrat Thomas Stapletonus in Collectaneis: cui tamen insigni, & pluries repetito miraculo aliqua alia præter unius Indorum præsulis necessaria foret auctoritas. Sanctum Amphilochium Iconii Episcopum fuisse consecratum ab Angellis narrat Nicephorus Callistus lib. XI. cap. 20. pag. 138. Etiam Divum Protoparentem Augustinum aliquando de cœlis descendentem sacra peregisse, scribit probatus Auctor apud Antonium Guerrero Tom. I. Theolog. moralis pag. 391. Sacris ergo literis, ratione, historiisque proposita thesis suffulta est.

Angeli & Beati possunt esse Ministri Sacramentorum extraordinarii Prob. 1. ex Augustino.

2. Ex ratione.

3. Exemplis variis.

Opp. Angeli propriè non loquuntur; ergo proferre nequeunt sensibilem formam Sacramentorum. Resp. dist. ant. proprie non loquuntur, spectata causa effectrice soni, & articulationis verborum; transf. considerata verborum significatione, eorumque sono sensibili; id nego.

7. Objectio solvitur.

Propositio III. Non sunt singuli prorsus homines quorumlibet Sacramentorum ministri.

8. Propositio 3.

Spectat

Non singuli homines sunt ministri quorumlibet Sacramentorum Prob. 1. ex Trid.

Spectat assertum istud ad fidem, ac primum demonstratur canone 10. sessionis VII. Tridentini: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Deinde probatur ex quo in Ecclesia admitti debeat presbyterorum ministerium & Sacramentum Ordinis, scribente Apostolo in corpore Ecclesiæ diversorum officiorum exercitium diversis hominibus committi, *ut non sit schisma in corpore*, 1. ad Corinth. XII. 25. ob eam rem constitutos in Ecclesia pastores, & doctores à plebe diversos, *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, ad Ephes. IV. 12. eumque duntaxat sibi hunc honorem jure vindicare, *qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*, ad Hebr. v. 4. At si quilibet homines haberent eandem potestatem in verbo, & in Sacramentis administrandis, non foret in Ecclesia discrimen istud, omnia membra haberent eundem actum, nulla esset compago corporis, omnesque tanquam Aaron sumerent sibi honorem. Tertio nunquam Ecclesia Christi passa est, ut Sacramenta promiscue ab omnibus conficerentur, sed commisit id muneris pastoribus, & sacerdotibus, solo baptismate à communi regula excepto; ideoque Osius Cordubensis apud Athanasium per literas ita Constantium allocutus est: *Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes: sed à nobis potius hæc discas: tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit:* & Nazianzenus præcitata Orat. XVII. præcipit curam, studiumque erga plebem, *tametsi*, inquit, *obeundæ legationis munere nobis cedat.* Revincuntur postremò Lutherani ipsius Augustanæ Confessionis art. XIV. ubi *de ordine Ecclesiastico docet, quod nemo debeat in Ecclesia publicè docere; aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.* Et quamquam hujus vocationis potestatem adscribant populo, aut magistratibus; tribuendam tamen esse Ecclesiæ Rectoribus (nisi verbis fucum faciant) profitentur hujus articuli Correctores in altera Confessione anni 1540. in qua adduntur hæc verba, *Sicut Paulus præcipit Tito, ut in civitatibus presbyteros constituat.* Quibus sane verbis, velint, nolint, fatentur administrationem Sacramentorum ad presbyteros, presbyterorum verò institutionem ad Episcopos, non ad plebem, vel ad sæcularem politiam pertinere. Accedit quod fratres Bohemi sacerdotibus destituti, ut Sacramenta reciperent, adacti necessitate clancu-

2. Ex Apostolo.

3. Ex praxi Ecclesiæ.

4. Ex Confessione Augustana.

lum ad Ecclesias Catholicorum miserunt consecrandos; quamquam id ægre ferret hæresiarcha Lutherus. Vide Bossuetium Hist. Variar. lib. XI. num. 178. Illud etiam notandum est, quod Philippus Melanchton in Apologia Confessionis scribat à se, suisque rejectam Ecclesiasticam politiam, & Sacerdotale ministerium, ob Episcoporum nostrorum tyrannidem atque improbitatem presbyterorum: cujus temeritatis Philippum jure redarguunt Cochlæus, & Hoffmeisterus Harm. Confes. pag. 306. & seq. æquiparantque Novatorum Capita Michæ, Jezabeli, & Jeroboamo, qui sanctis inunctionibus spretis instituerunt ministerium sæculari auctoritate, atque illud Aaronico prætulere. Adde eò amentiæ amentissimos perveniisse, ut sacerdotale ministerium spernentes probarint tamen collata à Diabolo Sacramenta. Recte ergo talia errorum portenta execramur.

Oppones: In nova lege omnes, qui Christo nomen dedere, sunt sacerdotes; possunt ergo omnes fungi sacrorum ministrorum officio. Prob. ant. 1. quoniam Christus in ultima cœna omnibus fidelibus in persona adstantium Apostolorum ait, Lucæ XXII. 19 *Hoc facite in meam commemorationem.* II. Matthæi XXVIII. 19. inquit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Sed baptismi sunt idonei ministri omnes prorsus fideles; ergo & verbi, omniumque Sacramentorum. III. In nova lege quilibet fidelis est sacerdos, scribente Apostolorum principe in priori Epistola II. 5. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerte spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*: & versu 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c.* Joannes pariter Apoc. I. 6. scribit: *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & patri suo.* IV. in Ecclesia sua non patitur Christus discrimen istud pastorum ac plebis, sed præcipit Matth. XX. 25. ut *quicunque voluerit major fieri, sit minister, &c.* V. Nulla inter fratres admittitur graduum disparitas; cum igitur Christus sit Sacerdos, & eos, qui regenerantur, in suorum fratrum numerum recipiat, poterit quilibet baptizatus fungi Sacerdotio, & conficere Sacramenta.

9. Objicitur. 1. 2. 3. 4. 5.

Resp. inter regulas interpretandi sacras literas hanc enumerari à magno Augustino lib. III. de Doctrina Christiana cap. 17. num. 25. *Ut sciamus*

10. Respondetur 1mo ad omnia ex

quadam regula Aug.

*alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum:* ex qua regula S. Pater infert, *in suo genere curandum esse, quod ad melius genus non potest erigi*, E. G. quod omnibus parentibus dicitur Eccl. VII. 27. *Tradefiliam, & grande opus perfeceris*, si quis statuit servare innuptam Virginem suam, tanquam figuratam locutionem conatur interpretari. Si ergo concedamus prædicta omnia Scripturæ loca de omnibus fidelibus accipienda, dicendum erit non eadem ratione ad singulos pertinere, sed ad Sacerdotes consecrationem & communionem Eucharistiæ, ad laicos communionem tantummodò: ad illos munus docendi & baptizandi, ad istos baptizandi tantum necessitate impellente; ad eos proprium Sacerdotium, quo externum sacrificium peragitur, ad hos verò internum, quo unusquisque supremo Domino offert semetipsum, ad illos denique fraternitatem Christi secundum missionem & potestatem sanctificandi, ad istos autem secundum gratiam adoptionis, &, nisi ab hac decidant, secundum participationem hæreditatis. Atque ita nullum ex adductis locis juvat heterodoxos.

II. Resp. 2do specialiter ad 1.

At est quod in singulis perpendamus, Si quod legitur Lucæ XII. *Facite in meam commemorationem*, de consecratione Eucharistica accipiendum esse contendas, nego dirigi hæc verba ad omnes promiscuè fideles. Tunc enim Christus cum solis Apostolis segregato in loco cœnabat: neque Apostolis universa Christianorum multitudo successit; nam cum esset, damnato Juda, ipsorum numerus integrandus, non patuit cuique ad hanc dignitatem aditus, sed suffragiis Apostolorum designati sunt duo, id est, Barsabas & Matthias, & is tantum accepit Apostolatum, de quo prævaricatus est Judas. Paulus & Barnabas non humano judicio, sed per Spiritum sanctum ad exercendum Apostolicum ministerium fuerunt segregati. Ab Apostolis, non à cœtu fidelium, crescente numero credentium, ordinati fuere Presbyteri, Diaconi, aliique ministri, necessarii ad Ecclesiasticam Hierarchiam. Videsis Alphonsi Virvesii Philippicam III. in Melanchthonem. Deinde verbum *facite* referri potest ad omnes actiones, quæ Christus peregit, ita, ut sensus sit, sacrificate, offerte, sumite, frangite; idque spectat ad discipulos, eorumque successores, necnon etiam ad laicos quatenus offerunt, & sacrificant per Sacerdotes, quo sensu dicimus in Canone Missæ, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt:* vel potest referri ad solam Eucharistiæ perceptionem, quo sensu ait Apostolus in prima ad Corinth. II. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* In neutro autem sensu, ut liquet, sequitur laicis demandari ministerium consecrationis, sed ad illos tantum pertinere præceptum accipiendi & edendi in memoriam Dominicæ passionis. Præterea verborum illorum, *hoc facite*, potest sensus esse, quemadmodum ego panem consecro, offero, vobisque distribuo; ita vos, quos modò Sacerdotes novi Testamenti constituo, consecrate, offerte, cæteris distribuite, ac vos item Sacerdotes constituite, ut consecrent, offerant distribuant: atque hujusmodi sensus adeo planus est, ac perspicuus, ut jure meritoque sacrosancta Tridentina Synodus sess. 22. cap. 1. affirmarit, Christum Dominum per hæc verba; hoc facite in meam commemorationem, *Apostolis suis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse, &c.* Hinc verò nonne laici à sacrificandi ministerio evidentissimè arcentur?

12. Resp. ad 2.

Quod attinet ad 2. illis verbis, *Euntes docete, &c.* significantur duo munera pastoralis officii, scilicet, potestas doctrinæ, & administratio Sacramentorum, quæ duo esse omnibus Episcopis & Pastoribus communia, ultro fatemur; sed non posse ministerium alterius, quod summæ necessitatis est, ab Episcopis & Pastoribus etiam laicis committi, aut è contra utrumque munus singulis commissum esse, non video, qua ratiocinatione istinc eruatur. Non enim dictum est, *Baptizate, & nemo alius baptizet*, neque, *Baptizent, & doceant promiscuè omnes:* sed comprehendit Dominus in docendi munere, & in administratione Sacramentorum functionem Apostolicam, non expressis, neque denegatis cæteris, quæ Apostolorum auctoritati commiserat. Enimvero priusquam Christus discipulos mitteret in universum mundum, Petro tradiderat claves regni cælorum, & ligandi atque solvendi plenissimam auctoritatem, Ecclesiasticam Hierar-

Hierarchiam instituerat, contulerat sacerdotibus potestatem remittendi peccata, formaverat Ecclesiam optimis institutionibus; quæ simul ad memoriam revocans inquit, *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Adde tunc adfuisse cum Apostolis omnes discipulos; & quemadmodum Dominus servos, aut Imperator milites dimittens his verbis, *Ite, jussa exequimini, facite imperata*, non singulis singula, sed unicuique officium præscribit suum; ita Redemptor extremo illo colloquio singulos universali jussione ita commonefecit, ut non debeant tamen inferiores jura superiorum invadere. Ulterius eo loci præscribitur, ut Apostoli baptizent gentes fidei rudimentis imbutas, nec tamen fatentibus Lutheranis prohibet *pædobaptismum*, id est, baptismum puerorum, qui per ætatem percipere nequeunt Evangelii doctrinam. Ergo nec prohibet aliis baptizandi ministerium: quamvis non extendat ad omnes verbi potestatem, ministeriumque cæterorum Sacramentorum.

13. Resp. ad 3. Ad alterum optima est Catholicorum omnium responsio, appellari fideles omnes *Sacerdotes*, quatenus Christo nomen dantes sese in Dei cultum consecrant, segregantque ab idolorum cultoribus; non in quantum externo ritu possint omnes sacrificare, & exercere officia pastorum. Si enim hoc sensu credentes omnes fungerentur Sacerdotio, quomodo recte scripsisset Apostolus ad Hebræos v. eos tantum, *qui vocantur à Deo tanquam Aaron*, vindicare sibimet hunc honorem? quomodo assereret ad Ephes. IV. in corpore Ecclesiæ diversos gradus statutos, *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii*? quomodo Apostoli per manuum impositionem Presbyteros & Diaconos ordinassent? quomodo solis Apostolis Christus largitus esset potestatem remittendi peccata? quomodo quælibet Christi membra non eundem actum haberent? Sapientissime itaque Augustinus exponens verba Apocalypsis, *Erunt Sacerdotes Dei, &c.* in vicesimo libro de C. D. cap. 10. inquit: *Non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis: de quibus Apostolus Petrus, Plebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium.* Huic pervulgatæ responsioni duo notatu dignissima addam. Unum est, quod verbis Petri simillima sunt, quæ per Moysen Dominus ait ad progeniem Jacob, & universos filios Israel, Exodi XIX. 6. *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta*; & tamen non hinc eruitur in lege veteri omnes promiscuè ad Sacerdotale ministerium evectos; imo divinitus corruerunt laici, qui sacra attentarunt, ut contigit Ozae, quem Deus percussit, *quod tetigisset arcam Domini*, 2. Regum VI. 7. Ex verbis itaque Petri fictitia illa, communisque potestas sacra tractandi minime infertur. Alterum notatione dignum est, eo loci Petrum non tantum Sacerdotii meminisse, sed etiam regni; inquit enim, *Regale Sacerdotium*, idque ex interpretatione Acatholici Grotii, *ut intelligantur Christiani per Christum ita facti Sacerdotes, ut simul & reges sint ad Christi exemplum.* Quid ergo? Nonne sunt in lege nova *reges*, qui cæteris præsunt? Si reges sunt aliqui; dicendum est, quod sicuti Christiani omnes sunt *reges*, quatenus non subjiciuntur legis servituti, animique sui tenent imperium, non quatenus rempublicam moderentur, omnesque præditi sint summorum principum auctoritate: ita dicendum erit, quod omnes Christiani sunt Sacerdotes, in quantum caste viventes corpus suum sacrant in Dei templum, preces offerunt, & exercent opera sanctitatis; non in quantum evecti ad Ecclesiasticam hierarchiam habeant potestatem verbi, sacrorumque mysteriorum, ac sint omnes Sacerdotali charactere insigniti. Si verò nulli sint *reges;* non solum Ecclesiastica hierarchia, verum etiam politia sæcularis erit abjicienda, omniaque perturbata erunt, & Reipublicæ exitiosa: quod haud vereor attentaturos hæreticos, nisi eorum licentiam cohiberet auctoritas Magistratuum. Quare Andreas Fabricius animadv. ad art. XIV. Conf. Augustanæ pag. 304. *Videant*, inquit, *Principes, quibus aures ad ejusmodi novitates pruriunt, ne per simile argumentandi genus multorum animos adversum se excitent. Nam si verè ex eo Petri loco concluditur omnes Christianos ita esse Sacerdotes, ut non sit agnoscendum in Ecclesia peculiare aliquod Sacerdotum genus, qui cæteris Christianis & functione & dignitate præstent; cur non ex eodem loco æque vere & efficaciter concludatur nullos apud Christianos esse reges, aut principes cæteris superiores? Si illa machina Sacerdotes suo gradu jure dejiciunt, suisque sedibus propellunt, cur non eodem tormento & reges suis foliis deturbent, ac in ordinem revocent?*

*Utrumque enim eo loco Petrus conjungit, nec tantum Sacerdotii, sed etiam regni meminit.*

14. Resp. ad 4. Quod sequitur proximo loco, nullius est momenti. Ibi enim Christus humilitatem præcipit, non evertit Ecclesiasticam hierarchiam, demonstratque quomodo *principes mundi ideo fiunt ut dominentur minoribus suis, ut servificent eos, & spolient eos, & comedant, & usque ad mortem abutantur vita eorum ad suas utilitates & glorias: principes autem Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, & ministrent eis quæcunque acceperint à Christo, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent, &c.* ita cum cæteris Græcis Auctor hom. xxx. pag. 901. inter Opera Chrysostomi: nec aliter cum Latinis reliquis Hieronymus in Matt. Tom. IV. pag. 93. & Augustinus serm. III. in Psalmum CIII. num. 9. Eo namque loci increpat Dominus filiorum Zebedæi immodicam cupiditatem. In postremo autem non immorabor; neque enim in benè instituta domo tenent singuli fratres eundem locum; neque adoptio gratiæ, per quam Christo coaptamur, tribuit omnibus cum jure ad hæreditatem potestatem regiminis: sed, ut singuli fratres mensæ simul accumbunt, eisque patresfamilias, aut majores natu alimenta distribuunt: ita omnes Christi fideles in una Ecclesia, tanquam in eadem domo degentes Dominico Corpore saginantur; sed laicis Episcopi, ac presbyteri porrigunt Sacramentum. Verum de his plura ubi de Eucharistia, & de Sacris ordinationibus disputabitur. & ad 5.

# CAPUT XIV.

## De conditionibus, quæ requiruntur in ministro, ac primùm de probitate.

## *SUMMARIUM.*

1. Variæ hæreticorum sententiæ.
2. Usque ad 7. probatur, valere Sacramentum collatum à ministro improbo, si cætera necessariò requisita adsint.
7. & 8. Solvuntur objectiones ex scriptura S. desumptæ.
9. Usque ad 15. satisfit cæteris obiectionibus.
15. Sacerdos gravis peccati sibi conscius, illicitè conficit Sacramentum.
16. Idem est judicium de Diaconis, & aliis Sacerdote inferioribus.
17. & 18. Quid sentiendum de Concionatoribus.

1. Non valere Sacramentum ab improbo Ministro collatum docent multi hæretici, ut *Donatistæ, Pseudo Apostoli, Valdenses, Albigenses, & Hussitæ.* NOn valere Sacramentum ab improbis ministris collatum docuerunt Donatistæ, qui non solum hæreticos, verum etiam peccatores quoslibet arcebant ab administratione Sacramentorum, ut lib. 2. contra Cresconium cap. XXVIII. num. 34. aliisque in locis docet Augustinus, & lib. v. de Schismate Donatistarum S. Optatus. Prolapsi sunt in eundem errorem Pseudo-Apostoli, de quibus serm. 66. in Cantica S. Bernardus. Idem propugnarunt Valdenses, Albigenses, Hussitæ: hæseruntque eodem in luto Anabaptistæ etiam à Kemnitio, & à Bullingero refutati. De Hussitis hæsitat Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 26. manifestus est tamen articulus ille Joannis Hus de decimis: *Si Episcopus existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat.* Novatores, tam Lutheri, quam Calvini addicti partibus fatentur Sacramenta, quamvis à malis administrentur, esse efficacia. Enimverò Jo. Calvinus lib. IV. Inst. cap. XV. n. 16. scribit Sacramentum ex ipsa Dei manu æstimandum, à quo haud dubiè perfectum est, non è manu ejus, à quo administratur, afferens exemplum epistolæ, de qua minime refert quis aut qualis fuerit tabellarius, modo satis & manus & signum agnoscatur: quo exemplo putat Donatistas, Anabaptistas, & Catabaptistas pulchre refutari. At vides inter herbas venenatam viperam latitare, dogma scilicet exitiosum, quod Sacramenta sint divinæ promissionis sigillum, & eatenus signacula justitiæ, quatenus, tanquam chirographum sigillo signatum, fiduciam nostram corroborant. Kemnitius quoque in 2. p. Examinis non reprobat canonem 12. sess. VII. Tridentini: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Articulus denique VIII. Confess. Augustanæ hæc habet: *Et Sacramenta, & verbum Dei, propter*

Juxta Lutheranos & Calvinistas valet; sed Calvinus hìc tamen serpit.

Confessio Augustana & Lutherus non conveniunt.

*propter ordinationem, & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.* Non videtur tamen huic articulo cohærere quod in libro de Potestate Papæ scripsit Lutherus, eum solum recipere claves, qui sit paternæ revelationis auditor: sed frustra in hæreticorum libris quærimus harmoniam. A Novatoribus cæteris dissentiunt Zuvigliani ea ducti ratione, quod Christus prius dederit Spiritum sanctum, deinde vero clavium potestatem, unde inferendum putant ibi non esse potestatem, ubi non est spiritus Sanctificator. Ita scribit in Epistolam Canonicam Oecolampadius. Præscindimus modo ab ea quæstione, num hæretici, qui extra Ecclesiam sunt, valide Sacramenta conficiant; ne quæ dicenda erunt libro proximo de Rebaptizantibus, huic loco inserantur: sed instituimus disputationem de ministris in Ecclesiæ sinu degentibus, & pollutâ conscientiâ sacra tractantibus, posito quoque inter validam, & illicitam sacrorum ministrationem discrimine.

2. Propositio I. Valet Sacramentum à malo ministro collatum, modò adsit debita *Materia, Forma*, & *Intentio*. Prob. 1mo ex Scripturis & PP.

PROPOSITIO I. Valet Sacramentum ab improbo, sceleſtissimoque ministro collatum, modò nihil eorum desit, quæ ad illius constitutionem sunt necessaria, id est, aut materia, aut forma, aut intentio.

Prob. 1. Ex scripturis Joannis. 1.33. de Christo legitur: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Nequit his verbis demonstrari solum Christum esse ministrum baptismatis, cum sacra narret historia, etiam discipulos baptizasse. Demonstratur ergo tantummodo ad solum Christum pertinere potestatem baptismatis, ad discipulos ministerium. Atqui malus minister nequit impedire Domini potestatem. Igitur ministrorum perversitas impedire nequit baptismi, aliorumque Sacramentorum validitatem. *Joannes didicit per columbam*, inquit Augustinus Tract. v. in Joan. num. 11. *potestatem Dominici baptismi in nullum hominem à Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem à Domino in neminem, ministerium & in bonos & in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? quid te impedit malitiosus præco, si est benevolus Judex?* II. Post baptismum Joannis fideles jubente Paulo susceperunt baptismum Christi; post baptismum autem Christi, nec qui à Juda fuerant baptizati, jussi sunt iterum ad baptismum accedere. Habet ergo ex se baptismus Christi, ut sit validus, quamvis collatus ab improbo, quoniam semper est baptisma Christi, qui baptizat in Spiritu sancto, qualiscunque sit illius Sacramenti minister. *Baptismum Christi das*, ait eodem Tract. num. 18. S. Pater, *ideo non post te baptizatur: post Joannem ideo baptizatum est, quia non Christi baptismum dabat, sed suum: quia sic acceperat, ut ipsius esset. Non ergo tu melior, quam Joannes: sed baptismus qui per te datur, melior quam Joannis. Ipse enim Christi est, iste autem Joannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, Christi est: & si datum est à Juda, Christi erat. Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem: quia si datus est à Juda baptismus, Christi erat: qui autem à Joanne datus est, Joannis erat.* Et infra, *Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat.* Transcripta sunt Augustini verba in canones, 1. quæst. cap. *Dedit.* Et de Consecrat. dist. IV. cap. *Baptismus.* III. Ne Corinthii intumescerent, quod habuerint præ cæteris pastores probitate exornatos, hoc argumento eos coercet Apostolus in priori Epistola cap. III. 4. *Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli. Alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque nec qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.* Quibus verbis Apostolus evincit, nemini gloriandum esse in hominibus, quoniam venientibus gentibus ad gratiam, homines solum ministerium exercent, neque ab eorum opere pendet regenerationis effectus. Præclare Optatus lib. v. de Schismate Donatistarum pag. 87. *Ut ostenderet, quia hoc totum Sacramentum, baptismatis Dei est, ut illic sibi nihil vindicet operarius, sic ait: Ego plantavi, hoc est, de pagano catechumenum feci: Apollo rigavit, hoc est, ille catechumenum baptizavit: sed ut crescceret quod plantatum & irrigatum est, Deus fecit. Nam & quivis hodie volens vineam suam pastinare, operarium placita*

*cita mercede conducit; qui curvato dorso, & desudatis lateribus fines terræ faciat, ubi deponat electa plantaria, & aquam calcatis scrobus superducat: scrobem fodere, & plantaria ponere potest, aquam inducere potest; imperare ut teneat non potest: est enim hoc solius Dei, de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram, & gemmantes oculos, incrementa frondium provocare, &c.* IV. In Dei nomine ejiciuntur dæmonia, & in nomine Trinitatis consecratur baptismus, Marci XVI. 17. & Matth. XXVIII. 19. At in nomine Christi etiam improbi dæmonia ejiciunt. Igitur in nomine Trinitatis mali quoque ministri conficiunt Sacramenta. *Denique lectum est in Evangelio* (inquit eodem loco Milevitanus Episcopus) *Joanne dicente, Magister vidimus quemdam in nomine tuo expellentem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum, sic Christus ait, Nolite prohibere: qui enim non est contra vos, pro vobis est, Luc.* IX. 37. *Nam & ipsis sic mandatum est, ut opus esset illorum, sanctificatio Trinitatis; nec in nomine suo tingerent, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ergo nomen est quod sanctificat, non opus.* Hæc colluſtrare possunt pervulgatam probationem scholasticam, quod potestas conficiendi Sacramenta sit gratia *gratis data, non gratum faciens*, ideoque non requiratur ad Sacramenti valorem sanctitas operantis.

3. Prob. 2dò. Ex Definitionibus Ecclesiasticis.

Demonstratur 2. Catholica thesis Ecclesiasticis definitionibus. I. Nicolaus Primus ad Consulta Bulgarorum cap. XV. Tom. VII. Concil. pag. 523. docet validum esse baptismum collatum ab eo, qui se finxit presbyterum, productis Anastasii II. ad cœquivocum Augustum literis, verbisque Joannis, & Pauli supra explanatis, atque in hanc sententiam concludens, *Malus bona ministrando, non aliis, sed sibi detrimenti culpam ingerit.* II. Concilium Constantiense celebratum anno 1415. sess. VIII. proscripsit hunc articulum Joannis Wiclefi ordine 4. *Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Tom. XII. Com. pag. 45. Wiclefi errores pertinaciter in civitate Pragensi propugnasse Joannem Hus simul cum magistro damnatum, patet ex eodem Concilio Constant. eodem volum. pag. 131. & ex libro de Decimis ejusdem hæretici supra citato. III. Non requiri vitæ integritatem in ministro, ut Sacramentum validum sit, sancivit prælaudato canone XII. Oecumenica Synodus Tridentina.

Tertio probatur auctoritate Majorum: ex quorum scriptis ut perpauca delibemus, Nazianzenus Orat. in S. Baptismum, *Quamvis*, inquit, *alium alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est.* Chrysostomus Hom. VIII. in priorem ad Corinthios: *Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, nec baptismatis gratia quicquam læditur à vita Sacerdotis.* Et hom. XI. in Epist. ad Thessalonicenses: *Gratia Dei per indignos operatur, non propter ipsos, sed propter eos, quibus opitulandum est.* S. P. Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. x. num. 21. *Hic enim dici non potest, quod solent ineptissime, & impudentissime dicere* (Donatistæ) *tunc posse à malo baptizari quemquam, si lateat malitia baptizantis. Qui enim fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet. Ab hoc ergo cum se auferat Spiritus sanctus, quæ spes erit baptizati, si baptizantis hominis meritum in illa Dei gratia cogitandum est?* Idem Augustinus lib. 2. adversus Petilianum cap. 37. num. 88. *Redite ergo prævaricatores ad cor, & nolite ex hominum moribus & factis divina Sacramenta pensare. Illa enim per eum sancta sunt, cujus sunt: sed digne tractata afferunt præmium, indignè autem tractata judicium. Et quamvis unum non sint qui Dei Sacramenta digne, & qui indigne tractaverint: unum est tamen illud sive digne, sive indignè tractetur, non ut ipsum melius, vel deterius fiat, sed ad vitam, mortemve tractantium.* Isidorus Peluſiota lib. 3. Epist. 340. *Nullo detrimento*, inquit, *qui suscipit sacrosancta mysteria, afficitur, etiamsi qui tribuit indignus esse videatur; neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales superet improbitate.*

4. Prob. 3tiò Auctoritate Majorum.

Producam quarto loco aptissima exempla, quibus Patres dogma istud explanaverunt. Principio Nazianzenus præcitata Orat. pag. edit. Morel. 656. bonum, ac malum ministrum comparat duobus annulis, quorum unus aureus est, alter ferreus, ut ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habent, ac ceram imprimunt: discrimen enim in materia est, non in signo. *Sic tibi*, inquit, *omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur: quamvis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est.* Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. x. num. 15. comparat Sacramenta luci, *quæ cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordidum contrahit:*

5. Prob. 4tò Per exempla à Patribus adducta.

&

& lib. III. contra Cresconium cap. III. num. 8. semini, quod spargit infidelis colonus, à quo fieri nequit ut fœcunditas terræ, cælique temperies efficaciam germinandi divinitus non acceperint. Addit Tract. v. in Joannem num. 15. comparationem canalis lapidei, per quem transit aqua ad areolas, quæ tamen in hortis plurimum fructum affert. Ita de superbo ministro sermonem instituens, *non contaminatur*, inquit, *donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram.* Euthymius in cap. XI. Joannis Sacerdotem improbum æquiparat scelestissimo Caiphæ, qui tamen vaticinatus est, id assecutus non propria virtute, sed propter Pontificis dignitatem. Theophilactus ad cap. XX. Joannis utitur comparatione asinæ Balaami, loquens ad hunc modum: *Nam quamvis Sacerdotes indigni sunt, quid hoc? Divinorum donorum sunt ministri, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Balaam locutus est.* Atque his, aliisque exemplis evincitur non pendere virtutem Sacramenti à sanctitate ministri.

6. Confirmatur ultimò rationibus theologicis.

Tandem conclusionem ductis à Theologica ratione argumentis confirmo. Sit autem primum. Sacrorum mysteriorum ministri sunt dispensatores, Christi ministerio fungentes ex Apostolo I. ad Corinth. IV. 1. id est, non conferunt Sacramenta, *tanquam Potestas, sed tanquam servi, in quos noluit Deus transferre potestatem suam, ut in illo spes esset baptizatorum, nec servus poneret spem in servo*, inquit Aug. Tract. v. in Joannem num. 7. sive, ut Scholastici loquuntur, sacri ministri non sunt Sacramentorum causæ principes, sed instrumentales, quæ non operantur secundum propriam virtutem, sed juxta virtutem illius, à quo moventur, quemadmodum præco operatur mandato judicis, & officialis auctoritate principis: his namque exemplis utitur Augustinus eodem Tract. v. num. 13. Atqui minister operarius, & instrumentalis causa, cum solummodo exterius proferunt opus principalis agentis, nequeunt hujus actionem cassam reddere, quantumvis pravis moribus affecti sint. Ergo ministrorum scelus & pravitas nequit irritum reddere Sacramentum. II. Sacra ministrantes non deperdunt propter scelerum demerita potestatem & characterem: quod Augustinus demonstrat adversus Donatistas lib. I. de Baptism. cap. I. num. 2. ex quo & ipsi Donatistæ reciperent baptizatos, aut consecratos antequam ab unitate discederent: unde S. Pater ita ratiocinatur, *sicut acceptatur baptismus, quem non potuit amittere, qui ab unitate discesserat; sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi cum discederet non amiserat.* Et quidem si grave scelus, quale est recedere ab unitate, & schismate se polluere, non delet characterem baptismatis in communione suscepti, ita nec delet characterem Ordinis, & consequenter qui in schismate aut tingit, aut consecrat, verum conficit Sacramentum. Idem proximo cap. v. num. 7. S. Pater demonstrat, ex quo iidem Donatistæ reciperent baptismum Maximianistarum, quos in Synodo Bagaitana tanquam sacrilegos extra eorum communionem ejecerant. Unde S. Pater ita exagitat adversarios: Si valet Baptismus à Feliciano collatus in schismate; quare non tenet collatus à Catholicis, quos Donatistæ tanquam impios, fures, & sacrorum codicum traditores execrantur? *Nihil omnino*, inquit Augustinus, *inter nos, & eos Donatistas, qui Primiano communicant, dereliquit, &c.* Primianus enim Maximianistas à sua communione separavit; vid. lib. III. contra Epistol. Parmeniani cap. 3. num. 18. Urget Augustinus idem argumentum lib. III. contra Cresconium cap. 24. num. 27. & lib. IV. cap. 6. num. 18. & seq. III. Inter bonos ministros unus est melior altero, & nihilosecius non est melior baptismus qui per meliorem confertur. Igitur, infert S. Pater cit. lib. 3. adversus Cresconium cap. VI. num. 6. *Nullo modo est malus, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur, & ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed Dei est.* IV. baptismus est unus ex Apostolo ad Ephes. IV. 5. Ministri autem baptismatis (quod de cæteris Sacramentis intellige) sunt multi. Baptismus unus est, quoniam sive baptizet Petrus, sive Judas; non conferunt baptismum suum, sed Christi. Ministri autem plures sunt, quoniam Petrus non est Judas, nec Judas Petrus. *Ergo*, inquit S. Pater in Epistola contra Donatistas, sive de unit. Eccl. cap. XXI. num. 58. *cum tantum distaret inter Petrum & Judam, nihil tamen distabat inter baptismum qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Judam. Illud enim quod per eos dabatur, unum erat, cum ipsi non essent unum.* Similia lib. IV. de schismate Donatistarum num. 4. Optatus Milevitanus. V. Si valeret Sacramentum duntaxat quando à sanctis probisque mini-

miniſtrantibus datur, ac recipienda foret illa nimium ſevera ſententia Donatiſtarum, *quisquis peccator inter omnes homines fuerit, jus ſibi baptismatis non uſurpet*: cum omnes probi viri peccatores ſe fateantur, nec ipſi unquam auderent Sacramenta petentibus miniſtrare, nec quisquam ab ullo homine peteret Sacramenta: quo argumento ita Auguſtinus vellicat Cresconium lib. 2. cap. XXVIII. num. 35. *Si ergo jam baptizatus es, vellem ſcire quem repereris, qui contra Joannem Apoſtolum diceret, Peccatum non habeo. Si enim, talem quemquam reperiri potuiſti, quomodo baptizatus es ab eo, qui ſe ipſum decipiebat, & in quo veritas non erat? Si autem qualiscunque humilitatis non immemor peccatorem ſe eſſe dicebat, quomodo ſibi ſecundum tuam ſententiam jus baptismatis uſurpabat? Tu enim dixiſti, tu etiam minime ſcribere timuiſti, ut quisquis peccator inter homines fuerit, jus ſibi baptismatis non uſurpet. Si autem nondum baptizatus es, aut hanc vaniſſimam ſententiam corrige, aut à quibus baptizeris angelos quære.* Hactenus dogma catholicum ſtabilivimus: diluamus modò hæreticas argutationes.

7. Objiciunt imò Donatiſtæ varios ſcripturæ textus.

Oppones 1. Si ad Scripturarum ſanctarum oracula converterimus animum, liquidò conſtabit ſceleroſos miniſtros polluere ſacra, eaque diſpenſandi auctoritatem amittere. Primò namque Eccleſiaſtes initio x. capitis inquit: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti*; miniſtrantes itaque criminibus polluti, muſcis utique comparandi, ſacrorum chrismatum egregiam virtutem, & efficientiam ſacrarum unctionum corrumpunt. II. Legimus Sapientiæ 1. 5. *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Quomodo ergo Spiritus charismatum largitor operabitur in iis, qui, dum ſacra peragunt, divinum miniſterium latente crimine dehoneſtant? III. In Eccleſiaſtici XXXIV. 4. ſcriptum eſt: *Ab immundo quid mundabitur?* Et verſu penultimo: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Itaque nec mundat, nec baptizat quisquis mortuus eſt, atque immundus. IV. Ait Dominus per Jeremiam, XXIII. 28. *Quid paleis ad triticum?* Impii ergo, quoniam paleæ ſunt, triticum, id eſt, Euchariſtiam nequeunt conſecrare. V. Teſtatur Aggæus cap. II. 14. contaminari *quidquid tetigerit pollutus in anima.* Ideoque contaminantur Sacramenta, quæ tangit, ac tractat improbus miniſtrator. VI. *Si non poteſt arbor mala bonos fructus facere*, quemadmodum legitur Matth. VII. 18. quomodo malæ arbores, quomodo criminoſi miniſtrantes, ſacra, eorumque uberrimum fructum perficient? VII. Ut habetur Joannis IX. 31. *Peccatores Deus non audit*; & conſequenter peccato inquinati nec ſanctificant, nec Deum ad ſanctificationis gratiam impertiendam ullatenus movent. VIII. Liquet ex eodem Evangeliſta præced. cap. verſu 44. improbos, mendaces, invidos, *ex patre diabolo eſſe*; Chriſtus autem Eccleſiæ caput operatur duntaxat in membris ſuis: quare in ſceleſtis nullam ſpiritalem actionem exercet. IX. Idem Joannes cap. XX. 22. narrat Dominum tradidiſſe Diſcipulis poteſtatem abſolvendi à peccatis dicendo: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* At grave aliquod ſcelus perpetrantes deperdunt cum juſtitiæ decore Spiritum ſanctum. Itaque deperdunt quoque abſolvendi à peccatis auctoritatem. Ex hiſce Scripturæ locis Donatiſtæ inferebant ſanctos tantùm, probosque viros, qui ſunt *juxta cor Domini* (quales ipſe ſpopondit per Hieremiam, III. 15.) eſſe verbi Dei, ſacrorumque Myſteriorum miniſtros: à cæteris autem contaminari ſacra, nec rem aliquam confici, niſi immundam atque profanam; nil propterea efficere aut baptismum, aut ſacram ordinationem ab impio collatam, & malorum Sacramenta à fidelibus rejicienda eſſe verbis Davidicis, Pſalm CXL. 5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Principio adverſus Donatiſtas, qui hæc objecerunt, poſſunt argumenta iſta retorqueri, cum probarint baptismum; & ſacras ordinationes Maximianiſtarum, quos in Bagaitana Synodo à communione ſua ſegregaverant. Deinde ad omnia ex Optato Milevitano, & Auguſtino, Donatiſtarum flagellis, hæc reponimus. Ideo Eccleſiaſtis x. affirmatur muſcas morientes perdere ſuavitatem unguenti, quia cum probi viri ſint *Chriſti bonus odor*, teſte Apoſtolo 2. ad Corinth. II. 15. id eſt, per eos laudibus celebretur Dei nomen, *effuſo oleo* in canticis comparatum; per impios Chriſtiana religio afficitur dedecore, atque, ut Iſaias ajebat LII. 5. *nomen Dei blaſphematur.* Impii ergo exterminant olei ſuavitatem, ſcilicet bonum odorem; qui *eſt in optima fama viventium*, non gratiæ præſtantiam, quæ adinvenitur in Sacramentorum virtute. Hæc Auguſtinus lib. 2. contra Parm. cap. x. num. 22. S. Optatus lib. VII. num. 4. hunc locum

8. Retorquetur, & Reſpondetur

Ad 1.

cum de Sacramentis interpretatus respondet confici *Chrisma* per invocationem nominis Christi, quo suave fit, & quadammodo conditur: cum autem etiam apud nos, qui à Schismaticis existimamur sacrilegi, remaneat oleum cum tali invocatione, & sic à nobis servetur, quomodo ab illis dimittitur, frustra dici possumus muscæ corrumpentes olei suavitatem. His addo loqui Ecclesiastem de fama, & gloria viri sapientis, quam modicum stultitiæ pessumdat.

Ad 2. Quod sequitur, ab Augustino lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. x. num. 21. primùm contra adversarios ejaculatur. Donatistæ quippe impudentissimè dicebant, *tunc posse à malo baptizari quemquam, si lateat malitia baptizantis.* Et tamen, inquit Augustinus, *qui fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet.* Quomodo ergo occulti mali apud Donatistas baptizare potuerunt? Deinde S. P. respondet deesse quidem Spiritum sanctum dantibus, ac fingentibus, sed non deesse acceptantibus & credentibus, illos culpare, istos mundare, effugere nempe iniquitatem ministrantium, & ineffabili efficacia potentiæ suæ sanctificare suscipientes.

Ad 3. Ad tertium habeto responsum istud. Ab illo baptizamur, in cujus nomine à peccato mundamur. At mundamur à peccato in nomine Christi, qui vivit, & sedet à dexteris Dei. Ergo non baptizamur à mortuo, neque ab immundo. Ita Augustinus lib. 2. contra lit. Petiliani cap. VII. num. 15. & lib. 2. contra Cresconium Donatistam cap. 27. num. 33. Addit sequenti num. 34. non prodesse lavationem factam ab Hæretico, & à Schismatico baptizato, nisi transeat ad Corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi. Adde Ecclesiasticum 2. loco agere de iis, qui iterum in eadem scelera prolabuntur: & quibus nihil prodest expiatio præcedens; quemadmodum in lege adhuc censebatur immundus, qui post purgationem cadaver denuò contrectasset.

Ad 4. Quartum, quod Donatistæ causam separationis suæ prætexebant, sic diluitur ab Augustino lib. III. contra Epist. Parmen. cap. III. num. 19. *Nunquid in agro dici potest, quid paleis ad triticum, quando eadem radice portantur? Nunquid in area, ubi pariter triturantur? Sed utique in horreo, quid paleis ad triticum?* Quo exemplo Evangelicis parabolis comprobato demonstrat S. Pater Ecclesiam hujus temporis esse bonis, malisque permixtam. Similia Augustinus repetit in Breviculo Collat. cum Donatistis cap. VIII. num. 10. Certum est Jeremiam sententiam illam protulisse, ut ipsa indicat lectio, *adversus eos, qui divinis oraculis sua somnia coæquabant:* nec fugit id Augustinum lib. IV. contra Cresconium cap. LXXXI. num. 93. Verum hæc ad unitatem potius Ecclesiæ, quàm ad præsentem disputationem.

Ad proximum respondet S. Optatus lib. VI. num. 3. contaminata esse quæ tangit pollutus, *si solus sit tactus, & non interveniat invocatio nominis Dei; nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa invocatio sanctificat & quod pollutum esse videbatur.* Augustinus autem in libro ad Donatistas post Collat. n. 31. inquit: *Spiritalem* (Aggæas) *prohibeat accessum, consensionemque factorum.* Animadvertit Hieronymus in Aggæam Tom. III. pag. 1197. immundum in anima dictum, *qui corpus hominis mortui attigerat*, juxta legem Num. XIX. 22. Ad 5.

Quod opponitur ex cap. VII. Matthæi facilem habet expeditionem, cum enim malus *verbum Dei prædicat, & Dei Sacramentum ministrat, non de suo prædicat, aut ministrat;* id est, non conficit Sacramenta tanquam arbor mala, sed tanquam Christi operarius: nec fructus baptizantium sunt baptizati, alioqui tot Optati pullulassent, quot baptizavit Optatus. Atque hæc est repsonsio Augustini lib. 2. contra Epist. Petiliani cap. VI. n. 13. Ad 6.

Ad septimum idem Augustinus primùm respondet, etiam verba impiorum exaudiri à Deo, quando ipsius instrumenta sunt, quemadmodum adimpleta fuere vaticinia Balaam, Num. XXIV. Deinde ait sententiam illam, *Peccatores Deus non audit*, esse hominis, *qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed oculi cordis nondum patebant.* Demonstrat postea, nunquam peccatorem ad bonam frugem rediturum, nisi prius à Domino exaudiatur peccator. Vide lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. VIII. num. 17. Ad 7.

Diluitur eadem responsione objectatio proxima, non enim tanquam membrum Diaboli, sed tanquam minister Christi, Sacerdos & tingit, & absolvit, & consecrat. Ad 8.

Ad IX. sunt qui per *Spiritum sanctum* accipiunt eo loci spiritale donum, ac potestatem remittendi peccata, ut Ammonius in Cat. Corderii pag. 459. nec non Theophylactus in Joannem pag. 459. Et quidem per Spiritum sanctum dari hominibus charismatum munera, & pleraque communia improbis, constat ex I. ad Corinth. XII. 8. Augustinus Tract. CXXI. in Joannem num. 4. ait utique per Spiritum sanctum remitti peccata, & Ad 9.

peccata eorum retineri, qui ejusdem Spiritus non sunt participes; at inde non consequitur scelestos ministros non absolvere, quoniam non ipsi, sed Christus communicat dona Spiritus. Similia habet Cyrillus l. XII. in Joannem pag. 1093. Tandem non sequitur, Christus elegit ministros sanctitate illos exornans, ut digne fungerentur commisso officio; igitur scelere inquinati non sunt ministri: aliud enim ad dignitatem pertinet, aliud ad potestatem: sanctitas adauget meritum ministrantium, potestas tribuit salutem suscipientibus; atque, ut Augustinus scribit contra Cresconium lib. IV. cap. 18. num. 21. *inter fidelem, perfidumque plurimum distat; non ad Sacramentum si hoc uterque habet, sed ad meritum.* Quo in loco etiam urget discrimen inter Primianum, & Felicianum, quorum alter appellatus in Synodo Donatistarum *vas sordidum, famosi criminis reus, & habens sub labiis venenum aspidum*, ideoque maculosus, immundus, sordidus, postea cum Primiano sedit Episcopus, & quos baptizaverat, nunquam postea lotos, cum cæteris Donatistis in communione comprehendit.

Corollarium. Ex quibus colliges debere sacrum ministrum esse secundum cor Dei, ne sacra tractet in sui perniciem, non autem ne Sacramentum sua careat efficientia, quandoquidem non in eo spem locat accedens ad sacra, sed in Domino; nec ille habet sacrorum mysteriorum potestatem, sed ministerium. Profecto verba Psalmistæ, *Oleum autem peccatoris, &c.* de blanda adulatione accipienda esse lectio ipsa declarat, viditque id perspicax Augustini ingenium lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. X. num. 22. lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 103. num. 237. nec non Epist. 147. ad Proculejanum, nunc XXXIII. ubi narrat de homine, quem falsæ blanditiæ faciunt arrogantem, dici, *Crevit caput.* Vide Ecclesiastem VII. 6. Hieronymus in cap. III. Aggæi pag. 1699. *oleum peccatoris* interpretatur dogmata hæreticorum, quæ illi *de veteris, & novæ scripturæ testimoniis violenter exprimunt.* Si *oleum* intelligas sacrum Chrisma; istud non est oleum peccatoris, sed Dei: de quo idem Psalmist. ps. 44. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus, &c.* Adeas Milevitanum Præsulem lib. IV. num. 7. pag. 76.

9. Objiciunt 2do Sanctos Patres. 1. Ambros. 2. Hieron.

Opp. 2. Adversantur propositioni nostræ nonnulli Patres. I. S. Ambrosius lib. de Mysteriis cap. IV. num. 23. inquit: *Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* II. Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ pag. 1671. *Sacerdotes quoque qui Eucharistiæ serviunt, & sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes* Εὐχαριστίαν *imprecantis facere verba, non vitam, & necessariam esse tantum solemnem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur: & Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.* III. Augustinus lib. 3. August. III. de Baptis. cap. 18. num. 23. de avaris Sacerdotibus inquit: *Tales tamen ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur, & cum magna tolerantiæ mercede perpetitur. Remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur. Non enim raptoribus & fæneratoribus diceret Dominus, si cui dimiseritis peccata, remittuntur illis, si cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid potest, nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit, aut solvere: sed solvitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, &c.* Et lib. V. cap. 22. num. 30. *Proinde*, inquit, *consentimus Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse, baptismum autem dare posse, quod quidem illis & dantibus & accipientibus valet ad perniciem, tanquam tanto munere Dei male utentibus: sicut etiam maligni & invidi, quos & intus esse ipse testatur, remissionem peccatorum dare non possunt, cum eos baptismum dare posse omnes fateamur.* IV. Innoc. I. ut habetur 1. q. 1. 4. Innocent. cap. 1. *Qui perfectionem*, in Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 3. inquit: *Qui perfectionem spiritus, quam acceperant, perdiderunt, non ejus dare plenitudinem possunt (quæ maxime operatur in Ordinationibus) quam per suam perfidiam perdiderunt.* V. Pelagius Papa relatus à Gratiano cap. *Schisma*, XXIV. q. 1. inquit: *Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur.* 5. Pelag.

Resp. ad 1. *Perfidorum* nomine intelligere Ambrosium eos, qui per hæresim è mystico Christi corpore sunt segregati, & qui nequeunt mundari, nisi per fidem sese ad obtinendam gratiam disponant: explicat enim ibidem baptismi virtutem comparatione piscinæ, in qua movebatur aqua propter incredulos; *quod Judæis signum erat, nobis fides.* Unde comparatione facta concludit: *Ergo & illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit.* Significat ergo Ambrosius baptismum non prodesse iis, qui oblatum fidei lumen repudiant. 10. Respondetur Ad 1.

Ad

Ad 2. Ad 2. liquet Hieronymum alludere ad etymon vocabuli *Eucharistia*, & significare quomodo Sacerdotes nefariam vitam agentes, non Deo gratias agant, sed sibi judicium, & damnationem arcessant; quemadmodum S. Doctor se explicat sententia deprompta ex Levit. XXI. 6. juxta Vers. LXX. Imo expresse ait ibidem Hieronymus istiusmodi Sacerdotes *servire Eucharistiæ, & sanguinem Domini populis ejus dividere;* quamvis dum sacra peragunt: non Deo placeant, sed ei potius insultent.

Ad 3. Ad Augustinum responderi solet cum Estio in IV. dist. 1. §. 26. non pertractare de ministerio remittendi peccata per Sacramenta, sed de alio quodam peculiari remissionis modo, per Orationes sanctorum in Ecclesiæ communione: quæ responsio aptari potest quibusdam ex præcitatis verbis à toto orationis complexu divulsis; at non videtur argumentationem penitus enervare. Cæterum Augustinus Augustinum diserte explicat. Docet enim lib. 2. adversus Cresconium, cap. XXVIII. num. 34. *Nihil prodesse homini baptismum Christi, si apud hæreticos, vel schismaticos baptizetur, eis tribuens baptismum quo baptizatur, sed tunc eis prodesse incipere, cum transit ad Corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi*, Et lib. VI. de Baptismo cap. IV. num. 6. ait malum, *sicut perniciose habet* (baptismum) *ita etiam perniciose tradere, non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, sed quia TALI tradit.* Ita legendum, non *talis*, uti legerunt Lovanienses, reluctantibus omnibus editis, & MSS. observarunt Maurini Patres. Et recte, quis enim adeo pinguis Minervæ est, ut scriptum censeat, *Malus perniciose tradit baptismum, non quia talis tradit, sed quia talis tradit*, ubi expenderit quæ sequuntur? *Nam cum malus tradit bono, id est, in unitatis vinculo, veraci conversione mutato, inter bonum Sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat.* Itaque Augustinus lib. III. cap. 18. ait à schismaticis, hæreticis, malisque ministris remissam non dari, etiamsi detur baptismus, si ad columbæ pacem, id est, ad unitatem Ecclesiæ non pertineant illi, quibus datur, quoniam remissio peccatorum *per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet* (sive bonus, sive malus) *si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur.* Ait quoque non solvi peccata ejus, *qui cum columba non habet pacem*, id est, non tenet unitatem Ecclesiæ; quoniam *solvitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem.* Valet ergo juxta Augustinum Sacramentum à quocunque ministro collatum, tametsi non tribuat remissam iis, qui nolunt Christo, & Ecclesiæ adhærere. Atque hæc responsio adeò est perspicua, & certa, ut si præcitatum caput XVIII. perlegas, de ea hæsitare non valeas. Excipitur eadem responsione testimonium alterum, quo S. P. affirmat baptizari in animarum suarum perniciem, qui male abuntuntur Dei munere, & foventes schismata *fratres à quibus diliguntur oderunt, & in ipso odio baptizantur; quibus tamen postea correctis non rursus baptismus datur, sed ipsa venia, quam tunc accipere non meruerunt, in vera conversione præstatur.* Hæc proxima periodo Augustinus.

Ad 4. Ad Innocentium respondet Estius, Sacramenta extra Ecclesiam non prodesse ad obtinendam gratiam Spiritus sancti: addunt alii, ob contemptum, si suscipiantur citra necessitatem, aut possint recipi à ministris legitimis. Eam ob rem Magnus Gregorius lib. III. Moralium cap. XXXI. Tom. 2. pag. 345. laudat Hermenegildum, qui percipere noluit è manu Ariani Episcopi *sacrilegæ consecrationis communionem.* Sapienter hæc dicta sunt: sed in cap. *Qui perfectionem voce plenitudinis*, intelligenda est tantùm executio Ordinis; nam ordinatus ab Episcopo hæretico recipit quidem Ordinis characterem, sed ejusdem Ordinis executione privatur. Ita in hunc Canonem ICC.

Ad 5. II. Objectio. 3. In Cap. *Schisma*, corpus Christi non appellatur Eucharistiæ Sacramentum, sed Ecclesia, additur siquidem è vestigio: *Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi Corpus est, constat esse Ecclesiam: quæ in duo, vel in plura dividi non potest. Simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse destitit in Ecclesia.*

Opp. 3. Qui fœdo simoniæ flagitio ad sacram Ordinationem promoventur, nullatenus recipiunt Ordinis characterem. Ergo irrita sunt & invalida Sacramenta quædam à probroso ministro confecta. Ant. probatur ex Canone V. Concilii V. Romani S. Pontificis Gregorii VII. *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu Cleri, & populi, secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet non comprobantur, infirmas & irritas esse dijudicamus.*

Vide Lupum Tom. VI. pag. 71. Extremam quoque unctionem simoniacè collatam esse nullam docuit Ugolinus de Simonia cap. 17. §. 1. num. 4.

12. Diluitur. Resp. Simoniacos ex antiqua & nova Ecclesiæ disciplina plecti condignis pœnis, quarum prima est ab Ordinis executione suspensio; eandemque pœnam confirmarunt Martinus V. sess. penult. Concilii Constant. Paulus II. in Extrav. commun. cap. *Cum detestâbile*, aliique Pontifices. Consequuntur aliæ pœnæ merito inflictæ, depositio ab ordine, excommunicatio; debitum restitutionis, exilium, vel carceri mancipatio, & infamia dedecusque perpetuum; quæ omnia commemorant Canones à Gratiano collect. 1. q. 1. & Extra. 1. *de Simonia*, Theologi omnes, sacrorumque Canonum Expositores. At validas esse Simoniacas ordinationes, quantum ad substantiam Sacramenti attinet, inde constat, quod gratis à Simoniacis ordinati, *non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ in acceptis Ordinibus permanere*, anno 1059. ante Gregorium VII. permiserat in Romano Concilio Nicolaus II. Tom. IX. Concil. pag. 1100. Itaque Gregorius declaravit ordinationes à Simoniacis factas *infirmas, & irritas*, quantum ad executionem Ordinis, non quantum ad substantiam. Verum tamen est, quod Theologi complures, animadvertentes quàm vehementer simoniæ crimen sacri canones insectentur, Gregorii VII. ætate scripserunt simoniacorum Sacerdotum sacrificia, & Sacramenta esse irrita; quam sententiam amplexus est in libro adversus Guibertum Antipapam Episcopus Lucensis Anselmus, adversantibus tamen permultis, & utrinque Scholasticis disceptantibus, donec universa Ecclesia veritatem à D. Thoma invictè propugnatam, ut ibidem docet Lupus, admisit. Quare Gregorius opinionem tunc probabilem minime definiens, & acerrime simoniacos, & intrusos compescens, simoniacas Ordinationes *infirmas & irritas* declaravit, haud exprimens an quoad substantiam, an quoad solam executionem id esset accipiendum; dummodo gradu, ad quem tanta impietate conscenderant, juxta Ecclesiasticas sanctiones dejicerentur simoniacè promoti, & reprimeretur pernicioſæ labis eluvio. Ugolinus *nullam* appellavit extremam à Simoniaco receptam, quatenus caret effectu, ut inquit Suarez de Simonia cap. 57. num. 4. & Gabalinus Q. XXIII. Consect. 1. pag. 431.

Opp. 4. Juxta pervulgatum adagium, *Nemo dat quod non habet.* Impii Sacerdotes non habent gratiam. Hanc itaque conferre nequeunt. Rursus Sacramentum est actio ministri. Igitur si actio sacrilega & immuda est; Sacramentum erit immundum. Insuper mali non habent jus administrandi Sacramenta; non ergo ratum est quod faciunt. 13. Objic. 4to. tripliciter 1. 2. 3.

Resp. ad 1. dist. mi. Sacerdotes impii non habent gratiam in se permanentem, concedo, non habent gratiam annexam signo sensibili, & divinitus instituto, nego. Aut dist. majorem, nemo dat quod non habet, si agat cum potestate primaria & proprio nomine, concedo: si agat ministerio duntaxat, & in nomine alterius, nego. Nonne medicus, quamvis infirmus, confert ægroto sanitatem, si illi porrigat efficax pharmacum? Nonne famulus reddens debitori, Domino committente, chirographum remittit debitum? S. Optatus ad proloquium illud inculcatum à Donatistis respondet lib. V. num. 7. p. 85. *Vox est de Vico collecta, non de libro lecta. Hæc verba in lege scripta non sunt: nam si (ut vultis) homo dat, Deus vacat.* 14. Respond. Ad 1.

Ad secundum dicimus actionem ministri improbi esse malam in genere moris, non in genere signi à Christo instituti, in quo propriè ratio Sacramenti consistit. Ad 2.

Ad ultimum respondemus cum Estio sæpenumero subsistere quod fit ab illis, qui non habent jus faciendi, ut matrimonium contractum ab eo, qui habet simplex continentiæ votum: quare Augustinus lib. V. de baptismo cap. XV. num. 19. ait: *Et si jus baptizandi non habuit, tamen Christi est quod dedit, & ille Christi est qui accepit. Multa enim contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur.* Hinc eruitur responsio altera; mali non habent jus administrandi Sacramenta, & administrando dant quod suum est, nego: quod Christi est, concedo. Ad 3.

Propositio II. Sacerdos lethalis culpæ sibi conscius, etsi validè Sacramenta conficiat, impiè tamen, & illicitè eadem conficit, atque administrat: quod de aliis sacrorum ministris, præsertim Diaconis, dicendum est, necnon probabiliter etiam de verbi divini concionatoribus. 15. Propos. 2. Sacerdos gravior reus, validè quidem ministrat, sed novum committit Sacrilegium: item

Proba-

alii, præsertim Diaconus, imò & Concionator.

Prob. 1ma Pars 1. ex Scripturis.

Probatur prima pars literarum sanctarum testimoniis: legimus quippe Exodi XIX. 22. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos.* Levit. XXII. 3. *In quo est immunditia, peribit coram Domino.* Ps. c. 6. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Is. LIII. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Apost. 1. ad Tim. III. 10. *Probentur primo, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Ad Titum 1. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.*

2. Ex Ecclesiæ monitis &c.

Probatur 2. Catholicæ Ecclesiæ monitis ac definitionibus. Etenim Tridentina Synodus sess. XIII. cap. 7. productis verbis Apostoli ex 1. ad Corinth. XI. 28. *Probet autem, &c.* ex Ecclesiastica consuetudine declarat, *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris? quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Idem præscribitur de Consecr. dist. 2. cap. *Sicut Judas*, & cap. *Quotidie*, nec non cap. *Qui scelerate, &c.* Catechismus Rom. p. 2. cap. 1. num. 17. ait *Sacramenta impure ministrantibus æternam perniciem & mortem afferre*: & Rituale Romanum §. 1. *Impure*, inquit, *& indignè ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt.*

3. Auctoritate Sanctorum.

Probatur tertiò auctoritate Sanctorum. Augustinus lib. XXXII. contra Faustum cap. 14. *Si quis*, (ait) *Sacramenta novi Testamenti fuerit ausus sacrilega temeritate violare, pœnas divinitus constitutas rectissimo judicio persolvet:* & lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. X. num. 22. *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Magnus Gregorius in Epistola ad Patriarchas XXIV. nunc XXV. Tom. 2. pag. 508. *Necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa insequens lutum tenet. Scriptum namque est, Mundamini qui fertis, vasa Domini.* Insuper probatur ex Romanorum Pontificum, Leonis IX. Gregorii VII. & Nicolai II. decretis, quibus provide sancitum est, ut presbyteri habentes concubinam, aut superinductam mulierem eliminentur ab Ecclesiis, exeant de sacrario, missas celebrare non audeant, nec populus recipiat ullo modo eorum officia; quæ decreta recenset, & vindicat in dissert. de Latin. Episc. & Cler. contin. cap. VII. Eximius Lupus.

4. Ratione.

Postremo probatur ratione deprompta ex Augustino lib. XIX. contra Faustum cap. 11. Contemptus enim Sacramentorum *facit sacrilegos*, quippe *violantur sacra per irreverentiam*, ut rectè probat S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 2. exemplo perforantis regale indumentum, qui censetur agere adversus regem. Atqui sceleſtus ministrator contemnit Sacramenta. Igitur est sacrilegus: & quantum est in se, Christi vestimenta confodiendo iterum gloriæ Dominum affigit cruci.

16. Huc usque dictis etiam ada Pars probata manet quoad Ministros Sacerdote inferiores.

Hæc argumenta valent de omnibus ministris etiam Sacerdote inferioribus, quamquam nonnulli eam adhibent distinctionem, ut dicant se novo scelere contaminare, qui pro administrandis Sacramentis speciali indigent consecratione: secus si administrent Sacramentum, quod consecrationem non exigat peculiarem, ut dum laici urgente necessitate baptizant. Et quidem universim Tridentina Synodus citato cap. 7. definit, *Non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè.* Et S. Thomas in IV. dist. 24. q. 1. art. 3. in solut. quæst. haud hæsitanter pronuntiat peccare mortaliter, quisquis *quod sibi competit ex ordine, facit indignè.* Hinc rigidiores quidam cum Juenin. q. v. cap. 3. art. 2. inferunt peccare lethaliter etiam inferiores ministros minoribus ordinibus initiatos, dum in peccato mortali solemni ritu officiis funguntur suis, suppositio quod etiam minores ordines sint Sacramenta, quod apud Theologos controvertitur. S. enim Thomas, inquit Juenin, dum utitur termino illo universali, *Quicunque homo quod sibi competit ex ordine facit indignè*, de singulis Ordinibus intelligitur. Verum licèt sedulo curandum sit, ut quisque sancte & inculpate proprio ministerio fungatur; attamen cum officia, quæ præstant inferiores ministri, sint imperfecta, nec tam propè accedant ad Eucharistiam, neque excedant Sacramentalia, quæ fiunt citra peccati mortalis culpam, imò aliquando exerceantur à laicis; arbitror functiones minorum Ordinum, nisi adsit summa irreverentia, & contemptus, etiam in statu

Juxta S. Thomam &c. Minoristæ peccant graviter,

Juxta Auctorem leviter,

peccati mortalis absque lethali culpa exerceri. Quod præter Toletum, Sylvium, ac Tractatores Moralium, tenent quoque Merbesius in Summa III. parte q. XV. res. 3. Farvacques quæst. VII. §. 3. aliique ad sæviora placita declinantes. De Subdiaconis gravior est controversia, de qua interim judicium suspendimus. At Diaconi, sententia quidem nostra, si exerceant indignè officium ministerii sui, sacrilegio innectuntur: quippe proximè Sacerdoti inserviunt, & de his Augustinus Epist. 148. nunc 21. num. 1. scribit, *Nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius*, quam si ab illis, aut ab Episcopis ac Presbyteris, *perfunctoriè atque adulatoriè res agatur:* additque nihil in hac vita esse *difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio.*

Diaconi verò graviter.

17. Prob. 3tia Pars de Concionatore, quòd fiat reus Sacrilegii.

Graviùs est de Sacerdote concionante dissidium. Quod reus fiat sacrilegii, si Dei verbum prædicet conscientiâ impurâ, tenent eruditi Theologi Merbesius, Farvacques, & Juenin loco paulo supra citato, nec non Cajetanus in 3. p. S. Thomæ quæst. 64. ad 1. & ex recentioribus Tournely q. VII. art. 3. concl. 2. Frassen dis. Proem. art. 3. q. 2. Boucat tom. XIII. pag. 460. prolixius autem omnibus Andreas de Saussay in Panoplia Sacerdotali p. 2. lib. IV. de munere prædicandi, art. 2. Nititur hæc opinio primum sacrarum literarum auctoritati: legitur enim in Ps. XLIX. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et Matth. XXIII. Christus insectans Pharisæorum perversitatem versu 3. inquit: *Dicunt enim, & non faciunt; alligant enim onera gravia, &c.* Lucæ etiam IV. 23. extat sacrum proloquium, *Medice, cura te ipsum:* atque de iis, qui alios corripiunt, nec se emendant, Matt. VII. 13. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Quadrat etiam in concionatorem illud Apostoli ad Rom. II. 1. *In quo judicas alterum te ipsum condemnas,* & versu 21. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis.* Facit insuper ad hanc rem quod scribit Augustinus lib. III. contra lit. Petiliani cap. LVI. num. 68. *Forma Sacramenti datur per baptismum, forma justitiæ per Evangelium*, ubi videtur non minus in baptizante, quam in concionante requirere probitatem. Atque Gregorius Magnus protulit in Pastorali præclaram sententiam istam: *Necesse est, cujus vita despicitur, ejus prædicatio contemnatur.* Id verò minimè fugit Ethnicum Philosophum scribentem Eth. X. *Dum sermones moribus dissonant, contemnuntur, & veritatem interimunt.* Addit Cajetanus rationem, quoniam sacræ conciones inter opera consecrata computantur, ac sub specie actuum Ordinis comprehenduntur. Videtur esse eadem sententia D. Thomæ in IV. dist. 19. q. 1. art. 2. in solut. quæst. 2. ad 4. & lect. 1. in cap. 6. epist. 2. ad Corinth.

18. Mens Auctoris. Concionator peccat graviter, si sit notorius, vel etiam occultus & parvipendat.

Ut tamen hæc sententia sit probabilis, vera non est, nisi concionator aut notorio crimine pollutus sit; aut si est in peccato occulto, nullatenus se ad humiliationem & pœnitentiam excitet: sed vel in aliis dedecore vitæ suæ, vel in se simulatione & hypocrisi impediat fructum sanctæ prædicationis. Cæterum si lateat scelus, nec illud dum alios arguit, in se concionator parvipendat; quamvis gratiam remissionis nondum obtinuerit, licitè habet conciones sacras; neque in hac hypothesi per se agit ne verbum Dei fructum afferat. Neque enim tunc despicit oculis suis infixam trabem, aut audacter assumit testamentum Domini per os suum cum plebis scandalo, animarumque pernicie. At si publico vitio notetur, negligatque pro sui medela remedium, quod aliis suppeditat; tunc graviter illum delinquere, incunctanter pronuntio. Nego autem ordini presbyteratus adjunctum *jure divino* munus prædicandi, quod visum Cajetano: cum id incumbat Episcopis, cæteris autem non vi ordinis, & consecrationis, sed vel ex Episcopi licentia, & mandato, vel ex adjuncto officio pastoris, animarumque regimine. Atque hac distinctione eo libentius utor, quod illam noverim à probatis Theologis adhiberi, etiam ab insigni Thomista Dominico Soto in IV. dist. 1. quæst. V. art. 6. Du Hamelio cap. V. num. 8. cæterisque quamplurimis.

Presbyter non tenetur jure divino prædicare.

CAPUT

# CAPUT XV.

## Solvuntur nonnullæ quæstiones circa improbos Sacramentorum ministros.

## *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. A quo ministro indigno extra necessitatem liceat petere Sacramenta.
3. In casu necessitatis licitè ab hæreticis & excommunicatis recipitur baptismus, & pœnitentia.
4. A proprio Parocho tolerato licet petere Sacramenta.
5. Ex justâ causa licitum est à concubinario, & excommunicato nondum denuntiato petere Sacramenta, excipitur notorius percussor clerici.
6. Quid intelligatur sub casu necessitatis, & quæ Sacramenta tunc liceat recipere
7. & 8. Afferuntur, & solvuntur objectiones.

1. Explicatur status quæstionis multiplicis.

QUæritur hoc loco, an fas sit à facinoroso ministro petere Sacramenta. Hanc autem quæstionem perspicuitatis gratia ad hunc modum distinguimus. Principio improbum & malum non dicimus, quem certis indiciis talem esse nobis non constat: sed si quem novimus prolapsum in flagitium aliquod, credimus dum sacra ministrat, patratum crimen Sacramentali confessione, vel contritione vehementi expiasse. A tali ergo ministro Sacramenta suscipere minimè dubitamus. Si autem certo nobis constet vita Sacerdotis facinorosa, dicimus observandum esse, an Sacramenta, ad quæ cogitamus accedere, sint necessitatis extremæ, qualia sunt pœnitentia & baptismus in proximo mortis periculo, an verò nulla sit necessitas istiusmodi: & insuper an Sacerdos, ad quem confugimus, sit Parochus, cui jure incumbat regimen animarum, an Sacerdos solutus à tali munere; postremò an Sacerdos ille sit excommunicationis vinculo innodatus, an degat in sinu Ecclesiæ, an se à cœtu fidelium hæresi, aut schismate segregarit.

### I.

2. Resolutio 1ma. Extra casum necessitatis non licet petere Sacramenta à Sacerdote improbo, non Parocho aut Vicario; minùs ab Excommunicato, hæretico, vel Schismatico.

Itaque priori loco affirmamus, nefas esse extra necessitatis casum Sacramenta petere ab impio Sacerdote, qui non sit parochus, aut gerat vices ejusdem, ac multo minus ab excommunicato, aut ab hæretico, sive schismatico. Probatur 1. quoniam nemo debet esse offendiculo alteri, eique præbere occasionem patrandi sacrilegium, nec etiam volenti, atque in scelus prono absque causa subministrare materiam. *Digni sunt enim morte*, inquit Apostolus ad Rom. 1. 32. *non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* II. De Simoniacis, & in crimine fornicationis jacentibus scripsit Gregorius VII. epist. 45. lib. 2. ad Rodulphum & Bertholdum, *Vos officium eorum nullatenus recipiatis*; quod, ut diximus præced. capite, aliis Ecclesiasticis definitionibus roboratum est. Nec audienda sunt quæ de Gregorio ob istiusmodi decreta scribit ad annum 1074. Sigebertus in Chronico, cum is plus æquo sectatus fuerit partes Henrici IV. hostis in divum Gregorium iniquissimi. III. De hæreticis scripserat olim Innoc. I. epist. XII. cap. 3. *Dicimus ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manuum impositionem habere caput.* Rationem vero tradit Augustinus, quoniam cum hæretici non amplius sint in domo, id est in Ecclesia, *nec utiliter Sacramenta habent, nec utiliter conferunt; quæ ut utilia sint, ab hæresi, vel schismate recedendum est, & illi domui cohærendum.* Vide lib. VII. de Baptismo cap. LII. num. 100. Adde Ecclesiam esse congregationem fidelium eadem sacramenta participantium: ideoque sacramenta extra necessitatem cum hæreticis participare idem prorsus est, ac hæresim profiteri. IV. De schismaticis aperta est sententia ejusdem Augustini scribentis lib. 1. de Baptis. cap. 2. num. 3. *Si quis autem cum possit in ipsâ catholicâ accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari: etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest; proculdubio perversus & iniquus est; & tanto perniciosius, quanto scientius.*

### II.

3. Resolutio 2da. In casu necessitatis li-

Deinde asserimus in casu necessitatis, licitè à quocunque ministro, etiam excommunicato & hæretico recipi sacramenta baptismatis, & Pœnitentiæ.

Pro-

citè à Ministro Excommunicato aut hæretico recipitur Baptismus, & Pœnitentia.

Probatur 1. ex decreto Unionis Eugenii IV. tom. XIII. Concil. pag. 535. ubi hæc leguntur: *In causa autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo &c.* II. Tridentinum Concilium sess. XIV. cap. 7. habet: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis casibus & censuris absolvere possunt.* III. Augustinus posteaquam lib. VII. de Bapt. cap. 52. scripserat inutiliter extra Ecclesiam suscipi sacramenta, excipit necessitatis casum, dicens: *Nisi forte accipiendi necessitas urgeat, & accipientis animus ab unitatis vinculo non recedat.* Diserte etiam libro 2. cap. 2. *Nam si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus; si statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi catholicum deputamus.* IV. Suffragatur manifesta ratio. Fidelis quippe non debet privari remedio summopere necessario ob ministrorum improbitatem; neque cedere debet in detrimentum suscipientium, quod est tantummodo pœna improborum ministrantium.

## III.

4. Resolutio 3tia. A proprio Parocho, dumodo toleratus sit, licet petere & recipere Sacramenta.

Tertio loco dicimus licitè à proprio Parocho, quantumvis flagitioso, dummodo toleratus sit, Sacramenta peti, ac recipi. Probatur primo, quoniam quisquis utitur jure suo, non inducit alterum in peccatum. Dum vero quis petit Sacramenta à Parocho, utitur jure suo. Igitur non inducit ipsum Parochum ad peccatum. Valet hoc argumentum, si nullus alius minister commode haberi queat. Confirmant probationem istam Theologi variis exemplis, v. g. creditoris, qui pecuniam suam licite judicio repetit, tametsi sciat debitorem pejeraturum; pauperis, qui licite petit ab avaro pecuniam, quamvis non ignoret sibi cum usuræ onere commodandam: & ejus, qui gravi impellente causa exigit juramentum ab infideli, quem novit falsa numina invocaturum in testes. II. Probatur ex cap. *Scisciantibus*, XV. q. 8. ubi Nicolaus ad consulta Bulgarorum cap. 71. respondet: *Idcirco ab eo* (id est presbytero in adulterio deprehenso) *usquequo judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est.* Et infra, *Sumite ergo intrepidi ab omni Sacerdote Christi mysteria.* Idem habetur cap. *Vestra devotio*, Extra. de cohabitatione Clericorum, & mul. Vide & constitutionem Mart. V. *Ad evitanda scandala*, innovatam etiam à Concilio Basileensi sess. XX. III. S. P. Augustinus præcit. cap. LII. libri VII. de Baptismo inquit: *Illi vero qui sic sunt in magna domo, tanquam vasa in contumeliam, & inutiliter habent baptismum, & se imitantibus inutiliter tradunt; illi porro ab eis utiliter accipiunt, qui non ipsis corde atque moribus, sed sanctæ domui copulantur.* Cum igitur ministri mali sint in sancta domo, & possint licite deponentes malitiam Sacramenta administrare, ac si Parochi sint, ad hoc munere suo teneantur, cur ab his Sacramenta petere non poterit quisquis jus habet eadem petendi?

## IV.

5. Resolutio 4ta. Si justa adsit ratio, licet suscipere Sacramenta à Ministro concubinario, Excommunicato à jure, nondum publicè denuntiato.

Insuper affirmamus etiam à ministro concubinario imo, & excommunicato à jure, si justa adsit ratio, licite suscipi Sacramenta, quotiescunque sententia à Judice denuntiata & publicata non constiterit ei sacrorum mysteriorum inhiberi dispensationem. I. Quoniam laudato cap. *Vestra devotio*, Lucius III. controversiam hanc dirimens, inquit: *Cæterum aliud crimen est notorium, aliud occultum. Notorium definitur, de quo presbyter canonice condemnatur: occultum quod adhuc ab Ecclesia toleratur. Item aliud est à talium officiis abstinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur; atque aliud, si tanquam falsa in fornicatione jacentium talia mysteria respuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod à clericis, & presbyteris, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, nec est crimen evidens, licite audiuntur divina officia, & alia recipiuntur Ecclesiastica Sacramenta.* II. De excommunicatis in prælaudata Constit. Martini V. definitur, nemini Christifidelium ab eorum communione, & Sacramentorum administratione, vel receptione abstinendum, *nisi censura, vel sententia fuerit facta contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam personam, à judice publicata, vel denuntiata specialiter expresse.* Excipit Summus Pontifex sacrilegam manuum injectionem in clericum, *quæ nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo*

Excipitur notorius percussor Clerici.

*aliquo suffragio excusari.* III. Idem constat ex cap. *Scisitantibus*, de quo supra, ut liquet ex illa particula, *usque-quo judicio Episcoporum reprobetur.*

V.

6. Resolutio 5ta. Casus necessitatis, ubi licèt Sacramenta suscipere à Ministro ab Ecclesia separato, est periculum mortis proximum: hæc tamen Sacramenta sunt tantùm Baptismus & Pœnitentia. Prob. 1ma Pars.

Asserimus denique casum necessitatis, in quo fas est à quolibet ministro ab Ecclesia segregato sacramenta suscipere, esse proximum periculum mortis, nec alia Sacramenta licite in eo casu ab hæreticis peti, aut recipi, præter duo summopere necessaria, baptismum, & pœnitentiam. Pars prima traditur ab Augustino lib. VI. de Baptismo cap. V. num. 7. ubi quærens quando baptismus salubriter accipiatur à separatis, inquit, *aliqua necessitate mortis urgentis.* Si tamen loquamur de ministro ab Ecclesia tolerato, sufficit quælibet necessitas, quæ censeatur gravis, ut constat ex præcedentibus, docentque cum Suaresio in 3. p. q. 65. art. 1. disp. XVIII. sect. 1. Theologi complures: cujusmodi necessitas est E. G. in Paschate recipiendi Eucharistiam, cum alius Sacerdos probus non adsit, qui spiritualia subsidia populo exhibeat. Altera pars constat, quoniam sine aliis Sacramentis possumus è vita discedere absque ullo æternæ salutis dispendio. Hinc diximus supra lib. 3. Dialog. cap. 31. laudari à Magno Gregorio Sanctum Hermenegildum, qui accipere noluit ab Ariano Episcopo sacrilegè consecratam Eucharistiam. Pari constantia Moyses Monachus recusavit manuum impositionem à Lucio Episcopo Ariano, ut narrat Sozomenus lib. VI. H. Ec. cap. 38. Socrates libro IV. cap. 29. ac Theodoretus lib. IV. cap. 15. Idem de Antiocho nepote Eusebii Samosatensis, qui renuit consecrari ab Arianorum Antistite Joviniano, scribit cit. lib. IV. cap. 15. Cyrensis Episcopus Theodoretus.

Prob. 2da Pars.

7. Objectiones. 1.

At non posse à quocunque ministro improbo, etiam parocho, & in casu necessitatis, peti, aut recipi Sacramenta, suadere videntur objectiones istiusmodi. Prima est: Qui à tali Sacramenta petit, illi est scandalo, eique præbet spiritualis ruinæ occasionem: ac propterea lædit charitatem. Afficit quoque gravi injuria Sacramentum, quod sinit irreverenter, manibusque sacrilegis contrectari.

2.

Consimilis est quæ sequitur: Est impium & illicitum malo alterius cooperari, ut initio diximus cum Apostolo. Cooperatur autem ministrantis sacrilegio, qui sumit ab ejus manibus divina symbola.

3.

Tertia parum absimilis: Qui petit Sacramenta à facinoroso, ipsum inducit in peccatum. Id verò scelestissimum est, ac iniquissimum.

4.

Quarta: Pro vita temporali proximorum tenemur aliquando vacare ab operibus pietatis, V. G. sacrum omittere, ut non deseramus periclitantem infirmum. Igitur tenemur multo magis à Sacramentis abstinere, quamvis id fieret cum propriæ utilitatis dispendio, ut avertamus spirituale damnum à sacris ministris.

5.

Proxima ejusdemque generis: Spirituale bonum cæterorum propriæ utilitati præferendum est.

6.

Postrema: Eadem est parochi, & alterius sacrilegi ministri ratio, præsertim si paratus sit ad ministrandum, & quod ille agit ex officio, iste sponte exequatur; utrobique enim sacer minister sacrilega functione polluitur. Si ergo nefas est Sacramenta recipere extra necessitatis casum à facinoroso Sacerdote non parocho, ea neque à parocho sceleribus contaminato erunt suscipienda.

8. Respondetur ad 1.

Resp. ad 1. scandalum, & occasionem spiritualis ruinæ non dari à petente Sacramenta, qui utitur jure suo, si petat à parocho; sed esse scandalum ab ipso acceptum, qui voluntaria perversitate sancta mysteria indigne contrectat. Quotiescunque enim aliquis æquum postulat, rei autem, quam petit annexum est crimen non suapte natura, sed ex voluntaria malitia alterius, non est scandalum impiè oblatum, sed perversè acceptum; ut constat productis exemplis eorum, qui ab iniquo fœneratore flagitant urgente causa pecuniam, aut juramentum exigunt ab infideli. Petunt enim quod suapte natura æquum est, & habent jus petendi: crimen verò conjunctum actioni opus est alterius inique reddentis quod juste petitur. Ob eam rem qui utitur jure suo non lædit charitatem, non cooperatur per se & directe alterius culpæ, nec ministrantem in peccatum inducit.

Ad 2. & 3. Ad 4.

Atque his diluitur etiam secunda & tertia objectio. At ad quartam dicimus latum esse discrimen inter improbum ministrum, & hominem ægrotantem; ille enim voluntate sua im-

probus est, hic autem succumbit naturali imbecillitati: ille habet in suo arbitrio delinquentis animi medicinam, iste quærit ab altero ægrotantis corporis adjumenta: illius denique morbus malitia est, hujus autem naturalis conditio.

Ad 5. Ad quintam eadem, ac ad primam, valet responsio: siquidem spirituale damnum nullatenus intenditur à petente spiritualia subsidia; & si quid labis est in horum dispensatione, id pendet à ministrantis malitia.

Ad 6. Ad postremam dicimus Parochum teneri ex officio ad Sacramenta gregi suo administranda, & ab illo hæc jure peti; quod non tenet de Sacerdotibus aliis. Si tamen hi parati sint ad administrationem Sacramentorum, ad quam ex officio non adstringuntur, licitè ab his Sacramenta recipi, scribunt nonnulli cum Hadriano quæst. 3. de Baptismo, quoniam tunc recipiens non inducit petendo ad sacrilegam actionem, sed ad hanc improbi Sacerdotes sese perversa voluntate determinant; ut in exemplis allatis. Verum eadem exempla, lex charitatis, & exhibenda sacris mysteriis reverentia postulant, ut si adsint ministrantes alii, nec urgeat necessitas, etiamsi ministri improbi præstò sint, utamur ministerio aliorum; ut docent Cajetanus, Soto, Suarez, & alii, quibus subscribimus.

# CAPUT XVI.

## De intentione Ministri.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Intentio alia interna, alia externa.
3. Error hæreticorum.
4. Usque ad 9. quidnam senserit Catharinus?
9. Non requiritur in Ministro, ut credat actionem suam esse sacram.
10. Usque ad 17. probatur, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.
17. Usque ad 27. enodantur hæreticorum argumenta.
27. Usque ad 35. Probatur contra Catharinum, & ejus defensores, nullum & irritum esse Sacramentum, si in ministro sit sola intentio faciendi ritum externum &c.
35. Usque ad 46. copiosæ objectiones dispelluntur
46. Ad valorem Sacramenti non requiritur, ut minister intendat effectum, vel credat expresè ritum esse sacrum.

1. Status quæstionis. HAud levem, nec parvi momenti disputationem aggredimur, de necessaria in Sacramentis conficiendis ministrantium intentione: probitatis namque defectus reddit eos tantum sacrilegos; at si intentio desit, nullum, irritumque redditur Sacramentum. Neque cum hæreticis solis ineunda est disceptatio; verum etiam cum Orthodoxis nonnullis eruditionis ornatu, nominisque celebritate conspicuis, domesticis quoque, nobisque etiam singulari benevolentia conjunctis: at veritatis amor inter probos, honestosque in ipso opinionum conflictu non dissidia parit, sed vinculo tenaciori constringit necessitudinem. Exponendum est autem primò quid sit intentio, tum discrepantes sententiæ recitandæ sunt, pugnandum postea adversus heterodoxos, demum cum adversariis reliquis congrediendum.

2. Intentio alia Interna, alia Externa. *Intentionis* nomine nihil aliud hoc loco intelligimus, nisi voluntatis propositum, ac deliberationem, qua rem aliquam peragere volumus. Quamvis hæc deliberatio, utpote ex animo proficiscens, semper interior sit; eam tamen ob externam actionem, qua se prodit, *externam* aliquando appellamus. Externa hæc intentio forinsecus per actionem manifestata, aut sincera est, & tunc quod opere exercetur, intenditur animo: aut est simulata, & tunc aliud completur opere, aliud in cogitatione versatur. In hac præterea simulatione vel actio exercetur seriò, ut nemo latentem animum introspiciat, ut si hypocrita ostentet devotionem, atque pietatem: vel mimicè & irrisoriè, ita, ut quisque irridentis animum deprehendat, veluti dum histriones agunt in theatro personam regis, aut dum crucifixores Domini genu flexo ei illudebant, dicentes: *Ave Rex Judæorum.* Profectò fieri nequit, ut hæc exterior simulatio, sive seriò peragatur, sive irrisoriè, ab intentione interna, ac proposito animi non procedat: qui enim simulat, nisi vesanus sit, & absque ratione ac libertate operetur, ut

ut pica vel simia, vult simulare; & qui irridet, vult irridere. Internam igitur intentionem, ut distinguatur ab externa, non possumus aliam percipere, nisi sinceram illam, per quam operans non tantùm seriò exercet externum actum, verum etiam interno proposito vult agere quod exercet. Externam verò intentionem dicimus, quæ conjuncta est cum simulatione vel occulta & latente, ut in hypocrita, vel patente & externa, ut in irrisore vel mimo.

3. Hæretici volunt valere Sacramentum, collatum cum simulatione, & irrisione, & sic sine omni intentione. Radix hujus error est, ut salvent solam suscipientis fidem.

Est ergo sententia hæreticorum, valere Sacramentum non solum cum simulatione collatum, verùm etiam cum irrisione & subsannatione, & si fieri posset, absque ulla ministrantium deliberatione ac proposito, puta si baptizaret, aut consecraret demens, vel ebrius. Radix hujus perversæ assertionis est, quia in sententia Novatorum justificat sola fides suscipientium, & ideo quomodocunque exhibeantur signa excitantia fidem, ea suscipiens, si credat, eaque inspiciat tanquam oppignorationem & sigillum promissionum divinarum, adipiscitur justificantis gratiæ beneficia. Non male hac in parte in Hist. Concilii Tridentini Paulus Sarpi lib. 11. pag. 275. scribit, *Lutheranorum non valde interesse, an vera Sacramenta percipiant, quod nullam aliam virtutem iis adscribant, quam excitandi fidem, quæ alia quoque ratione posset excitari, ideo asserere Sacramenta non esse necessaria, nec concedere malitiam impii ministri posse nocere, quando illi animus non est Sacramenta vere conferendi, cum ad id respiciendum sit quod fidelis recipit, non quod à ministro ei donatur.* Nec solus id asserit sublestæ fidei scriptor Polanus: eadem confirmat apud Pallavicinum lib. IX. cap. VI. num. 3. noster Seripandus. Hinc Lutherus in lib. de Captivit. Babilonica rationem proferens cur intentio ministri non requiratur, *Non enim*, inquit, *in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato.* Similia scribunt Calvinus in Antidot. Concilii Trid. sess. VII. can. 11. Kemnitius in Exam. ejusdem canonis, & Novatores alii: & quanquam Kemnitius ibidem videatur execrari lusum, & mimicam subsannationem, in quantum est sacrorum mysteriorum profanatio; idem tamen Novatorum omnium sensus est, ludificationem & irrisionem non officere Sacramentorum virtuti, quoniam eorum singulis altè insidet pestilentissimum dogma, quo asserunt pendere virtutem illam à fide suscipientium, non ab intentione ministrantium. Atque adversus hanc sententiam Ecclesiæ anathemate reprobatam pugnant Catholici omnes efficaciam gratiæ Sacramentis attribuentes.

4. Quidam cum Catharino volunt sufficere solum ritum externum, etiam cum intentione contraria Ecclesiæ.

At nonnulli, quorum princeps est Catharinus, Ordinis Prædicatorum insignis Theologus, Minorensis primùm, deinde Compsensis Præsul, verentes ne si dicatur ex prava intentione ministri posse irritari Sacramentum, quod ad producendam gratiam efficax est, & sine quo rarissime occurrit ut homines justificentur, consequatur ab insigni hypocrita & incredulo, fovente in animo intentionem aliud omnino faciendi quàm quod facit Ecclesia, nec baptizari puerulos, nec Eucharistiam consecrari, nec impendi pœnitentibus absolutionem; ad incommoda hæc evitanda affirmavêre, nihil obesse Sacramentorum virtuti, si minister occulta mente gerat intentionem Ecclesiæ contrariam, & intendat animo irrisoriè sacramenta conficere, dummodo intendat facere externum ritum, id est, adhibere materiam & verba proferre, & dummodo exterius seriò, omnique semoto joco se gerat. Ita Catharini sententiam explicat strenuus illius vindex Hyacinthus Serry in Op. de intentione ministri cap. V. pag. 29. ejusque perpolitus & eruditus affinis de Re Sacramentaria lib. 1. q. 6. cap. 3. sect. 2. In hac sententia Catharinus, etiamsi contendat valere Sacramentum, dum minister fovet animo oppositam voluntatem, qua intendit derisoriè illud peragere, nec vult sacrum esse quod facit; necessarium tamen agnoscit deliberatum animum, sive intentionem ponendi actum illum externum; quippe, ut prænuimus, nemo, nisi sit pica, vel fungus, facit quod facere non intendat: quare ipsemet Catharinus in Opusculo de intent. minist. inquit: *Quid ergo facit Ecclesia per ministros baptizando? nisi quod legitima utitur materia adhibens suam verborum formam, hoc igitur si facit minister, profecto illud facere intendit, si sit mente sanus. Quis enim vigilans faciat aliquid, quod facere non intendat?* Ita Catharinus profitetur se adstruere necessitatem intentionis faciendi quod facit Ecclesia, nec recedere à definitione Synodi Tridentinæ hanc intentionem adversus hæreticos præscribentis.

Catharinus nolens volens admittit intentionem.

5. Scriptores opinionem Catharini referendo plurimùm dissentiunt.

Non eadem est de sententia Catharini Scriptorum opinio. Arbitrantur quidam Theologum illum ratum habuisse Sacramentum, quod fit cum intentione illa externa celebrandi Ecclesiæ ritum, etiamsi non intendat ministrans effectum baptismi spiritualem, eósque irrideat, qui existimant ritum illum esse religiosum & sacrum; nusquam tamen docuisse validum esse Sacramentum, quod perficitur per simulationem externam, aut etiam internam, qua minister retineat propositum animi sui, & intendat externum ritum fingere ac simulare. Enim verò, inquiunt, diserte Catharinus se explicat scribens: *Non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum baptismi spiritualem effectum.* Et quanquam Catharinus videatur asserere ratum Sacramentum, quod perficitur per internam irrisionem, *irrisionis* nomine, inquiunt, non significat intentionem, qua minister vult simulare actionem, quam exterius perficit; sed intentionem, qua non intendit effectum Sacramenti, nec Sacramentum ipsum, ut rem sacram, ac religiosam, sive *formaliter* ut Sacramentum. Ac sententia Catharini sic à Vasquesio in 3. partem disp. 138. num. 20. explicata, tolerabilis est, ac parum distat à communi; eamque moderatione ista adhibita propugnat Honoratus Tournely Quæst. VII. de Sacram. in genere, art. 1. concl. 2. pag. edit. Ven. 154.

Testibus Vasquesio & Tournelio docuit, ratum esse Sacramentum, modò minister non fingat ritum externum. Sic videtur tolerabilis.

6. Econtra alii, præsertim Vindices & fautores Catharini perhibent, hunc docuisse, ratum esse Sacramentum, quamvis perficiatur irrisione interna, & minister intendat fingere ritum externum.

At qui in partes Catharini descenderunt, eumque vindicandi suscepere provinciam, præsertim duo superius commemorati Dominicanæ familiæ viri celebres, & qui ante istos in hoc argumento stilum exercuit Vincentius Contensonius dissert. 2. de Sacram. pag. 159. ita intentionem externam propugnarunt, ut ratum Sacramentum illud dixerint, in quo ministrans seriò adhibens externum ritum, habet in animo contrariam voluntatem Sacramenti penitus irritandi, sive etiamsi apud se decernat dicens, *Nolo baptizare, nolo consecrare, nolo absolvere, nolo facere hunc ritum ut sacrum, nolo esse Sacramentum;* sive etiam si interius suam intentionem retineat, geratque in animo voluntatem omnino contrariam, modò occulta sit, nulloque externo signo se prodat. Atque hæc est sententia expressa etiam nostri Farvacquesii cap. VI. de Sacramentis in genere, q. 3. Florentii de Cocq. Tract. VII. sect. 3. Du Hamelii disser. 11. cap. 4. Gasparis Juenin quæst. VI. cap. 2. art. 3. ne commemorem Joannem Mariam Scribonium, Alphonsum Salmeronem, & superioris ætatis quosdam alios. Profectò in horum sententia Sacramentum ratum est, quamvis perficiatur interna irrisione, & ministrans decernat in animo fingere ac simulare: quod, ni fallor, distat plurimum à sententia Catharini, prout exponitur à Vasquesio, & Tournelio, ut ex dictis conjicitur. Ego tamen quisnam horum melius Catharini mentem scrutatus fuerit, nec definire audeo, nec disputare existimo necessarium; tametsi ex ipso Catharino suaderi posset illum consentire vindicibus suis, ac postremæ sententiæ assertoribus. Postquam enim in Opusculo de intentione pag. Rom. edit. 205. definiit talem requiri in ministro intentionem, *ut intendat facere quod Christus & Ecclesia facit, etiamsi ipse nihil credat fieri*, quibus verbis à communi sententia nulla ratione discedit; proponit quæstionem, quam illo opusculo aggreditur, satis ne sit, ut completum dici possit baptismi Sacramentum, *si minister omnia exterius faciat, quæ jubet Ecclesia, intus autem aliud servet in animo, ita ut intendat derisorie baptizare.* Quibus sanè verbis non solum affirmat consistere Sacramentum cum mala fide ministri nihil credentis fieri, quod paulo supra rectè statuerat, verum etiam significat institui à se disputationem de ministro, in quo præter malam fidem de Ecclesiæ Sacramentis eorumque effectu, sit etiam simulatio, derisio, & contraria animi deliberatio. Dum etiam pag. 208. ait se probare duntaxat necessitatem intentionis illius, quæ ab externo ritu separari non potest, & qua *impossibile est eum qui ex industria lavat puerum, non habere intentionem lavandi si lavat*, videtur asserere, quod non officiat Sacramentorum validitati quælibet intentio contraria, quæ cum externa administratione serio peracta componi queat, ideoque nec propositum illud simulandi & fingendi, quod non se prodat exterius: istud namque potest simul esse cum externa functione, ac ludibrio, quod non se prodat forinsecus. Ex quo duo, me quidem judice, consequuntur: unum Catharini placitum haud satis accurate à Tournelio exponi, & perperam emolliri; alterum quæstionem hanc non esse parvi momenti, & puram putam logo-

logomachiam, ut juniores quidam autumant, ea ducti ratione ab ipso Catharino deprompta, quod nemo sui compos facit externum opus, ni velit facere: potest quippe contingere, ut minister adhibeat materiam, & formam tali externo habitu, ut nemo deprehendat latentem perfidiam, qua sic statuat in animo, *nolo baptizare*, sitque in extrinseco opere actionis honestas, in corde autem jocularis ludificatio.

7. Sic relatus Catharinus censuratur à quibusdam Theologis.

Sententia hæc ad mentem auctoris exposita notatur à quibusdam acerbâ censurâ. De illa Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 27. hæc habet: *Quæ opinio non video quid differat à sententia Kemnitii & aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus in fine opusculi subjicit se Apostolicæ Sedi, & Concilio, illi autem rident utrumque.* Joannes Cardinalis de Lugo disp. VIII. de Sacram. Sect. 2. ait rejici illam ab omnibus Theologis, *& ab errore damnato non multum distare.* Franciscus Sylvius in 3. p. q. 64. art. 8. tametsi non meminit Catharini, statuit thesin illi contrariam, *non sufficit intentio operis externi*, cum hoc titulo, *Conclusio*, 11. *etiam ad fidem pertinens.* Ipse Tournelius, *si qui sint inter nostros Theologos* (inquit) *qui Catharini & Salmeronis mentem aliter interpretentur, ac existiment satis esse ad veritatem Sacramenti, quod minister serio exterius ritum Ecclesiæ observet, tametsi interius nolit illum reipsa facere, sed tantum simulare ac fingere, eos rejicimus, eorumque sententiam ab errore Novatorum damnato vix distare arbitramur.*

8. Auctor abstinet à censura, ob varias ratio-

Nobis autem ab hujusmodi judicio abstinendum omnino est, donec accedat expressa Sedis Apostolicæ definitio. Sunt enim plura, quæ ab istiusmodi criminatione nos removent, inter quæ principem tenet locum tenuis nostra in Theologorum consessibus auctoritas. Accedunt adversariorum nomen percelebre, & Opera eruditionis plenissima, quæ si in hac parte ab omnibus non probantur, non tamen fuerunt hactenus supremo judicio castigata & proscripta. Serrius præterea scribit pag. 33. sententiam hanc anno 1649. Romæ publicè propugnatam à Zacharia Pasqualigo in sacra morali Doctrina disp. 72. sect. 4. ac pag. 109. etiam jurejurando testatur sibi Consultores, ac Præsules primæ notæ, cum anno 1690. Alexander VIII. damnaret propositionem, de qua infra, num. XXXI. semel iterumque affirmavisse ea propositione contineri aliud longe à Catharini systemate. Addimus judicium Pallavicini scribentis lib. IX. Hist. Concil. Trid. cap. 6. *Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam: quapropter fas illi fuit affirmare eam Concilio non contradicere: quippe duos eximios scriptores Ordinis sui sequebatur, Petrum Paludanum, qui propensum animum in eam opinionem præsetulit, & Sylvestrum Prieratem, cui pariter post Florentinam Synodum probata est.* Observat quoque Eminentissimus Scriptor non deesse, qui eandem opinationem adscribant Divo Thomæ: quod postea conati sunt data opera confirmare, Contensonius, Farvacques, Serry, Juenin, Le-Druin. Duo præterea sunt in ipsa dissertatione Catharini satis obvia, quæ manifestant ipsius à Novatoribus discrepantiam, videlicet, quod Catharinus admittit necessitatem intentionis faciendi ritum externum, Hæretici totum justificationis negotium tribuentes fidei, frustraneam putant qualemcunque ministri deliberationem; & quod Hæretici probent etiam Sacramentum externa subsannatione collatum, Catharinus verò id apertissime neget. Quare Catharini sententia nihil affinitatis habere cum damnato dogmate Novatorum evidenter convincitur: & si nos aliquando conabimur contrarium ostendere, attendenda erit vis ratiocinationis, non censorii judicii severitas, & acrimonia. Etsi autem ab omni animadversione judiciique censura abstinemus; indubitatum est Catharini sententiam, ut propugnatur à prælaudatis Scriptoribus, male hac ætate audire, adversam communi approbatione teneri, theses solam intentionem externi ritus adstruentes, non solum per Ordinarios locorum, verum etiam per Romanos censores, ac Præsules dispungi, & cum hoc labente anno 1741. die 7. Aprilis quidam in Archigymnasio Romano in solutione objectorum ad art. 8. quæst. LXIV. 3. p. D. Thomæ eadem opinatione uteretur, commotis Præsidibus, coactum in ipso actu Doctoralis laureæ capessendæ ad communem receptamque confugere. Pro hac verò, quoniam illustriores adversarios nuper recensui, ex medii ævi Theologis legi poterunt Bellarminus, & de Lugo citato loco, Vasquesius, & Suarez in præcitatum art. D. Thomæ, Gonet Tom. v. disp. 6. art. 2. Salmanticenses disp. VII. de Sacram. dub. 2. §. 2. Merbesius in Summa p. III. q. 13. & Fridericus Gavardi Tom. VI. quæst. v.

art. 2. Hi namque non solùm de intentione singillatim pertractant, verùm etiam data opera oppugnant Catharini systema. Eandem provinciam ex proximioribus ætati nostræ susceperunt Claudius Frassen Art. 3. q. 4. Antonius Boucat Tract. XI. art. 6. cap. 2. Ludovicus Habert de Sacram. in gen. cap. 13. Auctor Theologiæ Moralis ad usum Semin. Petrocorensis Tract. 1. de Sacram. cap. v. Card. Gotti Tom. XIII. quæst. VII. dub. 4. Franc. Henno disp. IV. q. 2. & ex nostratibus Leonardus Vanroy Tom. IV. Tract. 1. cap. 4. q. 4. & Aurelius Piette Tom. V. quæst. 4. cap. 5. necnon alii, à quibus recensendis supersedeo.

9. Non requiritur in Ministro, ut credat actionem suam esse sacram &c.

His ego adhærens prænotandum censeo Theologorum neminem requirere, ut Sacramentorum minister credat actionem, quam peragit esse revera sacram, ac multo minus ut credat ea actione infundi gratiam, & remitti peccata. Si enim istiusmodi intentio foret necessaria, nunquam Pagani, & qui Sacramentorum virtutem aut ignorant, aut negant, validè baptizarent. Fides ergo ab intentione sedulò est distinguenda. Fieri enim potest, ut quis intendat sacrum administrari lavacrum, quomodo Christus instituit, & quomodo fit in Christi Ecclesia; nec tamen putet hoc lavacro deleri noxam originariam, ut non putat sectator Pelagii, imo nec existimet Christum esse Deum, & esse humani generis reparatorem, ut Arianus & Socinianus, necnon arbitretur Romanam Ecclesiam servare impiam superstitionem, quemadmodum Calvini, & Lutheri gregarius: atque in hac hypothesi, quoniam licèt desit fides, adest intentio, & quidem intentio faciendi quod facit Ecclesia Christi, ratum est Sacramentum. Contingere deinde potest, ut sive credat minister, sive non credat, tanta præditus sit animi perversitate, ut intendat fingere ac simulare, ac celebrare tantum externam sacri lavacri functionem: idque etiam eveniet, aut externam hanc functionem simulando mimicè, & nota omnibus ludificatione, quo in casu valere baptismum affirmat solus hæreticus; vel simulatione occulta, & contraria voluntate latente; in qua hypothesi irritum esse Sacramentum existimamus. At nunc controversiæ statu prolixe exposito, tribus assertionibus id, quod proposuimus, expediemus.

10. Propositio I.

Propositio I. Ut Sacramentum ratum sit, necessaria est intentio Ministri, qua non irrisoriè & mimicè operetur, sed revera proponat in animo facere quod facit Ecclesia.

Ut valeat Sacramentum Minister debet intendere, facere quod facit Ecclesia.

Assertio hæc principio demonstratur Ecclesiæ definitionibus. Ac primò Concilium Constantiense celebratum anno 1418. intentionis necessitatem supponit, dum sess. 45. & ult. Martini V. Constitut. præscribit, ut de hæresi Wicleſi suspectus specialiter interrogètur, *utrum credat quod malus Sacerdos, cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè absolvat, verè baptizet, & verè conferat alia Sacramenta.* Florentina Synodus, & Eugenius IV. in decreto Unionis anno 1439. communem ac veterem Ecclesiæ sententiam proponendo declarârunt Sacramenta omnia tribus perfici, *videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramenta cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Leo Decimus anno 1520. in Bulla edita adversus errores Lutheri, proscripsit cum cæteris articulum 12. *si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus.* Concilium Tridentinum anno 1547. sess. VII. canone 11. approbans Eugenii IV. & Florentinæ Synodi statuta, *si quis dixerit* (inquit) *in ministris dum sacramenta conficiunt & conferunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sess. etiam XIV. cap. 6. & canone 9. damnat expressè præcitatum Lutheri assertum. Concilium Bituricense anno 1554. doctrinam de Sacramentis juxta Eugenii decretum, & Tridentinas sanctiones exposuit: quod præstiterunt deinceps Synodi quæque, Catecheses, Moralis Theologiæ institutiones, & universorum Theologorum lucubrationes.

Prob. 1. Ex definitionibus Ecclesiæ.

11. Prob. 2. Ex Traditione.

Confirmatur Catholica veritas traditione: quamvis enim veteres non adeò apertè de hac intentione locuti sint, quod nullus illam tam audaci temeritate negaret; Eugenius tamen IV. non doctrinam incompertam, atque nuper adinventam docuit Armenos, sed fidem orthodoxam & Apostolicam, neque oscitanter & perfunctoriè, sed ut idem Pontifex in procemio testatur, *multis adhibitis disputationibus, collocutionibus, & tractatibus; postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis*

*sanctis Ecclesiæ patribus, & doctoribus deducta sunt, & earum de quibus agebatur rerum discussionem.* Est autem inviolatæ traditionis argumentum, ut vidimus lib. XXIII. cap. 5. quod tenet universalis Ecclesia, nec invenitur quando primum fuerit promulgatum atque institutum. Existimat quoque Sylvius hujus traditionis vestigium occurrere in Auctore sermonis de Cœna Domini inter Opera Cypriani pag. XCVI. Append. ubi de Euch. ejusque consecratione legitur: *Quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix benedictionis solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens.* Quo in loco Sylvius *fidei* nomine contendit intelligendam esse *intentionem.* Videtur tamen de proficua, non de valida Eucharistiæ benedictione ac sumptione loqui Scriptorem istum, atque hoc testimonio non adeo invicte retundi perfidiam hæreticorum.

12. Prob. 3. per rationes ex novo testamento ductas.

Ad hanc frangendam deserviunt præterea novi testamenti loca quædam. Unus depromitur ex Joannis XX. ubi legimus, *quorum remiseritis peccata, &c.* quæ verba demonstrant Christum Apostolis suis dedisse potestatem absolvendi à peccatis. Unde Theologi ratiocinantur: Christus non solum instituit Sacramenta, verum etiam illorum potestatem tribuit discipulis. At potestas non est in iis rebus, quæ deliberatione, ac proposito carent, sed in causis liberis cum ratione, atque intentione operantibus. Si ergo Ecclesiæ ministri potestatem habent conferendi Sacramenta, vel ea denegandi, etsi non habeant potestatem conferendi gratiam, ut cum Augustino dictum est supra; non conferunt eadem Sacramenta, nisi agant libere, & adhibeant deliberationem animique propositum. Eruitur illinc probatio altera; si enim judex absque ulla deliberatione proferat sententiam, aut dormitans & mente alienus, aut manifesta irrisione, & ironicè, nulla profectò est absolutio. Atqui in Sacramento pœnitentiæ minister judex est. Si ergo agat absque deliberatione animique proposito, minimè absolvit. Petitus locus alter ex Epistola prima ad Corinth. cap. IV. 1. ubi Apostolus ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quis autem dixerit dispensatorem atque ministrum, non seriò, sed ludicrè, & citra judicium, mentisque propositum operantem? Quis dixerit se gerere ut ministrum Regis hominem illum, qui histrionis indutus veste, aut in theatro insaniens, aut inter pocula ludens Principis nomine dispenset munera, & jura pacis bellique subsannatione pronuntiet? Revincitur itaque divinis quoque testimoniis hæreticorum inscitia.

13. Prob 4. Ex historia Ecclesiastica.

Refellitur insuper monimentis Ecclesiasticæ Historiæ. Firmilianus enim Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, qui obiit apud Tharsum Ciliciæ anno 272. in Epistola inter Cyprianicas LXXV. pag. 306. falsam suam de iterando hæreticorum baptismate opinationem confirmare nitebatur ex quo nemine Catholicorum renitente nullum fuerit baptisma collatum à muliere nequissimo spiritu exagitatâ, quamvis usitata & legitima verba ad deceptionem fidelium usurpasset. Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, quem Hieronymus de Script. Eccl. appellat Flavianum, irritam ac nullam declarat ordinationem in Episcopum Novati, quod *homines simplicioris ingenii, temulentos & crapula oppressos, adumbrata quadam & inani manuum impositione, episcopatum sibi tradere per vim coegerit.* Scripta est Cornelii Epistola circa annum 250 ac de ea Eusebius lib. VI. H. E. cap. 43. pag. edit. Vales. 241. Baronius ad an. 255. num. 24. Lab. Tom. 1. Conc. pag. 674. Anno quoque 936. damnata est in quadam Romana Synodo inter cætera Joannis XII. flagitiosa ordinatio Diaconi in stabulo equorum derisoriè peracta. Doctissimus P. Le-Quien probat irritam ordinationem Matthæi Parkeri, qui anno 1559. invasit Archiepiscopatum Cantuariensem, eoquod in Londinensi taberna, clanculum & umbratili ceremonia fuerit ordinatus. Et quamquam Godvvinus in Comment. de Præsulibus Angliæ pag. 218. Parkeri consecrationem peractam asserat in Capella palatii Archiepiscopalis Lamethensis, fatetur tamen oppositum narrare Hardingum, Fitz-simonsium, aliosque, nec Parkerum consecratum negat *ritu in Ecclesia* Protestantium *recepto.* Sed de hac gravi controversia loco opportuniori.

14. Prob. 5. Ex Jure Canon.

Præterea demonstratur propositio argumentis ex Jure Canonico promptis. Primò enim Innoc. III. cap. *Majores*, de Baptismo, 3. definit, illum, *qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem percipere Sacramenti:* unde patet requiri intentionem ex parte suscipientis baptismum; ideo-

ideoque Scholastica methodo ita ratiocinamur: Nemo adultus suscipit Sacramentum, nisi intendat illud suscipere: igitur nemo Sacramentum confert, nisi intendat illud conferre, exhibeatque assensum saltem interpretativum. Item cap. *sicut tua*, de Sponsal. decernitur, nullum in foro interiori esse Matrimonium, *in quo defuit contrahentium consensus*.

15. Prob. 6. Per rationes theologicas.

Accedunt probationes Theologicæ: quarum prima est: quod Sacramentorum administratio, ut decet eorum sanctitatem atque institutionem, actu peragi debeat humano, ideoque requirit intentionem, sine qua actus humanus nunquam exercetur: qua argumentatione utuntur in IV. dist. VI. Scotus, Gabriel, Alexander Alensis, omnesque illis posteriores. Altera est ratio in 3. p. q. 64. art. 8. à D. Thoma producta, & ab omnibus recepta; quoniam quod est natura sua indifferens ad plura, debet per aliquod determinari. At baptismi lavacrum suapte natura indifferens est, ut sit ablutio ludicra aut seria, sacra aut profana. Itaque voluntate, aut intentione ministrantium debet determinari. Neque enim istiusmodi determinatio haberi potest per solam prolationem verborum; siquidem ipsa verba, quibus Sacramenta perficiuntur diversos usus, ac sensus habere possunt, E. G. *Baptizo*, potest significare naturalem ablutionem corporis, & mysticam, sacramque lotionem; ideoque ipsa verba per intentionem agentis debent ad unum determinari. Probatio tertia, eaque communis est, Ministros Sacramentorum esse quidem Christi instrumenta, sed non mortua, ac vitâ & ratione destituta, ut serra, malleus, & alia artificum adminicula. Instrumenta viventia sunt, & quidem libera, ac prædita sensu & ratione. At Instrumenta hujus generis ita à causa principe moventur, ut eadem quoque moveant se ipsa. In conficiendis itaque Sacramentis ministri debent se intentione & consilio ad agendum movere. Quod urgere possent hæretici de verbi prædicatione, in qua ministri instrumenta Christi sunt, nec tamen ad verbi efficaciam ulla requiritur deliberatio prædicantis, id paulo post expedietur.

16. Ultimò per absurda sententiæ adversæ.

Denique corroboratur Catholica propositio absurdis è contraria sententia fluentibus. Nisi enim ad Sacramenti valorem necessaria esset ministri deliberatio, Pater ducens puerum ad balneum ob solam munditiam aut sanitatem corporis, si dum illum immergit, more Christiano, & invocato Trinitatis nomine eundem tingeret, Deum invocans ut bene ei cederet corporalis ablutio, nihil verò cogitans de baptismo; infans revera baptizatus esset. Idem contingeret, si in prætereuntem catechumenum stultus è fenestra profunderet ad hominem irrigandum lagenam aquæ, joco pronuntians baptismi formam. Sacerdos item mensæ assidens, atque; ut fit in Monachorum conventu, perlegens Evangelium, dum pronuntiaret quæ de institutione cœnæ ibidem scripta sunt consecraret panes omnes appositos, vinumque in phialas profusum. Si quis etiam conducens ancillam, ea annuente diceret, *accipio te in meam*, subintelligendo *famulam*, non *uxorem*, eandem duxisset in conjugem. Contingeret idem in theatro, dum soluti mimice celebrant matrimonia. At de his legendus Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 6. cap. 13. necnon Bellarminus lib. 1. cap. 27.

### Ad objecta Haereticorum.

17. Objicitur imò factum S. Athanasii adhuc pueri.

Opp. 1. Liquet, ex Ecclesiastica Historia, probatum fuisse ab Alexandro Episcopo Alexandriæ baptismum à D. Athanasio adhuc puero, & prope litus maris pueriles lusus exercente, pueruli aliis cathecumenis, ac nondum initiatis collatum. Nec dici potest functionem illam Athanasium serio animo, consilioque perfeciſſe, aut tum temporis juvenem fuisse, atque adultum ætate. Socrates enim lib. 1. cap. XV. pag. edit. Valesii 44. refert ex Rufino *admodum fuisse puerum, cum pueris æqualibus lusisse, hunc lusum fuisse imitationem Collegii sacrorum virorum, atque Athanasium ludo Episcopi dignitatem sortitum, alios Presbyteri & Diaconi partes*. Quæ si lusus non sunt, quid sit lusus ignoro. Probasse autem Alexandrum collatum à puero Athanasio baptismum narrat Sozomenus pag. ejusdem edit. 466. lib. 2. cap. 17. & Nicephorus lib. VIII. pag. 44. pag. 635.

2. Pueri hebræi.

Ipse Nicephorus lib. III. cap. XXXVII. pag. 277. narrat ævo suo contigisse, ut quidam pueri per ludum hebræum pariter puerum ad mare stantem baptizarent, pro cereo eum armantes tenui ligno, factoque ei imaginario amictu ex discissa extremæ vestis textura. Atque hæc pariter ceremonia à Constantinopolitano Præsule fuit appro[illegible]ata.

Ad-

3. Genesii. Addunt decantatum Genesii baptismum, ei collatum circa annum 286. dum quadam die vellet Diocletiano Imperatori ludum exhibere de Christianæ observantiæ mysteriis. Et quamquam Genesii factum in dubium revocent Critici; de eo dubitare non sinunt genuina Acta Martyrum a Ruinartio collecta, pag. Veron. edit 236.

4. Dioscori. Addunt nonnulli exemplum Dioscori cujusdam Architheatri, qui baptismum suscepit in theatro tota nugacitate ludens, sacrisque mysteriis sacrilegè insultans, ut colligitur ex Epistola Augustini 227. olim 67. ad Alipium.

18. Responsio ad factum Athanasii triplex. Resp. nihil præsidii ex hisce historiis accedere heterodoxis. Ad Athanasium enim quod attinet, respondent quidam Alexandrum non fuisse inauguratum Episcopum Alexandrinum, nisi anno 321. ex Hieronymo in Chronico. Cumque Athanasius anno 325. jam consecratus Diaconus, & doctrinæ fama percelebris interfuerit Nicænæ Synodo, imò proximo anno 326. loco Alexandri jam vitâ functi ad Sedem Alexandrinam fuerit evectus; consequitur ipsum Athanasium initio Episcopatus Alexandri non fuisse puerum, sed adultum ætate; ideoque historiam hanc haberi ab eruditis pro puro putoque commento. Nos grandi quidem suspicione historiam istam laborare fatemur, sed miramur viros multæ eruditionis Chronicon Hieronymianum obtrudere. Quamquam enim eo in Chronico dicatur Alexander Ecclesiæ Alexandrinæ ordinatus Episcopus anno 1. Olympiadis 275. & Constantini xv. qui annus concurrit cum anno Christi 321. & cum sequenti 322. ut liquet ex edit. Scaligeri pag. 181. imo juxta editionem Auberti Miræi prædicta ordinatio non contigerit ante annum 324. inauguratio autem Athanasii anno 333. est nihilominus vera sententia eorum, qui scribunt Alexandrum renuntiatum Episcopum anno 313. ut docent Pagius ad an. 311. num 25. & PP. Mauro-Benedictini in Vita Ath. pag. 11. Etenim S. Petrus Alexandrinus ex Eusebio in fine lib. v. 11. H. E. pag. 290. capite truncatus est *anno persecutionis nono*, id est 311. die 25. Novembris. At Ecclesia Alexandrina post martyrium Petri anno uno vidua permansit: inauguratus post annum Alexandrinus Præsul Achillas, qui mensibus duntaxat quinque supervixit; actum electus Alexander, ex Gelasio Cyziceno lib. 2. Hist. Conc. Nic. cap.

11. Potuit ergo Athanasius anno 313. ac primo Episcopatus Alexandri esse *admodum puer, ac impuber*, ut ex Rufino narrant Socrates, ac Sozomenus. Agebat tamen eo temporis Athanasius annum ætatis suæ duodevigesimum, quoniam consecratus est Episcopus anno 326. jam annorum saltem triginta, ex communi fere consensu: nunquam enim ei ab Arianis objectum legimus, quod junior arripuisset Episcopatum, ut de Pauliniano Hieronymi fratre narratur; ac propterea Athanasium natum circa annum 296. rectè affirmant recentiores. Revera itaque factum Athanasii laborat suspicione. Si gratis admittatur, dico Alexandrum, qui sanè tali non erat ingenio, ut tam seria in re ludum puerorum ratum haberet, accitos ad se adolescentulos, eorumque perspecta indole, *putasse ex eo quod gestum fuerat aliquid singulis prænuntiari;* undè jussit pueros educari in Ecclesia, & literarum studiis erudiri, ac præcipue Athanasium. Hæc Socrates, nihil habens de probato ab Alexandro baptismate. Si istud approbatum contendas, dico Rufinum primum hujus historiæ Scriptorem narrare Alexandrum diligenti puerorum interrogatione comperisse, quomodo illi *omnia secundum religionis nostræ ritum* servassent: & licet omnia recreationis animo & puerilis oblectationis causa fecissent, habuisse tamen intentionem faciendi, *quæ per episcopum in Ecclesiis geri mos erat.* Quapropter prænuntiatus baptismus dicitur *per ludum* peractus comparatè ad pueriles oblectationes, & ad assumptam ab Athanasio dignitatem Episcopi, non comparatè ad ejus intentionem Catechumenos baptizandi.

19. Ad 2 seu puerum hebræum. Factum alterum ejusdem naturæ est; etenim Nicephorus ait puerum illum hebræum principio non fuisse invitum, & baptismo initiatum cum cæteris templum ingressum accepisse divinum munus. Constantinopolitanus antistes re per diligentem inquisitionem cognita pueros, etiam Judæum, ad se venire compulit, isto autem interrogato, decrevit, *ut etiam in illo quod deesset juxta mysterii executionem compleretur.* Ita Historicus: quorum verborum duplex sensus esse potest, decrevit ut baptizaretur, quia jam annuerat; aut, decrevit ut confirmaretur; quia pueri veram intentionem habuerant, tametsi tanquam finem ludum sibi, atque oblectationem proposuissent.

20. Ad 3. seu Genesium variè.

Ad Genesium quod attinet, ejus quoque baptismum critici accensent fabulis. I. ob Scriptorum in facto narrando dissonantiam; nam Ado Viennensis ait Genesium baptizatum a Christiano Sacerdote in scenam inducto: alii baptizatum tradunt ab altero mimo; alii denique ab Angelo. II. ob istiusmodi narrationum ineptias; inverisimile quippe est Sacerdotem Christianum mimi rogatu conscendisse theatrum ac ludentibus operam suam locavisse; nec minus est inverisimile, angelum inter scenicos ludos exercuisse histrioniam, aut mimum admonuisse, ut serio baptizaret Genesium; cum potius admonendus esset, ut à re sacra in theatro facienda abstineret. Hæc critici. Verum ex præcitatis Actis martyrum Ruinartii constat Genesium repente Deo inspirante credidisse, & *evocato presbytero & exorcista* baptizatum, completisque Sacramentorum mysteriis veluti per ludum raptum a militibus, & exhibitum Diocletiano, cum verè profiteretur Christianam fidem, fustibus cæsum, & a Plautiniano præfecto decollatum. Si evocatum dixeris presbyterum & exorcistam in medium theatri, dico appellari *presbyterum & exorcistam*, qui mimicè horum induerant personam: quis enim evocasset ad sacrorum mysteriorum irrisionem imbutos Christi fide ministros? At in eo casu affirmo Genesium non illa ablutione, sed fide, ac martyrio consecutum fuisse salutem. Si evocatos arbitraris ministros sacros, sive mala intentione tyranni, ut percipierent qua irrisione mysteria agerentur nostra, sive ab ipso Genesio, extra theatri locum profecto; quid tali in casu desideretur intentionis, non video. Ex æquivoco illo *presbyteri* vocabulo factum puto, ut quidam à mimo, quidam a sacerdote baptizatum Genesium existimaverint. Prudentissime in Romano Martyrologio repentina Genesii conversio, ac martyrium describitur die 25. Augusti, silentio missis baptismi ministris. Tenuit eundem stylum Baronius ad annum CCCIII. num. 118. quamvis incaute Pagius ad hunc annum, num. x. scribat Baronium in Annal. de hoc Genesio nullum prorsus habere verbum.

21. Ad 4. seu Dioscorum.

Dioscorus, de quo Augustinus epist. 221., non *Architheater*, erat sed *Archiater*, ut legendum ex mss. melioris notæ observarunt PP. S. Mauri. Est autem Archiater idem, ac Protomedicus. *Archiatros*, aut *Archiater* apud JCC. usitatissimum nomen est, ut liquet ex l. 9. & 10. *de Profess. & medic.* lib. 10. C. & l. 8. 12. 13. eodem tit. in Cod. Theodos. & l. unic. *de comitib. Archiat.* in eodem Cod. *Architheatrum* ego quidem nuspiam hactenus legi. Nec Dioscorus mimice baptizatus est, sed voto se obligaverat Christianum fore, si ægrotantem filiam salvam videret; quod autem voverat, accepto beneficio dissimulabat exsolvere: quare excelsa Dei manu repentina primum cæcitate, deinde paralysi percussus omnem depositi nugacitatem, ac factus fidelis consecutus est gratiam. Sed lege hujus conversionis narratorem disertissimum Augustinum.

22. Objectio secunda.

Opp. 2. Joannes Chrysostomus hom. LXXXV. in Joannem pag. edit. Com. 444. ait: *Neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his, quæ a Deo data sunt, efficiunt; sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.* Comparat etiam ibidem Chrysostomus sacerdotem impium asinæ Balaam, per quam locutus est Dominus; eademque similitudine utuntur alii Patres, maxime epist. 37. lib. 2. Isidorus Pelusiota.

2. II. De Consecrat. dist. 4. cap. *Baptismus*, habentur hæc verba desumpta ex Augustino Tract. v. in Joan. num. 18. *Non timeo adulterum, non ebrium, non homicidam; sed columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat.*

3. III. Idem Augustinus lib. VII. de Baptismate cap. 53. num. 102. probat baptismum *cum simulatione & fallaciter* collatum: dubitatque utrum approbandus foret, *si totum ludicre, & mimice & joculariter ageretur.* Quis autem intentionem esse affirmaverit in eo, qui præbet solummodo linguam ac dexteram? quis intentionem excogitaverit in asina Balaami? quis intentionem adesse dixerit in homine opus aliquod peragente fallaciter, mimice, joculariter? Decretis itaque Patrum consonat hæreticorum assertum.

23. Resp. ad 1.

Resp. ad 1. scopum Chrysostomi esse demonstrare sacra ministrantium improbitatem non impedire virtutem Sacramentorum: *Quidquid enim* (inquit) *habet Sacerdos, foliis Dei donum est.* Consulto tamen ait, *Præbet linguam*, ne quis arbitretur, se gerere omnino brutorum instar, nec sine deliberatione proferre verba. Comparatio itaque asinæ Balaami eò tendit, ut commonstret, unde sint Dei munera, non ut excludat sacrorum ministrorum officia. In eadem homilia æquiparat.

Chry-

Chrysostomus Sacerdotes ministris Principum, *inter quos sunt multi deteriores*; & nihilominus *ob reverentiam principis, qui eos proposuit, subditi nihil quales sint cogitant.* Hinc infert non esse vitam Sacerdotum à populis dijudicandam; at ex eadem comparatione infertur, nulla esse illorum mysteria non humano more peracta; quemadmodum nulla sunt mandata ministrorum principis, facta in somniis, aut cum ludicra simulatione. Idem scopus erat Isidoro; qui eo loci, *rescribendum*, inquit, *quam celerrime duxi, nimirum, quod is qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba Sacerdotis vita nullo damno afficitur.*

Ad 2. Quod opponitur secundo loco, nihil probat. In emendatis enim Decreti editionibus, ut in Romana anni 1582. in Lugdunensi an. 1717. in Rom. altera anni 1726. cap. *Baptismus*, non habet *ebrium*, sed *ebriosum*, atque ita legitur in Augustino: Glossa quoque decreti ibidem, *consuetudinem*, inquit, *notat hoc nomen, non actum.* Cum vitiosa autem consuetudine minime pugnat intentio, animique propositum.

Ad 3. At illud quod sequitur nescio qua fronte ab hæreticis opponatur, cum eo in loco S. Pater scribat progrediendum non esse aliqua temeritate sententiæ, ubi non est aliqua determinatio plenarii Concilii, & universalis Ecclesiæ consensio, adstruatque Sacramentorum efficaciam, & baptismi validitatem independenter à fide; cum tamen Novatores adversus generalium Synodorum decreta audeant intentionem explodere, omnemque vim Sacramenti statuant in fide suscipientium. Deinde quantum ad fallaciam atque simulationem, dicimus Augustinum interpretandum de simulatione fidei & unitatis Ecclesiæ, non de simulatione intentionis, ut dicam proxima positione. Quantum vero ad actionem ludicram & mimicam; primo Augustinus nihil definit, & ait implorandum esse *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus.* Atque judicium istud modo per Ecclesiæ catholicæ oraculum prodiit. Præterea S. Pater præcedenti num. quæstionem his verbis proposuerat, *an acceptandum sit* (baptisma) *quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat*: ubi supponit intentionem in ministro, in suscipiente tantum ludicram irrisionem; quo in casu si mimus commotus accipiat, ut diximus de Genesio, & narratur de Ardaleone, ratum esse Sacramentum ultro concedimus.

Opp. 3. Innocentius IV. scribens in III. Decretal. cap. *Si quis puerum*, de Baptismo, pag. edit. Francof. 455. 2. ait: *Non est necesse, quod baptizans sciat quid sit Ecclesia, quid baptizatus, & unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est.* 24. Objectio 3tia.

Respondent qui sententiam Catharini propugnant, Innocentium IV. excludere tantum necessitatem intentionis internæ, quoniam immediate sequitur, *dummodo baptizare intendat.* At non eget Innocentius interprete. Statim enim hæc subjicit: *Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus, vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, & dicat, Baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, id est, ut baptismum operetur quidquid operari potest, & ipse baptizans tanquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizaret.* En aperte Innocentius declarat, quod Saracenus baptizans, si non intendat conferre, quod conferunt alii baptizantes, Sacramentum non conficit. Requirit ergo intentionem internam; & quando ait ratum esse baptismum, etiamsi baptizans non intendat facere quod facit Ecclesia, imo contrarium gerat in mente; non est accipiendus de intentione conferendi baptismum, sed de intentione effectus baptismi, scilicet etiamsi non intendat, *ut baptismus operetur quidquid operari potest.* Adde Commentaria Innocentii fuisse edita Lugduni, cum erat privatus doctor, nec fuisse prædicta verba juris decretis adscripta, nec unquam inserta cap. *Si quis puerum*, etsi oppositum contra omnium exemplarium fidem scribat nuperus Auctor de Re Sacram. pag. 102. Imo Hyacinthus Serry, cujus omnia argumenta prædictus Auctor in hac quæst. accurate collegit, & illustravit, de ministri int. pag. 19. scribit: *In primis ea Innocentii IV. sententia, quævis tandem illa sit, privati doctoris est, non Romani Pontificis, nec in Juris Canonici partem venit.* Nec prætereundum est quod initio operis sui monet ipsemet Innocentius, non omnia, quæ scripsit, Solutio.

in scholis esse tradenda, sed studio *Cameræ* pro discussionibus & diffinitionibus causarum reservanda. Cætetum cum Innocentius fuerit *lumen limpidissimum decretorum*, quemadmodum eum appellat in suo Opere de nobilit. legum cap. 9. Florentinus Colucius; quisquis illum adierit, percipiet illico, num ejus sententia talis sit, quæ *subterfugio possit eludi*, ut scribit memoratus, doctissimusque sententiæ Catharini patronus. At de hac sententia postmodum.

25. Obiiciunt 4. hæretici sex rationes.

Opp. 4. Hæreticorum opinio Theologicis quoque ratiociniis corroboratur. I. Si, ut Sacramentum ratum sit, pendet ab intentione, quisnam justificationis suæ certus erit, & gravi timore non macerabitur, cum nulli fas sit introspicere consilium, atque intentionem latitantem in animo ministrantium? II. Docent Catholici Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato:* nequit ergo intentione ministri impediri illorum efficientia. III. Sacerdotes sunt dispensatores non solum Sacramentorum, sed etiam divini verbi. At ad efficientiam verbi non requiritur ulla intentio; igitur; nec requiritur intentio ad validitatem Sacramentorum. IV. Non requiritur intentio in dispensatione Eucharistiæ: ergo neque in consecratione. V. Elementum, si ei verba accedant, absque ulla ministrantium intentione est signum sensibile; & consequenter est Sacramentum. VI. Regis orator, ac minister officium explet suum per solam literarum exhibitionem: ergo & Sacerdos qui fungitur *legatione pro Christo*, ministerium suum adimplet per solam exhibitionem divinorum symbolorum.

2. 3. 4. 5. 6.

26. Responsio Ad 1.

Resp. ad 1. execrari nos dogma hæreticorum de certitudine gratiæ, refutatum lib. XIV. cap. ult. ac memoria repetere monitum Apostoli ad Philip. 11. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Nimiam vero animi nostri anxietatem temperamus intuitu Divinæ misericordiæ, & passionis Christi, observatione præceptorum, & cura partes nostras implendi. Ita gradiendum esse contendimus, nec declinando ad dexteram inani fiducia, nec ad sinistram impia desperatione, sacris eloquiis edocti, pravum tenere iter superbia tumidos, & negligentia torpentes.

Ad 2.

Quod proxime sequitur, eluditur facillime; fatemur siquidem Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato*, sed negamus fieri istiusmodi opus absque intentione ministri; quoniam ex indifferenti materia ac forma nequit absque applicatione agentis opus aliquod perfici.

Ad 3.

Ad alterum respondemus inter ministrum verbi, & ministrum Sacramentorum latam esse disparitatem; verborum enim efficacia in sacris concionibus sita est in sola significatione verbis indita, neque effectum sortiuntur alium, nisi excitandi animum audientium ad fidem, ad contritionem, ad alias virtutes christianas; & ideo quomodocunque proferantur, habere possunt sibi propriam efficientiam, quoniam absque intentione proferentis idem significant. At verba, quibus Sacramentum conficitur, *practica* sunt, & præter significationem habent insuper efficientiam aliam, & gratiam producunt; cumque verba istiusmodi, ut liquet in absolutione Judicis, aut in Edicto Regis, nulla sint, quando pronuntiantur absque libertate & consilio, sit in exemplo, à Judice temulento, à Rege somniante, idcirco verba Sacramentum constituentia proferri debent actu humano, animique proposito.

Ad 4.

In quarta etiam objectione dispar ratio deprehenditur; nam dispensare est exhibere symbola; conficere autem Sacramentum est symbola per applicationem verborum humano actu peractam efficacia reddere & consecrare.

Ad 5.

Proximum argumentum expeditum est, modò repetamus, Sacramenta non esse signa invisibilis gratiæ *speculativa*, sed *practica;* nam signa istiusmodi non tam prolatione verborum, quam animi intentione perficiuntur.

Ad 6.

Objectio postrema diluitur facta ministrorum Principis distinctione. Quibusdam enim imponitur solum præceptum exponendi principis voluntatem, ut est nuntius, qui tantum nuntiat, & fisco prodit, de quo l. 1. §. ult. D. de jure fisc. legatus, qui pro Republica perorat, ut inquit Servius in 2. Aeneid., orator propterea dictus; præco, qui Senatus consulta pandit, aut publice legit, à præcinendo appellatus: atque hi ministri, dummodo nuntient, orent, clament, officio funguntur suo. Alii cum mandato principis habent potestatem, & jurisdictionem aliquam conjunctam, ut Judex, qui accepta potestate jus dicit, & finit, juxta Varronem lib. v. de lingua Lat. Prætor, Proconsul, Vicarius, Præfectus, Magister Populi, Dictator, aliique plurimi; & isti in proferenda sententia debent causam cognoscere, & operari cum intentione. Quis enim probaret sententiam judicis dormientis; Quis præfecto, aut prætori confecto crapula obtemperaret? Quis insanientis præsulis faceret imperata? Ministris suis Deum potestatem contulisse demon-

monstratum est supra; ideoque non sunt de illo genere ministrorum, qui mandata tantum promulgant, sed de genere eorum, qui utentes ratione, & consilio, sententiis verbisque suis tribuunt stabilimentum ac firmitudinem.

27. Propositio 2. Nullum est Sacramentum, si in Ministro sit sola intentio faciendi ritum externum, cum deliberatione non faciendi rem sacram, licèt non concurrat externa irrisio.

PROPOSITIO II. Si in Ministro sit sola intentio faciendi ritum externum, geratque ille in animo suo latentem deliberationem non faciendi rem sacram, ut fieri solet in Christi Ecclesia, etiamsi materiam adhibeat, & formam proferat, nec contraria deliberatio aliqua externa irrisione se prodat, nullum erit & irritum Sacramentum.

Prob. 1. Per rationem ex Conciliis.

Probatur 1. Sacrosancta Concilia, ut diximus præcedenti propositione, præter materiam & formam, ad perficiendum Sacramentum necessariam requirunt *intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.* Igitur præter positionem externi ritus exigunt interioris animi deliberationem diversam à deliberatione exercendi ipsum ritum externum. Probatur consequentia; ut enim scribit Catharinus intentio ponendi ritum externum ab actu, quo servatur Ecclesiæ forma, inseparabilis est. *Quis enim vigilans facit aliquid, quod facere non intendat?* inquit pag. 208. idem Catharinus. Concilia autem præter observationem ritus, & pronuntiationem formæ, requirunt expresse intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ait enim Eugenius in Istr. Arm. Tom. XIII. Conc. pag. 535. *In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.* Itaque Concilia præter intentionem à celebratione externi ritus inseparabilem, necessariam existimant intentionem internam, & peragendi rem sacram, quæ ab externo ritu sejungi potest.

Respondent 1. Adversarii & Vindices Catharini ex Contensonio,

Respondent 1. adversarii cum Contensonio pag. 187. decipi sententiæ nostræ assertores sophistica æquivocatione, & confundere id quod facit Ecclesia cum eo quod intendit Ecclesia; Ecclesiam peragere ritum externum sacrum in certa materia, & forma; intendere autem sanctificationem hominum, ad quam sacra signa fuere instituta. Qui ergo externum peragit ritum, habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, etsi non intendat facere quod intendit Ecclesia. Revera inquit præclarus Vindex Catharini pag. 87. *Si quis diceret, à Tridentina Synodo definitum est requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia; sed Ecclesia facit ritum externum, ut deleatur originale peccatum, ergo necessaria est intentio delendi peccatum originale*; teneretne istiusmodi illatio? Nequaquam. Aliud ergo requiritur ad rectitudinem intentionis, aliud ad perfectionem Sacramenti: ad illam necessaria est intentio operis; ad istam vero intentio effectus, ut præclare Doctor Angelicus in IV. dist. VI. q. I. quæstiunc. 2. ad 1. Similia eruditus Auctor Operis de Re Sacram. pag. 112.

Sed facilè expediuntur.

Verum hæc mihi homini pinguis Minervæ nullatenus satisfaciunt. Principio enim Ecclesia non facit ritum externum utcunque, atque ut in scholis loquimur, *materialiter*, sed ritum externum religiosum ac sacrum. Sacramentum enim, etiam *ut Sacramentum*, non fit à solo Deo, sed à ministris Ecclesiæ operantibus nomine principalis auctoris Christi Jesu, alioqui non se gererent tanquam Dei ministri. Si ergo fatentibus adversariis requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia; tametsi non requiratur intentio producendi effectum Sacramentorum, attamen erit necessaria intentio faciendi rem ut divinam & sacram, non duntaxat ut exteriorem ceremoniam. II. Quotiescunque intenditur aliquid, quod virtute sua producit effectum, non est necessaria explicita intentio ejusdem effectus, sed est tamen necessaria (si actus humanus sit) intentio ponendi causam, ex qua idem effectus producitur; quemadmodum si medicamentum aliquod, inquiunt Salmanticenses, ad sanitatem præstandam efficax sit, necessum non est, ut sanetur ægrotus, medicum velle sanare; at necessarium est tamen, ut faciat exhibeatque medicamentum. Porro Sacramenta sunt signa efficacia gratiæ, eamque producunt suapte virtute, non ut signa cujusque generis, sed ut signa sacra & divina: atque juxta sacrorum Conciliorum definitionem perficiuntur intentione ministri. Itaque in ministro requiritur intentio faciendi Sacramentum ut aliquod divinum, sacrumque signum, quamvis necessaria non sit intentio producendi gratiam, quam virtute sua Sacramenta tanquam signa sacra producunt. III. Eadem est laudato in loco Angelici Præceptoris sententia; inquit enim: *Quamvis in Sacramento requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia; non tamen requiritur, quasi de necessitate Sacramenti facere quod facit Ecclesia propter*

*quod facit Ecclesia.* Quid ista, quæso, ad Catharini sententiam? Planissimus sensus est, Ecclesia facit rem sacram, eamque facit propter delenda peccata; & in ministro requiritur intentio faciendi rem sacram, idque necessarium est ad perficiendum Sacramentum; quamvis necessaria non sit intentio delendi peccata, quod non ad Sacramentum pertinet, sed ad rectitudinem intentionis. Et quamvis D. Thomæ verba satis perspicua sint, majorem tamen habent lucem, si conferantur cum iis, quæ habet 3. p. q. 64. art. 10. ubi objicit sibi illud idem, quod nobis opponunt Adversarii, dicens: *Videtur quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ: sed intentio Ecclesiæ semper est recta: ergo de necessitate ad Sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.* Huic autem objectioni ita respondet: *Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesiæ intentio recta est, & quantum ad Sacramenti perfectionem, & quantum ad Sacramenti usum: sed prima rectitudo perficit Sacramentum, secunda operatur ad meritum; & ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesiæ quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem Sacramentum, sed non sibi ad meritum.* Ad perfectionem ergo Sacramenti, idem S. Thomas requirit, ut minister conformet se rectitudini Ecclesiæ intendentis perficere *Sacramentum*, licèt necessarium non sit, ut se conformet Ecclesiæ intendenti quoque Sacramentorum effectum, id est remissionem peccati.

28. Prob. 2. ex Trident.

At progrediamur ad alteram thesis confirmationem. Tridentina Synodus sess. XIV. cap. VI. definit non perfici Sacramentum Pœnitentiæ, *si Sacerdoti animus serio agendi, & verè absolvendi desit.* Hoc sane in loco duo requirit in Sacerdote Synodus Oecumenica, videlicet, *animum serio agendi*, &, *animum verè absolvendi.* Per animum vero *serio agendi* nequit sancta Synodus intelligere aliud, quàm intentionem peragendi serio ritum externum. Per intentionem ergo *verè absolvendi* intelligit intentionem aliquam diversam ab intentione peragendi serio ritum externum. Hæc autem intentio quænam erit, nisi intentio faciendi *Sacramentum, ut Sacramentum*?

Reponunt Vindices Catharini,

Respondet Contensonius pag. 213. hoc argumento sententiam suam confirmari: etenim, inquit, sententia judicis sedentis pro tribunali serio prolata habetur ut valida, quidquid judex interius intendat ac moliatur. Idem ergo judicium ferendum erit de Sacerdote absolvente. P. Serry pag. 90. & Auctor Operis de Re Sacram. pag. 112. inquiunt, non id à Concilio definitum, ut Sacerdos debeat intendere remissionem peccatorum, inde enim sequeretur requiri intentionem producendi effectum; sed à Tridentino confixum esse errorem Lutheri omnem efficaciam tribuentis fidei suscipientium, & asserentis ratum Sacramentum etiam mimicè collatum, datamque joco absolutionem; & consequenter nihil aliud à sacrosancta Synodo præscribi, quam formæ absolutionis rectam pronuntiationem. Adhibet idem responsum Caspar Juenin cit. art. 3. §. 1. quod confirmat verbis, quæ ibidem à Concilio subjiciuntur: *Is esset salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose absolventem cognosceret, & non alium serio agentem requireret.*

Contenso-nius & Serry,

Quamquam tamen hæc tanta confidentia reponant, ut scribant futilem esse argumentationem nostram, asserantque nos prava canonis intelligentia aut fallere, aut falli; utinam non ipsi potius fallantur, quos ab animo fallendi arbitror esse alienos. I. Enimvero quod respondet Contensonius, judicio clarissimorum Theologorum absurdum est, errorisque plenissimum. Doctrina quippe est ineluctabilis nullum actum judicialem esse validum in foro conscientiæ, si fiat absque interno consensu; tametsi in externo foro validus reputetur. Quid ergo habet similis comparationis valor sententiæ absolventis in foro fori cum valore sententiæ absolventis etiam in foro interno? In externo foro absolutio est valida, si serio proferatur sententia à Judice; nulla est si proferatur ludicre & mimice. In foro igitur interiori valida erit, si sit interior deliberatio absolvendi; irrita ac nulla, si desit. II. Confixum à Tridentino errorem Lutheri, ultro fateor: sed quod spectat ad absolutionem joco datam, proscriptum est hæreticum dogma illis verbis, *si Sacerdoti desit animus seriò agendi*; sequentibus autem aliquid aliud portenditur. Quid istud sit, videor mihi percipere ex ipso capite Tridentini, ubi definit absolutionem Sacerdotis *non esse solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, qui ab ipso velut à judice sententia*

Sed Refutantur multis rationibus.

*tentia pronuntiatur.* Duo ergo asserebat Lutherus, unum, valere Sacramentum etiam collatum mimice; alterum, Sacerdotem non exercere actum aliquem judicialem, sed tantum declarare remissa esse peccata; uterque namque error fluit ex impuro illo fonte nefarii dogmatis, fidei duntaxat sanctificandi vim adscribentis. Itaque Concilium declarans nullum Sacramentum Pœnitentiæ, *si Sacerdoti desit animus serio agendi*, damnat errorem Lutheri affirmantis Sacerdotem etiam jocose absolvere, & requirit intentionem serio peragendi ritum externum: dum verò addit, *si desit animus verè absolvendi*, damnat dogma Lutheri asserentis Sacerdotem non habere judicis auctoritatem, neque absolvere, sed tantum declarare remissa esse peccata; ideoque sancta Synodus præter intentionem illam externam, quæ sita est in seria pronuntiatione formæ absolutionis, exigit intentionem *vere absolvendi*, sive intentionem internam exercendi actum judicialem. III. Revera si desit interior animus absolvendi, non exercetur actus judicialis in foro interno: aliud quippe est velle exteriùs proferre verba, aliud est velle revera absolvere, & exercere in foro interiori actum judicialem. Si ergo Sacerdos velit exteriùs pronuntiare verba, interiùs autem dicat, *Nolo absolvere;* quo pacto actum judicialem exercebit, & verè absolvet? Nec nos proinde adstruimus necessitatem intentionis *explicitæ* remittendi peccata; sed necessitatem intentionis internæ conficiendi cum prolatione formæ absolutionis, & applicationis ejusdem ad actus pœnitentis, verum ac proprium Sacramentum, cujus virtute remittuntur peccata; ut explicatum est paulo supra. IV. Etiamsi Tridentina Synodus hoc unum definisset, ratum non esse Sacramentum joco collatum; nescio quodnam effugium hinc eruerent Vindices Catharini. Non solùm enim videtur Concilium damnare irrisionem, quæ se prodat exterius, ut autumant adversarii, sed qualemcunque irrisionem etiam internam; primò, quia absolutè inquit, *si desit animus serio agendi:* deinde, quia licet Lutherus eo arrogantiæ devenerit, ut dixerit ratum Sacramentum mimicè, & externo joco peractum; cæteri tamen Novatores emollientes Lutheranum deliramentum affirmavere non officere Sacramentis *subsannationem internam;* ut liquet ex Calvino in Antidoto Concil. Trid. ad can. XI. sessionis VII. & ex Kemnitio in Examine ejusdem canonis: postremo quia apud Deum non minus subsannator est qui irridet animo, quam sit qui ludit fictione externa; ac juxta doctrinam Catholicam *animus serio agendi* non requiritur ad excitandam fidem sono verborum, sed ad conficiendam rem sacram actu humano, consilioque rationis. Ergo Sacramento officit quoque subsannatio tantùm interna. At qui intus in corde suo statuit, *Nolo consecrare, nolo absolvere*, nonne intus simulat, nonne intus actionem sacram subsannat? Itaque non habet intentionem & animum serio agendi. V. Postremò qui in corde suo ita statuit, *Nolo baptizare, nolo absolvere*, statuit quoque in corde suo simulare externo ritu quod facit Ecclesia. Qui autem statuit simulare, quod facit Ecclesia, non habet intentionem istud serio agendi. Igitur non habet intentionem serio agendi, qui ita in corde suo decernit, *Nolo baptizare, nolo absolvere.*

Prob. propositio etiam sacris literis thesi præcedenti productis, ex quibus liquet Sacerdotes esse ministros Christi, & tales, quibus collata est conficiendi Sacramenta potestas, ut legitur Joan. XX 23. & in priori Ep. ad Corinth. IV. 1. Tales profecto ministri debent agere Christi nomine, debent exercere in aliquo Sacramento actum judicialem, debent consecrare subjectam materiam. Id verò cum sola intentione externi ritus quomodò consistat, profectò non video. Non ergo sufficiens est hæc tantum intentio. Minorem probo; quoniam opus peractum cum nuda intentione ritus externi est indifferens ut sit peractum nomine Christi, aut nomine alterius cujuspiam, præsertim quando nullum Dei, aut Christi nomen in forma Sacramentali pronuntiatur, ut in Eucharistica panis consecratione: est præterea indifferens ut sit opus sacrum, aut profanum, uti ostendam infra; est denique indifferens ut sit actus judicialis exercitus tantùm in foro externo, an in foro externo & interno. Si ergo in Sacramentis conficiendis necessaria est intentio, qua Sacramentum perficiatur nomine Christi, qua conficiatur res sacra, qua exerceatur judicialis actus; sufficiens non erit ad Sacramentum perficiendum nuda intentio ritus externi. 29. Prob. 3. Ex sacris literis.

Resp. Hyacinthus Serry pag. 134. aliud requiri ad validam Sacramentorum dispensationem, aliud ad religiosam, & piam. Ad primum sat est, si seriò pru- Respondet Serry & confugit ad ratrem Le-Droin,

prudenterque id velit homo minister, quod uti sacrum est institutum à Christo: ad alterum necessarium insuper est, ut quod fidelibus administrat, tale velit esse, quod Christus instituit; & ratio decretoria est, quia non habent ritus illi à ministrantium ingenio, quod sacri sint, quod Sacramentales sint, sed à Christo institutore, legislatore, atque magistro. At Pater Le-Droin pag. 99. non solum eadem reponit, verùm etiam probatione nostra sententiam communit suam, quoniam solus Deus in celebratione sacrorum mysteriorum gratiam operatur, nec aliud sunt hominis administrantis partes, quam illud exteriùs exequi, quod est divinitus imperatum. Addit seq. pag. esse merum ineptumque cavillum eorum, qui dicunt illum non esse ministrum Sacramenti, qui suam interius cohibet intentionem, suoque operi reluctatur: nam si ponit ritum externum, quomodo non vult conficere Sacramentum? Nonne insanientis esset ignem stuppæ admovere, & interius dicere, *Nolo ut ignis comburat stuppam?* aut semen mandare terræ, & interno animo id statuere, *Nolo semen esse fructiferum?* Ita penitus esset insanus, qui seriò externum ritum celebraret, interius autem diceret, *Nolo conficere Sacramentum.*

Sed uterque remittitur validis Solutionibus & argumentis.

His nos nequaquam possumus acquiescere. I. Falsum est externos ritus habere à solo Christo institutore, ut sint Sacramentales & sacri; non enim Christus per se, sed per ministros Sacramenta operatur, nec per ministros quoscunque, sed per ministros præditos potestate. Si ergo hi nolint conficere rem sacram, non conficiunt: quemadmodum si Christus det alicui potestatem miraculorum, quamvis miracula virtute Christi patrentur, si minister verbotenus diceret mortuo, *Surge,* in corde autem suo, *Ne surgas*, nequaquam uteretur potestate à Domino accepta, nec mortuus resurgeret, ut rectè animadvertit Suaresius. Ac præterea si sola institutio Christi sufficit, ut res sit sacra; cur sacra non est, si peragatur à mimo? cur non est sacra, si desint circumstantiæ, & quis mysteria celebret in theatro, in platea? Quia, inquiunt, Sacramenta perfici debent humano more, ideoque animo serio agendi. Recte quidem: igitur etiam ab animo agentis, non à solo Christo legislatore pendet, ut externi ritus sacri, & Sacramentales sint. II. Deus quidem gratiam operatur in Sacramento, & huic sua divina virtus existit, nec necessaria est in ministro intentio producendi gratiam, quam Sacramentum efficit virtute sua. At Sacramentum non producit ipsam gratiam, ut est ritus tantum externus, sed *formaliter* ut est Sacramentum. Si ergo ad perficiendum Sacramentum requiritur intentio ministri, ut fides docet; ad hoc ut ritus externus sit Sacramentum habens in se virtutem producendi gratiam, requiritur in ministro intentio faciendi ritum externum *formaliter* ut Sacramentum. III. Si combustio, segetumque procreatio esset opus aliquod *morale* habens efficientiam à consilio operantis; ignis applicatus stuppæ ab eo qui diceret, *Nolo ut comburas*, non esset elementum adurens, & granum tritici mandatum terræ ab agricola, qui diceret, *Nolo ut fis semen fructiferum*, non esset semen. Atqui Sacramentum est opus *morale*, quod perficitur proposito ministrantium: igitur si ministrans ponendo externum ritum, intus dicat, *Nolo Sacramentum conficere*, ritus externus non erit Sacramentum. IV. Si ratiocinatio nostra est merum ineptumque cavillum, & non est potius cavillatio allatum exemplum ignis ac seminis; nonne eadem ratione heterodoxi poterunt argutari, dicentes: si mimus stuppæ apponat ignem, comburitur, si joco agricola semen projiciat, illud germinat; igitur si minister ludicre profundat aquam, baptizat? Non id assentientur adversarii, & reponent disparem esse rationem, in applicando causam naturalem, & in efficiendo opus morale. Fateantur ergo se potius esse cavillatores, qui exempla adversus nos adhibent hujuscemodi, & patiantur & nos respondere, discrimen esse maximum inter ritum solummodo externum, & ritum sacrum.

30. Prob. 4. ex Propositione damnata.

Insuper thesis nostra confirmatur propositione XXVIII. inter damnatas ab Alex. VIII. die 7. Decembris anno 1690. *Valet baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò, in corde suo, apud se resolvit, Non intendo facere quod facit Ecclesia.* Poteratne expressius contraria sententia, ut à recentioribus propugnatur, rejici ac reprobari?

Respondet Jueninus. I.

Caspar Juenin primò respondet Canonistas Gallos, multosque alios in Christianis provinciis non habere tanquam ratum decretum ullum Transalpinum, nisi ab ipso Papa immediatè emanaverit, judicia autem à Romana

Inqui-

Inquisitione lata per se, etiam quoad forum internum, Gallos non obligare.

2. Deinde ait propositionem, prout jacet, falsam esse; pronuntiatur enim de quocunque ritu externo, sive serio, sive mimice peracto, ideoque merito damnatam in sensu Lutheri, cujus prava dogmata quidam per Belgium temerè renovabant.

3. Idem respondent Auctor Op. de Re Sacram. & Serryus. Hoc idem reponit expolitus Auctor Op. de Re Sacram. pag. 113. & Hyacinthus Serry in Vind. pag. 109. Is ultro juramento testatur se nonnullos primæ notæ præsules consuluisse, qui affirmavere in ea propositione longe aliud à Catharini systemate reprobari. Addit, si istud fuisset proscriptum, nequaquam ausos fuisse illud propugnare prædictum Jueninum Doctorem Sorbonicum in Commentario Historico nunquam à Romana Sede damnato, nec Franciscum Genettum in Theologia Morali Clementi XI. nuncupata. Addit quoque promulgatam anno 1725. jubente Benedicto XIII. Summam Alexandrinam; in qua Tom. 1. pag. 32. expresè traditur sententia, quam ipse vindicat. Commemoraverat pag. 33. Natalem Alexandrum, qui etiam post damnatam propositionem, ac nostra ferè ætate floruit in literaria Republica.

Convellitur Juninus quoad 1. Verùm prior Juenini responsio facili ratione convellitur. Principio enim si ita fas est opinari Gallis theologis, non tale ingenium est nobis, qui Romana decreta æquiori veneratione prosequimur. Illud etiam à Theologis tali calamo utentibus scire peroptamus, undenam sit, quod ubi decreta Romæ emanata pro se faciunt, eadem exscribunt, urgent, amplificant; ubi autem adversantur sibi: eadem inofficiosè dimittunt? Præterea, etsi in proscriptione illarum propositionum nullam Romanus Pontifex sententiam pronuntiavisset; non est tamen supremæ Inquisitionis Senatus aliquis consessus infimi subsellii Theologorum, sed Purpuratorum Patrum, virorumque plurium doctrinæ laude præstantium; quorum decretis nulla comparanda est cujusque privati Scriptoris auctoritas. Illius præterea Congregationis Præses est Summus Pontifex, qui hoc præsertim in casu commisit quidem XXXI. propositionum examen *pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis ac Reverendissimis DD. Card. P. Eerti Theol. Tom. VI. dinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus*, sed, ut legitur in decreto, *idem Sanctissimus Pontifex*, suffragiis Inquisitorum, & Consultorum maturè consideratis, *prædictas propositiones proscripsit.*

II. Non est melioris notæ responsio altera; siquidem cur iterùm ambiguo verborum complexu damnare hæreticam assertionem, tam perspicue ab Oecumenica Synodo anathemate confixam? Deinde figmentum singulare est, suspicari latentem Novatorum hæresim de mimica administratione Sacramentorum, ubi hujus hæresis nec minimum extat vestigium. Ad hæc propositio ab Alex. damnata, non est, ut inquiunt, crudè prolata, æquivocis contexta verbis, & enuntiata de quolibet ritu externo etiam jocosè peracto; sed disertè, singillatim, appositè exprimit obluctationem animi, oppositamque intentionem, non exteriori ludificatione apertam, sed secreta fraude conceptam, animoque delitescentem, & ne eludi queat futili cavillatione, non uno, sed vocabulis tribus, illa sola interior obluctatio expressa est, INTUS. IN CORDE SUO. APUD SE. Insuper cum nonnulli ex Theologis nostris Lovanienſibus intentionem externam propugnassent, secuti Farvacquesium, quo nemo validius pro ea decertavit, emanato tamen S. Inquisitionis decreto, quamquam optimè noscerent doctrinam per Belgium manantem, qui postmodum scripta edidere, exuerunt penitus placitum Farvacquesii, tanquam ab Alex. VIII. eliminatum, ut constat ex Leonardo Vanroy Tom. IV. pag. 57. & Aurelio Piette Tom. V. pag. 257. Tandem Franciscus Henno Belga Theologus Tract. 1. de Sacram. disp. IV. q. 2. art. 2. pag. edit. Ven. 258. *Dicta propositio*, inquit, *desumpta est ex thesi cujusdam Doctoris mihi cogniti, & familiaris, qui præcisè adversariorum sententiam sustinebat.* quoad 2.

III. Nihil efficit responsio postrema. Qua enim libertate Juenin sententiam propugnet suam, apparet ex dictis. In Genetto Tom. III. Tract. 1. cap. 4. nil traditur de intentione, quod communi opinioni repugnet: in Resolut. autem casuum in Append. pag. 35. ait ille quidem sufficere exteriorem consensum in collatione baptismatis, sed loquitur de intentione subjecti, non quoad 3. &c.

autem ministri: qua in re nulla est difficultas. Resolutionem aliquam juxta sententiam oppositam nostræ, nisi cæcus sum penitus, in Veneta edit. non video. Si expuncta sit, in adversarios recidit objectatio. Natalis Alex. lib. 2. Theologiæ Moralis de Sacramen. in gen. art. 3. Regula 1. pag. edit. Parisiensis 186. postquam plura de sententia Catharini scripserat, *Cum tamen*, inquit, *alii sententiam Catharini rejiciant, in eaque hypothesi, quam exprimit regula, cujus in explicatione versamur, iterandum censeant Sacramentum, saltem sub conditione, quod id tutius sit, nullique periculo obnoxium videatur, consultius esse existimo, si quando casus emerserit in regula expressus, ut Sacerdotes in hac ambiguitate quæstionis Episcopum rogent, quid facto opus sit, Episcopus verò si res moram patiatur, & necesse judicet, Sedem Apostolicam consulat.* Si Consultores aliqui significarunt Patri Serry non peti anathemate sententiam Catharini; de ea illud idem protulere judicium, quale diximus hujus disputationis exordio tulisse olim Vasquesium, nuperque Tournelium. Quantum ad Summam Alexandrinam, videtur nobis excludi eo loci necessitatem intentionis finis, non Sacramenti, & mentem perditissimi illius Sacerdotis exercentis magicas artes; & habentis *intentionem infantes sibi oblatos devovendi diabolo*, fuisse rectam (ut verbis utar Divi Thomæ) quantum ad Sacramenti perfectionem, non quantum ad Sacramenti usum: superstitiosi quippe, & malefici abutuntur rebus, quas recte sciunt à nobis haberi ut sacras, & intendunt id facere in diabolicis initiationibus, quod nos in sacris mysteriis peragimus, Sacerdotales vestes, lustralem aquam, Scripturæ verba sacrilegio usurpantes, non indumenta, quæ norunt esse profana, lymphasque, suffumigationes, ritusque communes. Atque ita intendunt simul Sacramenta conficere, iisque ad perniciem abuti. Quamobrem probatum minime inficiamur baptismum collatum ab homine hujus furfuris, Ludovico Gaufredo Parocho Massilienſi, cujus gesta nobis objectat illustris Serryus cap. VI. pag. 45. Cæterum haud inusitatum est probari, iterumque cudi Auctorum volumina, etsi aliquid comprehendant erroneum, ob alia plurima utilia, & castigatè conscripta: ob quæ fortassis (absit censura verbo) permittuntur Juenini Commentarius Historicus, & eruditæ quorumdam aliorum elucubrationes. IV. Uno denique verbo poterant prædicta dispungi, nulla siquidem accedit probabilitas libris junioris cujuslibet, ex quo non constet illius opinionem rejectam esse à Sede Apostolica, ut constat ex prop. 27. damnata ab Alexandro VII. die 24. Sept. anno 1665. ideoque non perinde Juenini, aut alterius cujuspiam sententia censenda est improbabilis, quod illam expresse Sedes Apostolica non rejecerit.

Ulterius accedit robur assertioni nostræ ex propositione 1. inter proscriptas ab Innoc. XI. die 2. Martii anno 1679. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* At tutior est sententia, quæ propugnat necessariam esse ad valorem Sacramenti intentionem internam à nobis expositam. Illicitum est ergo sequi opinionem probabilem intentionis externæ (si probabilis est tamen) tutiore, quam nos propugnamus, relicta. Movit argumentum istud etiam perinsignem Theologum Ludovicum Habert Tom. v. pag. 75. sive Tract. de Sacram. in gen. cap. XIII. 31. Prob. 5. item rum ex Propositione damnata.

Resp. adversæ sententiæ patroni cum erudito Contensonio p. 216. imo opinationem nostram nec tutam esse, nec remotam ab iteratorum Sacramentorum sacrilegio. Quid verò, addunt alii, probabilius quàm sententia ab Augustino tradita, propugnata à D. Thoma, expresse ab Innoc. IV. definita, & quam secuti sunt viri omni exceptione majores, Magister sent. Paludanus, Javellus, Farvacques, aliique quamplurimi? Responsio adversa.

At persistit adhuc præcedens argumentatio. I. Tutiorem esse sententiam nostram hinc liquet, quod validum esse Sacramentum interiori intentione collatum nullus adversariorum negat, validum esse collatum cum sola intentione externa negat Theologorum pars major; nullo autem iterationis sacrilegio obnoxium est, quod majori consensione ratum existimatur. Deinde, ut liberalis sim, & aliquam tribuam sententiæ oppositæ probabilitatem; nonne vitaretur iterationis sacrilegium, si iterum conficeretur Sacramentum sub conditione, ut innuit paulo supra Alexander Natalis; Ex quo insuper Solvitur.

idem

idem Alexander satius putet consulere Episcopos, Sedemque Apostolicam, quod etiam asseruit Farvacques pag. 128. quid colligitur, nisi sententiam nostram ex adversariorum confessione esse revera tutiorem? II. Quod gloriantur de Augustini, Thomæ, & Innocentii IV. patrocinio, eorum confidentia est: quippe Augustinus de fallacia ac simulatione intentionis, præsertim ministrantium, ut infra dicam, nec verbum quidem. De Divo autem Thoma rectius judicium proferunt Cajetanus, Soto, Gonet, Sylvius, &, ne innumeros innuam, Collegium Salmanticensium. Quantum vero in explicandis verbis Innocentii halucinentur supra ostendi, & paulo post accuratius evincam. Magistri sententiarum vellem audire verba; si enim depromantur ex IV. dist. VI. §. *Solet*, loquitur eo in loco de intentione regenerationis & finis; quemadmodum ratiocinatur Estius dist. 1. §. 23. tanta verborum perspicuitate, ut mirum sit doctissimum Contensonium pag. 169. inter suos connumerasse ipsum Estium, illi apertissime repugnantem. Nego etiam Paludanum adversariis nostris penitus consentire, idemque opinor de Angelo Clavasio; ac subscribo in hac parte Vasquesio cit. disput. 118. cap. 2. num. 21. quamquam revera nonnullos in Catharini partes descendisse haud inficiar. III. Quidquid Antiquiores fuerint opinati; præclusam contendimus sententiarum libertatem, posteaquam accessit Pontificiæ, ac supra productæ definitionis auctoritas.

32. Prob. 6. Ex Innocentio IV.

Præterea positionem nostram confirmo ex Innocentio IV. in eodem Comment. ad Cap. *Si quis puerum*, ubi adversarii indubitatum existimant Jurisconsultum illum clarissimum Catharino adhærere. Verum ego ex Innocentio ad hunc modum plecto syllogisticum ratiocinium. Si vera sit sententia quam oppugnamus, baptizans puerum, veramque formam pronuntians, quam adhibet Christi Ecclesia, sed perversa fide credens formam hanc falsam esse (quod facile sibi persuadere potest, hæreticus aut Arianus, aut Paulianista) ideoque dicens in corde suo, *Nolo pronuntiare veram formam, nolo conficere Sacramentum*, baptizaretne puerum illum? Quid dubitas, inquiunt adversarii? Baptizaret utique, si serio veram formam pronuntiaret. At Innocentius IV. sentit oppositum, docetque in hac hypothesi nullum esse baptismum; neque ex alio capite, quam ex defectu intentionis adhibendi formam illam, qua baptizans putat perfici Sacramentum. Igitur Innocentius manifeste adversariis nostris repugnat. Constat hujus ratiocinii vis ex verbis Innocentii ita num. 2. scribentis: *Si veram formam dicat, & non credat illam veram formam, sed aliam, non erit baptizatus; & hoc ideo, quia non intendit baptizare, quod ex eo apparet, quia formam veram dicere non intendit.* Rursus, si omnia juxta Ecclesiæ ritum adhiberentur, minister vero ita statueret in animo, Nolo facere rem sacram, sed abluere tantummodo corpus, ut fit in thermis, vel balneis; validumne erit baptisma? Validissimum, inquiunt. At non ita Innocentius, qui eo loci num. 8. scribit: *Nota quod ad hoc quod aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans intendat baptizare, non tantum balneare, vel carnes lavare.* Perperam ergo Innocentius in adversantium partes invitus trahitur.

Responsio adversariorum.

Respondent Innocentium ibidem asserere ratum baptismum, quamvis minister *non gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare minister intendat.*

Rejicitur tanquam inepta.

At hæ ineptæ sunt elusiones. I. quia Innocentius illis verbis, *dummodo baptizare intendat*, exprimit intentionem faciendi rem sacram; distinguit enim, ut constat ex dictis, inter *baptizare*, & *lavare*. II. quia dum ait necessariam non esse intentionem *faciendi quod facit Ecclesia*, loquitur duntaxat de intentione effectus, sive, ut loquitur S. Thomas, de intentione faciendi quod facit Ecclesia *propter quod facit Ecclesia*; explicans enim Innocentius se ipsum ait valere baptismum, etiamsi baptizans non intendat baptizare *secundum intentionem petentis baptismum, id est, ut baptismus operetur quidquid operari potest.* III. quia si Innocentius explicandus esset juxta adversariorum nostrorum sensum, nec necessaria esset intentio faciendi ritum externum. Ecclesia namque in eorum sententia peragit tantum ritum externum; ideoque si per Innocentium necessaria non est intentio faciendi quod facit Ecclesia, nec intentio faciendi ritum externum erit necessaria. IV. quia Innocentius

addit ministrum non baptizare, *si non intendat conferre quod alii baptizantes conferunt*, ideoque necessariam putat intentionem *implicitam* etiam effectus, quamvis recte asserat non requiri intentionem effectus *explicitam*. Intentio autem istiusmodi est sola intentio faciendi rem *ut sacram*, quia tantum *ut sacra* producit effectum. Vide quæ diximus ad probationem hujus thesis priorem. V. quia adversantium aliqui, ac præsertim nuperus Scriptor, dum ajunt verba, quæ objiciuntur, esse Innocentii III. & ab Innocentio IV. adscripta solemnibus juris decretis, scilicet cap. *Si quis puerum*, nimiam fidem, aut oscitantiam præseferunt: quippe cap. *Si qais puerum*, nec ex Innocentio III. nec ex Innocentio IV. depromptum est, sed ex Alexandro III. verba autem Innocentii IV. nunquam inserta fuere Juris decretis: unde lectorem merito, ne cuilibet fidem præbeat, sed ut adeat fontes, commonefacimus.

33. Prob. 7. ex Rubricis Missalis Romani.

Ad hæc probatur conclusio ex Rubricis Missalis Romani de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. VII. ubi legitur: *Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Sed in tali casu est materia, prolatio formæ, & intentio ritus externi, quæ intentio à prolatione formæ deliberate peracta inseparabilis est. Ergo præter materiam, formam, & intentionem externam, alia intentio ad consecrationem est necessaria. Insuper, si determinet illas decem quas consecrare intendit, illæ decem consecratæ sunt; undecima autem, quamvis coram posita, non est consecrata. Determinatio itaque, per quam Sacerdos intus decernat, *Nolo consecrare undecimam illam hostiam*, facit ne consecrata sit, quamvis externus ritus juxta Ecclesiæ consuetudinem peragatur.

Responsio adversa Auctoris de Re Sacram. 1.

Respondet eruditus Auctor de Re Sacram. pag. 114. Missalis Romani Rubricas non esse leges Ecclesiasticas, utpote collectas ex Theologorum Scholasticorum opinionibus.

2.

Addit in iisdem Rubricis quædam haberi, quæ Theologorum judicio incerta, vel falsa sunt: incertum est enim quod §. III. legitur, non confici Sacramentum, *si panis non sit triticeus:* cum plures affirment idoneam esse Eucharistiæ materiam, panem ex grano quolibet sub frumenti genere contento, ut ex spelta, hordeo, &c. Falsum vero, omnibusque Orientalium Euchologiis contrarium, quod legitur §. v. post verba consecrationis, quibus utimur in Ecclesia Romana, *Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis, non conficeret Sacramentum;* cum indubitatum sit Orientales singula verba consecrationis Calicis non pronuntiare. Inquit præterea etiam in Breviario Romano plura recitari, quæ revocantur in dubium.

Respondet tandem insanum fore, & perridiculum consilium illud celebrantis; nam si revera vult consecrare tantum decem, cur undecimam ab altari non removet? Si non removet, peragere vult externum ritum divinitus imperatum, & omnes undecim hostiæ sunt consecratæ. 3.

Cæterum prior responsio infirma admodum est; quanta enim diligentia Rubricæ fuerint dispositæ, apparet ex constitutionibus Pontificum, quæ Missali Romano solent præponi: easdemque Rubricas contineri in Missali Parisiensi edito ab Archiepiscopis Francisco de Gondy, Harduino de Perefix, Francisco de Harlay, & Cardinale de Noailles, necnon in plerisque Missalibus aliarum Diœcesum, testatur pag. 76. Habertus. Quare videtur superior sententia, non alicujus Scholastici, sed Ecclesiæ; nec desunt qui illam inter fidei decreta connumerent, ut Sylvius, & Henno. Etsi detur autem, collectam esse ex placitis Scholasticorum; nemo saltem negabit inter Scholasticos sententiam nostram esse communiorem, & sententiæ Catharini præpositam à Rubricarum Auctoribus. Rejicitur ut infirma & Resp. ad 1.

II. Non est melioris notæ responsio insequens: enimvero quod §. III. asseratur pro materia Eucharistiæ solus *panis triticeus*, id conforme est Florentino Concilio, & decreto Eugenii IV. Tom. XIII. Conc. pag. 536. Non potest ergo hac in re incerta dici rubrica, nisi incertum asseratur decretum irreformabile: quod si aliquis opinetur cum Cajetano necessariam materiam Eu- Ad 2.

Eucharistiæ esse panem cujusque frumenti, quidquid reponet pro explicatione memorati decreti, illud nos respondebimus pro rubricarum vindicatione. Quemadmodum etiam frumentum dicitur quidquid emittit aristas, ut triticum, hordeum, milium, panicum, horminum, sesama, appellatum a frumine, vel a fruendo: ita triticum ex Varrone est quidquid ex spicis teritur; unde ex Plinio lib. XVIII. cap. 7. reperiuntur tritici plura genera. At in §. v. non asseritur quamcunque formæ diminutionem, aut imminutionem reddere consecrationem nullam, sed additur, *si in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent*; idque caute, ne propriam obrueret machinationem, scriptor peracutus subticuit. Quid vero discriminis sit inter recitationem dubiæ historiæ, morum probitati nullatenus repugnantis, & expositionem sententiæ de nullitate Sacramentorum, nec ignorare arbitror barbitonsores.

Tritici plura sunt genera teste Plinio.

Ad 3. III. Sed & responsio postrema futilis est; siquidem fieri potest ut Sacerdos determinet undecimam hostiam non consecrare, ut communicaturo, quem novit sacrilege ad angelorum mensam accedere, absque cæterorum scandalo porrigat particulam non consecratam, nec tamen hanc ex aliarum numero ablegat, ne id communicaturus deprehendat: quod certo scimus ex simplicitate & ignorantia feciſſe Sacerdotem quemdam Diœcesis Samminiatensis. Ex superiori itaque Rubrica certo colligitur necessariam esse determinatam intentionem consecrandi talem, vel talem hostiam, nec sufficere celebrationem externi ritus; ut apertè demonstrat in notis ad Thesaurum sacrorum Rituum p. 2. Tom. 1. pag. 760. vir præclarus, & Sac. Rit. Congreg. Consultor, Cajetanus Maria Merati.

34. Prob. 8. ratione communi. Tandem demonstratur propositio ratiocinatione communi: Externæ actiones ad varios usus sunt prorsus indifferentes; ideoque etiam ablutio, tametsi fiat cum invocatione Trinitatis, ex se est indifferens ut sit divina vel naturalis, ut sit profana vel sacra. At quod suapte natura indifferens est, debet determinari ad unum per aliquid aliud. Ergo ritus externus, ut sit Sacramentalis, per aliquid debet determinari. Id verò quidnam est, nisi intentio peragendi rem sacram? Nititur momentum istud auctoritati D. Thomæ scribentis 3. p. q. 64. art. 8. *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea verò quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi; sicut ablutio aquæ quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujusmodi: ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: & hæc intentio exprimitur in verbis, quæ per Sacramenta dicuntur.*

Responsio adversariorum triplex. 1. Respondent adversarii se totam hanc argumentationem probare, nullatenus ea Catharini sententiam concuti; determinatur quippe externa actio ad constituendam rem sacram, per seriam formæ a Christo institutæ prolationem:

2. Idque affirmat S. Thomas, dum ait, *Hæc intentio exprimitur in verbis, quæ per Sacramenta dicuntur.*

3. Addunt determinari externum ritum ad actionem sacram etiam per circumstantias locorum ac temporum, puta si ablutio fiat ad fontem Baptismalem, ac præsente patrino, non domi a mulierecula infantem lavante, aut si consecratio fiat a Sacerdote vestibus sacris induto, & ad altare accedente, non inter epulas, vel in commessatione profana.

Rejicitur ut nulla & Replicantur varia argumenta, dicitúrque ad 1. Sed cum multum dicere se arbitrantur, nihil planè dicunt. 1. Principio falsum est, per intentionem seriò agendi ritum externum, actionem indifferentem determinari, ut sit Sacramentum. Etenim externa ablutio, sicut indifferens est ut serio, vel mimicè peragatur, ita indifferens est ut sit profana, vel sacra. Sed quoniam est indifferens ut serio, vel mimice peragatur, requiritur intentio faciendi rem seriò. Quia ergo est indifferens, ut sit profana, vel sacra, necessaria est intentio faciendi rem sacram. Hinc Estius, quem immerito pro se laudat. Vinc. Contensonius, dist. 1. §. 23. inquit: *Ea porro dicitur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, qua quis intendit actionem, non ut est actio profana aut vulgaris, vel etiam mimica & derisoria, sed ut est singularis quædam actio, quæ in Ecclesia, id est, apud Christianos solemni more fieri consuevit.* Ex quibus verbis hoc pacto instauratur argumentatio. Dum minister abluit infantem,

tem, vel intendit facere quod à Christianis solemni more peragitur, vel quod fieri solet in balneis, nihil cogitans de Christianorum institutionibus. At si intendat facere quod à Christianis solemni ritu peragitur, perficit rem sacram. Igitur si efficere velit quod fieri solet in balneis, peragit actionem tantum profanam. Rursus, ut ratiocinatur Eminentiss. Gotti Tom. XIII. pag. 106. ac nos diximus supra; sicut materia indifferens est, ita etiam est indifferens significatio verborum formæ. Necesse est autem, ut materia indifferens determinetur à forma. Necessum est igitur, ut indifferens significatio verborum determinetur ab intentione. Sed determinari nequit ab intentione serio peragendi exteriorem ritum *utcunque*, quoniam exterior ritus serio quoque peractus adhuc indifferens est, ut sit profanus, aut sacer, Ergo determinari debet per intentionem peragendi ritum externum ut sacrum.

Ad 2. II. Juxta D. Thomam intentio, *quæ verbis exprimitur*, debet esse talis, qua minister *se subjiciat principali agenti:* ita Angelicus cit art. 8. ad 1. *ut scilicet intendat facere quod facit Christus, & Ecclesia.* Per intentionem autem peragendi solum ritum externum, quomodo minister proposito mentis suæ subjicitur Christo? Quomodo agit nomine Christi? Quomodo exercet potestatem acceptam à Christo? Rursus S. Thomas proximo art. 10. docet perverti intentionem quantum ad perfectionem Sacramenti, *cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat.* Igitur quamvis derisio occulta sit, nec se prodat animus non conferendi Sacramentum, Sacramentum ipsum nequaquam perficitur. Ut enim inquit Sylvius, addens S. Thomas, *præcipue quando suam intentionem manifestat*, indicare voluit defectum illum esse contra veritatem Sacramenti, etiam cum non manifestatur exterius: si vero manifestatur, non tantum Sacramentum esse nullum in se, verum etiam in Ecclesiæ judicio. Nec male loquitur Sylvius; siquidem ad hunc modum ratiocinamur: Derisio exterius manifestata reddit Sacramentum nullum exterius, & in judicio Ecclesiæ; igitur derisio latens in animo reddit Sacramentum nullum in se, intrinsecè, & in ratione Sacramenti; ideoque castigatissime S. Thomas ait excludi veritatem Sacramenti per *intentionem ludicram*, eodem art. 10. ad 2. Non ait, per jocum, ludumque patentem; intentio quippe ludicra potest in mente latere. Adde quæ supra ex eodem art. recitavimus, adeasque Sylvium, Salmanticenses, ac Thomistarum cæterorum notissima Commentaria.

III. Quod addunt externum ritum determinari, ut sit Sacramentum, à circumstantiis, est inane perfugium: nam primo loci ac temporis adjuncta non sunt illa tria, quibus Sacramentum perficitur, ideoque efficere nequeunt, ut actus exterior ad perfectionem Sacramenti consurgat. Deinde hujusmodi circumstantiæ commonstrant quidem intuentibus peractam ceremoniam haberi ut sacram; sed Sacramenta non debent esse signa duntaxat explicativa, ut hæritici autumant: debent esse efficientia & practica, & præter externam imaginem, divinam continere virtutem, eis per ministrantium operationem à Christo institutore collatam. Præterea si mulier domi, etiam extra mortis periculum, cum intentione recta ac debita forma baptizaret infantem, validus esset baptismus, & tantum baptizatus deferendus esset ad Ecclesiam, ut in illo sacræ adimplerentur ceremoniæ; circumstantiæ ergo fontis baptismalis, templi, loci, & istiusmodi reliquæ spectant ad sacrorum rituum celebritatem, non ad perfectionem Sacramentorum. Ad 3.

## AD EA, QUAE OBJICIUNTUR, RESPONSIO.

Plura adversus veritatem hactenus propugnatam solent opponi, omniaque ad quatuor capita reducuntur, videlicet ad Ecclesiæ consuetudinem ac definitiones, ad Augustini adversus Donatistas disputantis quædam testimonia, ad S. Thomæ inconcussam, ac in materia præsertim ista probatam doctrinam, atque ad argumenta rationi innixa, quæ Catharinus primùm, & Salmeron, deinceps Contensonius, Juenin, Serry, aliique contexuerunt. Ex priori itaque capite objiciunt primò: Constat ex veteri & perpetua Ecclesiæ disciplina, sæpenumero pronuntiata fuisse nulla Sacramenta, in quibus debita materia, præscriptaque forma non fuerunt adhibita, necnon quæ administrata fuerunt ab ebriis & energumenis; nunquam tamen pronuntiatum legimus Objectio prima Consuetudines & Definitiones Ecclesiæ.

gimus tale judicium, si quis voluntatem contrariam in mente gesserit, serioque perfecerit externum ritum. Dummodo ergo ritus iste celebretur, Sacramentum est validum.

2. II. Contra Donatistas judicium tulit Ecclesia, Sacramenta *verbis Evangelicis consecrata* pollui non posse cujuscunque sceleribus, nec reddi nulla ob aliquorum ministrantium perversitatem, ut apparet ex libris Augustini, & Optati, atque ex Collationibus Carthaginensibus; id verò sancitum est, quia Sacramentis inest divina virtus, qualiscunque sit ministrator. Quamquam ergo is oblu&ctetur animo, perficit tamen mysteria sacra. Nec juvat distinguere inter perversitatem intentionis, & morum improbitatem; non enim unquam Ecclesiæ statuta distinctionem illam adhibuerunt: imò *sub communi nomine improbitatis* comprehenditur ipsa latens infidelitas, animique oblu&ctatio.

3. III. Si Sozomeno, aliisque præstanda est fides, Alexander Episcopus Alexandrinus diligenti præmisso examine ratum habuit baptismum ab Athanasio inter ludendum collato; Alexander autem, inquit præcitatus Historicus, baptizatos pueros *accurate interrogavit quidnam illis dixisset, feciseve ludi ipsius Episcopus, cumque omnia juxta ordinem Ecclesiasticum exacte in illis servata esse deprehendisset*, validum censuit baptismum: non legimus interrogatum Athanasium qua intentione id feciset, sed tantùm pueros de observatione ritus Ecclesiastici. Optime ergo noverat Alexander hanc observationem externi ritus sufficere, nec intentionem aliam requiri ad validitatem baptisinatis.

4. IV. Nicolaus I. ad Consulta Bulg. cap. 104. definit ratum esse baptismum à Judæo collatum, si servavit præscriptam formam, nihil de intentione definiens: idem habetur apud Grat. de Consecrat. dist. 4. cap. *A quodam*. De Innoc. IV. ejusque Commentario in cap. *Si quis puerum*, dictum supra. In provinciali Synodo Rothomagensi anno 1581. & in Aquensi anno 1585. probatus fuit baptismus Calvinistarum, quoniam & hi servant Ecclesiæ ritum & formam.

5. V. Denique Theologorum judicio, & Sorbonæ sententiâ habitum fuit ut ratum ac validum baptisma datum à Parocho Massilienši, de quo supra, necnon approbatæ ordinationes Petri Lavardini, Episcopi Cœnomanensis, qui testatus est nunquam se habuisse intentionem ordinandi, imò nec suscipiendi Episcopatum; ut narrat Jacobus Sambovius in solut. Cas. Consc. Tom. 2. cas. 17.

Ref. Hucusque adversarios nil prorsus, præter inania verba, produxisse. Ad primum namque affirmamus, dum Ecclesia decrevit nullum esse Sacramentum joco peractum, dum sancivit requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, dum proscripsit propositionem, *Valet baptismus, &c.* protulisse saltem consecutive judicium adversus sententiam, quam oppugnamus; quoniam sententiâ nostrâ nec est intentio recta, qua ministrans se Christo, & Ecclesiæ subjiciat, nisi proponat peragere Sacramentum; nec serio perficitur quod fit animi oblu&ctatione; nec valet baptismus cum apud se minister decernit non baptizare; nec denique Alexander VIII. proscripsit Lutheranam doctrinam, sed serpentem in Belgio novitatem; quæ omnia cum supra singillatim sint à me commonstrata, necessum non est modò cum lectorum fastidio eadem repetere. 36. Resp. ad 1.

Ad alterum primò dicimus, dum contra Donatistas approbatum est Sacramentum à quocunque ministro improbo collatum, *dummodo consecratum sit verbis Evangelicis*, demonstratum fuisse simul necessitatem intentionis internæ, quoniam verba, quæ diversam significationem patiuntur, ut *Baptizo, signo te, &c.* non consecrant materiale elementum, nisi adsit intentio faciendi rem sacram, ideest, ut fit solemni ritu à Christianis: quamobrem si loquuntur de baptismo *consecrato* verbis Evangelicis, loquuntur de paptismo collato cum intentione peragendi rem sacram; sine qua intentione ablutio indifferens est, ut sit profana, vel *consecrata*. Deinde reponimus controversiam inter Catholicos, & Donatistas non fuisse de intentione ministrorum, sed an valeret Sacramentum collatum ab improbis & hæreticis; nihil autem repugnat ministrantem esse improbum & hæreticum, imo paganum & ethnicum, & nihilomnius proponere sibi faciendum, quod novit à Christianis haberi tanquam sacrum & religiosum. Nec verum est perperam à nobis distingui inter perversitatem fidei ac morum, & perver- Ad 2.

sitatem

sitatem intentionis, cum Ecclesiæ Patres affirment Sacramenta nunquam pollui scelere aliquo, & perversitate ministrantium; primò quia officere Sacramentis aliquam perversitatem, ipsi adversarii fatentur, haud negantes nullum esse baptismum ludicra actione datum; & ludicra ipsa actio continetur *sub genere perversitatis*: secundò quia dum inquiunt Patres Sacramentis divinam virtutem inesse, neque contaminari ulla ministrantium improbitate, uti supponunt materiam & formam, quia sine his non perficitur Sacramentum; ita supponunt intentionem faciendi rem sacram, quia sine hac intentione ablutio est actio indifferens aut profana, non *Sacramentalis* & mystica: tandem quia distinguendam esse perversitatem intentionis respectu Sacramenti, & respectu effectus qui Sacramentum consequitur, & primam perversitatem esse *cum aliquis non intendit Sacramentum conferre*, eandemque perversitatem tollere veritatem Sacramenti, expressè docet S. Thomas 3. p. q. 64. art. 10. ut supra vidimus. Quomodo ergo Patres docent Sacramentis nequaquam officere quidquid comprehenditur *sub communi nomine improbitatis*?

Ad 3. Ad tertium principio summopere miramur, cur nobis opponatur factum Athanasii, cum ipsi adversarii nostri fateantur illud laborare maxima suspicione, atque hæreticis idem objectantibus reponant haud repugnare quin Athanasius, nisi grandævus ætate, jam adolescens, & Christianis rudimentis imbutus habuerit veram intentionem. Quod ergo omnes adversus hæreticos respondemus de intentione serio agendi, id ego respondeo Catharini patronis de intentione faciendi rem ut sacram, quam intentionem potuit quidem puer Athanasius habere. Si autem non habuit; cum intentione hac deficiente docęant illi externum ritum determinari ad esse Sacramenti *à circumstantiis*; dico, quod in eorum potius sententia nullum fuisset Sacramentum collatum ab Athanasio. Non enim ludebant pueri ad fontem baptismalem, sed ad litus maris, nec sacras vestes induerant, sed insignia cartacea. Deerant ergo circumstantiæ, quæ in eorum sententia determinant externum ritum ut sacer sit, non profanus. Si autem sacer fuit, determinari debuit ab Athanasii intentione. Præterea novit Alexander tinctos ab Athanasio solos impuberes Catechumenos; optime ergo percepit Athanasium voluisse ritum illum perficere, non quomodocunque, sed ut fiebat ab Episcopo, qui solos Cathecumenos baptizabat, ut animadvertit cit. §. 24. in responsione ad objectionem postremam illustris Estius.

Ad 4. Ad definitiones num. 4. productas respondeo inde nihil posse ab adversariis inferri. Nam quod attinet ad rescriptum Nicolai I. interrogatus fuerat tantum de conditione ministri, non de intentione, id est, *an ratus esset baptismus datus a Judæo, vel pagano*: nec in eodem rescripto ullum invenies verbum de ritu externo seriò peracto. Adeas Tom. VIII. Conc. pag. 548. Imo si Nicolaus eo loci expresse Catharini sententiam tradidisset, facilè demonstrarem ex ipsis adversariorum notationibus nil roboris argumento ipsorum inesse. Ibi enim Nicolaus absque ulla verborum ambiguitate docuit ratum esse baptismum *vel in trium personarum, vel in solius Christi nomine consecratum*: quod ob Nicolai rescriptum præter Scholasticorum plurimos affirmat Glossa ad præciratum caput, *A quodam*. At oppositum tenent celebriores adversarii, præsertim Juenin differt. 2. de Sacramentis q. 4. cap. 3. art. 3. & in expolita dissertatione contra virum Cl. Josephum-Augustinum Orsi cap. 15. Catharini eruditissimus Vindex. Is autem ad Rescriptum Nicolai cum Bellarmino, aliisque respondet Nicolaum in illo ad Consulta Bulgarorum responso, tanquam privatum doctorem à præcedentium Pontificum decretis apertissime descivisse, in his maxime, quæ ad propositam quæstionem non pertinebant. Atque hujus generis esset, si quid Pontifex eo in loco de intentione differuisset adversus sententiam nostram. At cum nihil penitus de intentione proferat Nicolaus, plura de hoc rescripto dicta sunt, quam postulabat inanis objectatio. De Innocentio autem verbosior ero quam oporteat, si addam aliquid. Merito in Synodo Rothomagensi sancitum est non esse rebaptizandos redeuntes à Calvinistis ad Ecclesiam Catholicam; sed hæc definitio facta est contra eos, *qui dubitabant de valore baptismi ab hujusmodi hæreticis collati, eoquod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum*. Ita cap. IV. num. 2. Tom. XV. Concil. pag. 826. His autem verbis excluditur necessitas intentionis finis, non intentionis faciendi rem sacram; ut mirum sit adversarios doctis-

doctissimos eruditionis apparatu nobis, cæterisque rudioribus fucum facere. At Rothomagensis canon Aquensem eodem Vol. p. 1225. dilucide exponit. Et quidem Calvinistæ, licet non credant conferri gratiam per Sacramenta, nec putent Ecclesiam Christi esse Ecclesiam Romanam (quod ad Sacramenti veritatem minimè est necessarium) intendunt tamen baptizare, ut baptizatur in Christi Ecclesia: atque ad id contestandum baptizant *in cætu publico*, ut ibidem affirmat utraque Synodus.

Ad 5. De Parocho Massilienſi dictum supra. ac sæpe repetitum, qualemcunque malam intentionem finis, etiam propositum devovendi dæmoni baptizatos, stare cum intentione peragendi rem sacram. Quantum verò attinet ad Episcopum Cænomanensem, distinguenda est intentio suscipiendi ab intentione conficiendi Sacramenta; intentio quippe, de qua loquimur, in suscipiente requiritur ad obtinendam gratiam, non ad Sacramentum perficiendum, nisi sermo sit de iis Sacramentis, in quibus intentio concomitatur materiam, ut in Sacramento Pœnitentiæ, ac Matrimonii: intentio autem ministri necessaria est, non ad effectum, sed ad perfectionem Sacramenti. Itaque Petrus Lavardinus, etiamsi animo simulaverit, verè fuit inauguratus Episcopus, modo promotus non fuerit per vim externam, & omninò reluctans, de qua re est etiam inter Doctores contentio. Sacramenta autem ab eo collata, si habuit *perversam intentionem finis*, adhuc fuerunt valida; si *perversam intentionem non peragendi rem sacram*, fuerunt nulla.

37. Objicitur secundò Auctoritas Aug. Secundo loco objiciunt auctoritatem Augustini, qui de Baptismo lib. VII. cap. 53. num. 101. permixte quæstiones varias proponit. Prima est, *Utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit. 2. Utrum nihil interſit, quo animo accipiat ille cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia; an jocans, sicut in mimo: & quid sit sceleratius in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia, id est, animo non simulato; & utrum in hæresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur. 3. Si tradens & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Ecclesiæ, utrum hoc magis baptisma acceptandum, an illud quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia; ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil interſit.* Hæ sunt quæstiones ipsis Augustini verbis propositæ. Quid autem S. Pater respondet? Ostendit primum suam in definiendo modestiam: deinde ad quæstionem primam respondet, *habere eos baptismum, qui ubicunque, & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua catholicæ insererentur Ecclesiæ.* Ad secundam respondet ad hunc modum: *Sicut jam præteritis majorum statutis non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt.* Ad tertiam denique respondet: *Ubi autem neque societas ulla esset credentium, neque ille qui ibi acciperet ita crederet, sed totum ludicre & mimice & joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.* Nota hoc ordine Augustinum suas responsiones contexere: nam ego fideliter verba ab exordio ad finem usque, tam quæstionum propositarum, quam responsionum exscripsi. Hinc sibi mire plaudunt adversarii de reportata victoria. Apertissime enim, inquiunt, docet Augustinus *ex majorum statutis* stare ratum validumque baptismum, seu in Ecclesia, seu extra Ecclesiam, fallaciter & cum simulatione suscipiatur. Igitur Augustinus negat necessitatem intentionis, quam nos propugnamus.

38. Responsio prima communis. Dabo cæterorum responsa, deinde proprium subjiciam. Solet primo responderi Augustinum nihil definitive pronuntiare; ait enim num. 102. *Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt.* Insurgunt adversarii contendentes interpretationem hanc esse à mente Augustini alieniſſimam; hæc enim pronuntiat sanctus Pater de baptismo, qui initio confertur

joco, & repentina pietate jocans mutatur; de fallacia enim absque hæsitatione pronuntiat, *Sicut jam præteritis majorum statutis non dubito eos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, &c.* Ideo Juenin ait Bellarminum, qui responsionem illam adhibet, Augustini verbis abuti: maxime cum S. Pater ibidem asserat, fallaces, sive dantes, sive accipientes, si postea prodantur, pœnitentia quidem, non autem iterato baptismo sanari. Bellarminus tamen Augustinum meliori ponderatione legit: nam modesta illa S. Patris declaratio præcedit quamlibet responsionem ad præcedentia quæsita, ut constat legenti; & si quis totum caput nolit expendere, cernat quo in loco scriptum sit in margine, *Responsio.* Nec quemquam movere debent præcedentia verba: *Si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur* nam excommunicatur, qui tradit fallaciter, *si agat in unitate Ecclesiæ*, id est, si simulet se esse catholicum, cum sit hæreticus; quæ simulatio non est simulatio intentionis, sed simulatio fidei: *& pœnitendo sanatur*, qui simulat recipiendo, cum baptismus recedente fictione reviviscat; sed hæc simulatio est in subjecto, non in ministro. Quare hæc prior responsio firma persistit.

39. Responsio secunda aliorum.

Respondent alii, utique Augustinum firmiter asseruisse validum ratumque baptismum fallaciter acceptum, & fallaciter datum. Sed numquid Augustinus cum *fallaciter* dixit, excluſit intentionem conficiendi Sacramentum? Minime: *Fallaciæ* nomine intelligitur simulatio fidei, sive simulatio eorum, qui non inseruntur Ecclesiæ, in Catholica tamen Sacramenta aut conferunt, aut recipiunt. Juenin §. 2. subiraſcitur Estio, ac Sylvio, quod *fallaciæ* nomine interpretentur affectum ad peccatum mortale, ita, ut fallaces illi sint, qui ad sacra mysteria sine præparatione accedunt. Verum id nec Estius, nec Sylvius somniarunt. Nam Estius ad argumentum petitum ex lib. VII. de Baptismo Tom. IV. pag. edit. Duacii 22. hoc unum respondet: *De quarto loco respondemus dubitationem Augustini jam, quod ipse optat, remotam esse non unius, sed duorum Conciliorum generalium definitione:* nec aliter Sylvius in 3. p. pag. edit. Antuerpiæ 225. Estius quidem explicat quædam alia Augustini loca de intentione, *quæ in bonum vel malum finem dirigitur;* & me quidem judice rectissime; sed nihil aliud profert ad objectionem, in qua versamur, præter id, quod dictum est nuper. At communior responsio asserentium loqui Augustinum de simulatione fidei, frustra ab adversariis excutitur. Principio enim proferant, quæso, unum verbum, quod exprimat *intentionis* simulationem. Deinde commonstrent de sententia ipsorum sermonem instituere Doctorem maximum, dum ait loqui se *ex præteritis majorum statutis.* Ubinam statuta ista leguntur? Hoc unum statutum fuerat, rata esse Sacramenta collata ab hæreticis, à schismaticis, ab improbis: ideoque Augustinus *fallaces* dixit, qui simulant fidem, qui simulant unitatem Ecclesiæ, qui simulant probitatem. Præterea dum Augustinus ait, *Sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in Ecclesia*, & infra, *Quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia tamen accipunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt*; nonne aperte innuit se illos appellare fallaces, qui cum sint extra Ecclesiam, simulantes societatem Sacramenta accipiunt in ipsa Ecclesia; De hac ergo fallacia, de hac simulatione accipiendus est S. Pater.

40. Responsio tertia Auctoris.

Tradidi hactenus, & vindicavi aliorum responsa: sed nisi desipiam omnino, in Augustini verbis nihil deprehenditur difficultatis, Mirum hoc lectori videbitur post tot objectantium strepitus, si solum Augustinum legerit apertis oculis. Prima quæstio, ut liquet, est *de baptismo dato ab eo, qui non accepit, sed curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit.* Hic est paganus, à Christiano quodam edoctus quid apud nos solemniter peragatur, idque tradens quod didicit. In hoc negamus deesse intentionem faciendi rem sacram, & ideo recte Augustinus ad hanc quæstionem respondit ratum esse *baptismum ubicunque, & à quibuscunque accipiatur.* Altera quæstio est *de baptismo ejus, qui accipit cum simulatione, sive fallens in Ecclesia, sive jocans, sicut in mimo, si inter agendum repentina pietate moveatur.* Hic est, qui petit baptismum à Catholico, vel à Schismatico, fallaci simulatione; aut si petat mimice, subito commotus convertitur. In hoc casu dicimus esse *simulationem fidei* ex parte accipientis, non *simulationem intentionis* ex parte dantis; quo in casu validus est Baptismus: ideo-

ideoque ait S. Pater: *Sicut jam præteritis majorum statutis, non dubito illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur:* ubi nonne perspicuum est loqui Augustinum de simulatione sola fidei ex parte *accipientis*? Certe, præterquam quod aperta sunt verba, tam quæ recitata sunt modò, quam quæ præcedenti numero extant in propositione quæstionis: nec simulat minister qui est in Ecclesia, nec ille qui putat se esse in Ecclesia; id est non simulat Catholicus, non hæreticus, non schismaticus baptizans; etiamsi baptizatus fallaciter vel fidem, vel hæresim, vel communionem schismaticorum profiteatur. Tertia quæstio est, utrum approbandus sit baptismus, *ubi nulla esset societas credentium, sed totum ludicre, mimice, & joculariter ageretur.* Ad hanc vero quæstionem quid respondet Augustinus? Respondet *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus esse implorandum;* quod non ait hæsitans de fidei dogmate nunc adversus hæreticos definito; sed tantum in casu expresso in postrema quæstione, *si quis existat qui fideliter subito commotus accipiat.* Puto tam exacta laudati cap. LIII. analysi penitus comprimi adversantium conatus.

41. Instantia. At enim, inquiunt, ex Augustini principiis oppositum omnino concluditur. Etenim S. Pater adversus Donatistas ait effectum baptismi non pendere ex conscientia baptizantis, nam alioqui baptizatorum salus semper penderet incerta: docet spem non esse locandam in homine, ideoque à ministrorum meritis petendam non esse efficaciam Sacramentorum: commonstrat solum Christum esse justificationis nostræ auctorem; vide supra cap. XIV.

Responsio. Resp. bene sapienterque omnia dici: effectus enim baptismatis non pendet à probitate ministri, ut Donatistæ autumabant, sed à merito Christi, & à virtute Sacramentorum: quæ tamen Sacramenta, cum perficiantur per ministros, nulla sunt si desit ipsorum ministrorum intentio. Nec sequitur deberi nos ob salutis incertitudinem continuo tristari; quoniam nec firmissimam gratiæ certitudinem habemus, ut diximus contra hæreticos similia objicientes, propositione transacta: nec spes nostra est in eo qui signa applicat, & determinat, sed in eo, qui iisdem signis virtutem contulit: nec denique necessariam dicimus in ministro intentionem largiendi gratiam, sed tantum intentionem perficiendi Sacramenta, quæ ut semen fructiferum, sensu superius explicato, gratiam ipsam producunt. Verum in his argutiolis audiemus iterum oppugnatores.

42. Objicitur tertio D. Thomæ Auctoritas. 1. Ex D. Thoma duo objiciunt, ac tertium addit Farvacques. Primum petitur ex art. 8. cit. ubi ad secundum ait: *Dicendum quod circa hoc est duplex opinio: quidam enim dicunt quod requiratur mentalis intentio in ministro, quæ si desit non perficitur Sacramentum: sed hunc defectum, inquiunt, in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum supplet Christus, qui interius baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis: sed quantum ad effectum qui est res & Sacramentum, scilicet, quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur nisi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicant, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister: in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.* Ex quibus verbis ita argumentantur: D. Thomas refellit opinionem eorum, qui putant ad perficiendum Sacramentum requiri intentionem *mentalem.* Ergo censet sufficere propositum seriò agendi ritum externum. Item ait Angelicus Doctor Sacramentum perfici, si minister exprimat verbis intentionem Ecclesiæ cujus est minister, dummodo exteriùs contrariam intentionem non manifestet. Excludit ergo *internæ* intentionis necessitatem.

2. II. In IV. sententiarum dist. VI. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 2. scribit S. Thomas: *In baptismo & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma servatur, nec exterius aliquid dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* His verbis aperte S. Thomas docet ratum esse Baptismum

ptismum, dummodo minister seriò proferat verba ab Ecclesia instituta, nec exterius significet contrarium mentis suæ propositum. Id verò quid aliud est, nisi sententia ipsa, quam perperam vellicamus? Non tantum Contensonius §. VI. laudatæ dissertationis, Juenin §. 3. Serry cap. 7. & Farvacques arg. 3. post Catharinum sibi Beatum Thomam assentiri gloriantur; verum etiam eam esse Angelici Doctoris mentem fatentur nonnulli opinionis adversæ cum Vasquesio disput. 138. cap. IV. num. 44.

3. Farvacques.

III. Addit Farvacques quæ de ministro scribit S. Thomas 3. p. q. 64. art. 9. ad 1. *Licèt credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi quæ exterius aguntur præbere Sacramentum. Unde non obstante infidelitate potest intendere facere quod facit Ecclesia, licèt existimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia sicut supra dictum est, minister agit in persona totius Ecclesiæ.*

43. Responsio prima optima. Ad 1.

Respondent viri in Divo Thoma exercitatissimi, Cajetanus, Dominicus Soto, Gonet, Cardinalis Gotti, Sylvius, Salmanticenses, aliique quamplurimi, nequaquam D. Thomam excludere necessitatem internæ intentionis, nec sufficientem existimare solam expressionem verborum: quomodo enim hoc eodem loco, qui objicitur, affirmaret ministrum agere in persona totius Ecclesiæ absque interna intentione, cum juxta Divum Thomam in eadem. q. 64. ille tantum se gerat ut Ecclesiæ minister, qui tanquam instrumentum animo præditum, Christo agenti principali se subjicit? quomodo potest in sola expressione verborum agnoscere intentionem Ecclesiæ, cum intentio sit interior actus ministrantis indifferentem actionem determinans? quomodo potest nunc excludere intentionem illam *mentalem*, cujus defectum tollere veritatem Sacramenti tam aperte docet proximo articulo nono? quomodo de mente Doctoris Angelici hæsitabimus, posteaquam Opusculo V. tam diserte necessariam asseruit intentionem non tantum faciendi quod facit Ecclesia, sed etiam intentionem peragendi rem sacram, scribens: *Si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum*? Ita Tom. XVII. pag. 63. Quid his expressius, quid enucleatius proferri poterat? Itaque mentem D. Thomæ, inquiunt præclari disputatores, non aliunde, quam ex ipso Thoma debet quis expiscari. Objecerat 2. loco neminem posse habere salutis certitudinem, *si necessaria sit ministrorum intentio*, propterea quod intentio alterius nequeat cuiquam mortalium patescere. Quid ad hanc objectationem Angelicus? Reponit, non defuisse qui existimaverint necessariam quidem intentionem *mentalem*; haberi tamen hanc certitudinem, quoniam in parvulis defectum intentionis supplet Christus, in adultis autem fides & devotio suscipientium; sed hanc opinionem falsam esse, quoniam fides & devotio potest quidem supplere id quod requiritur ad justificationem, at non id, quod requiritur ad perficiendum Sacramentum; alioquin istusmodi fides suppleret etiam defectum materiæ & formæ, & pueri sine lavacro regenerationis salvari possent. Ex illa itaque opinione, quod Christus, aut fides suscipientium suppleat quod deest, ut propugnarunt Alensis, Gabriel, Durandus, & alii, haberi nequit certitudo illa salutis. Unde ergo ad pacandam conscientiæ agitationem erit nobis confugiendum? quomodo de salute certi erimus? Præsumendum adeo non est, ut certi simus omninò, atque, ut hæretici dogmatizant, certitudine penitus inconcussa. Moralem tantùm certitudinem habere possumus; & hanc quidem, modò conspiciamus sacros ministros seriò agentes, nec verbis factisque commonstrantes animi reluctantiam, habet unusquisque baptizatorum; ideoque quantum attinet ad salutis solicitudinem, unusquisque de susceptо à se baptismate certus est. Huic responsioni subscribo; etsi enim nuperus Scriptor post Catharinum & Contensonium contendat violentam esse, & cum titulo, cum doctrina, cum ipsa objectione pugnantem: aliter tamen censent innumeri alii in D. Thomam studiosissimi. Et quidem merito; id enim quod in responso aliquo continetur, ad objectionis trutinam debet expendi. Præterquam quod ad argumentum, quod tanta facilitate in sententia adversariorum diluitur, non opus erat uti tali verborum complexu: sat erat uno verbo reponere, haberi certitudinem salutis dummodo peragatur externus ritus. Imo videntur adversarii nostri adstruere certitudinem peracti Sacramenti plusquam moralem, atque ejuscemodi, quæ visu & auribus comprobetur. Quod enim baptizans fundat aquam & exterius seriò gerat se, oculis adstantes omnes conspiciunt: quod utatur præscripta forma, istud percipiunt aure.

aure. Quis autem nobis persuadeat tam certum esse baptizatum percepisse characterem, quam certum est vera esse quæ vivido sensu percipiuntur? Servata itaque Syllogistica forma dist. propositionem: Excludit S. Thomas intentionem mentalem, ut habeatur moralis certitudo salutis, concedo: ut perficiatur baptismus, subdist. in se, nego: in judicio Ecclesiæ, & conscientia suscipientis, concedo.

Ad 2. Atque hæc responsio solvit etiam argumentationem secundam; est enim utrobique idem scopus, eademque objectio.

Responsio 2da non ita firma. Quamquam jure commune responsum selegi, neque illud adhibui sine aliqua ponderatione; non desunt tamen, qui reponant, sanctum Thomam non rejicere opinionem eorum, qui requirunt intentionem *mentalem* absolutè, sed in quantum dicit ejus defectum suppleri in parvulis à Christo, in adultis verò à fide ac devotione eorundem. Hanc responsionem præfert alteri Aurelius noster Lovanienſis. At hæc responsio, licèt primò aspectu videatur verbis D. Thomæ collineare, & revera S. Thomas non sentiat defectum intentionis posse suppleri; contraria est tamen secundo testimonio, in quo ait: *In baptismo non requiritur mentalis intentio*: neque ulla est inter ea quæ leguntur in Summa, & in IV. sententiarum pugna contradictionis. Sunt & qui respondent excludi à S. Thoma intentionem *actualem*: sed hi, ut optimè adversarii observarunt, confundunt quæ S. Thomas ad tertiam, & quæ ad secundam objectionem tradit in Summa, sive ad 2. & ad 4. in dist. VI. laudatam. Parùm ab his recedunt, qui cum P. Nicolai censent non excluſisse Sanctum Thomam qualemcunque ministri intentionem, sed specialem, expressam, & cum attenta deliberatione conjunctam. Quare salvo aliorum judicio existimo traditum à Cajetano, & in Schola Thomistica pervulgatum responsum, germanum esse, legitimum, & inconcussum.

Ad 3. At quod addit Farvacques ex art. IX. quæst. 64. ad 1. infirmissimum est, detegitque quorumdam halucinationem. Infirmissimum quidem est, nam eo in loco S. Thomas affirmat necessariam non esse in ministro fidem, qua revera credat Sacramenta Divina esse, & per illam conferri gratiam; quo nihil sapientius dici poterat. Si enim hæc fides foret necessaria, nunquam ratum esset baptisma datum vel à Judæo aut pagano, qui putant Sacramenta nostra nulla esse, vel à Calvinista, qui negant per ea inhærentem gratiam produci. Exigit tamen beatus Thomas, ut qui ea fide destitutus est, non ignoret quod Ecclesia Catholica per ea, quæ agit exterius, intendit perficere Sacramentum, & quod se gerat tanquam hujus Ecclesiæ minister, ideoque non proponat facere qualemcunque ritum, sed religiosum & sacrum. Quare per D. Thomam tria sunt distinguenda, fides ministri, propositum conferendi gratiam, & intentio faciendi Sacramentum ut fit in Ecclesia Christi, qualiscunque tandem sit Ecclesia ista, sive vera, sive falsa, sive apud Catholicos, sive apud hæreticos: quorum trium hoc postremum necessarium est, non primum, nec alterum; & si hæc accuratius distinguerentur, causa finita esset. *Si verò*, (inquit, S. Thomas) *patiatur*, minister, *fidei defectum circa ipsum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum: unde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse: & talis intentio sufficit ad Sacramentum, &c.* Tanta affulgente luce hæc ipse Farvacques scripsit pag. 157. *Angelicus Doctor non tantùm requirit ritus externos, etiam non minùs adhibitos, sed insuper ut minister sciat saltem confusè & generaliter Ecclesiam intendere per ejusmodi ritus præbere Sacramentum, seu aliquam rem sacram & utilem, non merè profanam.* Quid ergo tanta pro Catharino argumenta? Omnia perierunt. Debet minister *non ignorare quod Ecclesia Catholica intendit per ea, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum.* Ita S. Thomas. Debet minister *habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.* Ita decreta Conciliorum sanctorum. Ergo debet minister intendere *per ea, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum.* Ad quid enim scientia illa, saltem confusa, nisi ad dirigendam intentionem? Nonne ut intendamus tantummodò externum ritum; sat est materiam & formam non ignorare? Cur ergo, si Catharini sententia vera est, necessum est insuper haud ignoret minister adhiberi in Christi Ecclesia exteriores ritus more quodam

mystico, solemni, Sacramentali? At videor de mente Divi Thomæ satis superque dixisse.

44. Objicitur 4tò ex rationibus. Tenent quartum locum argumenta à ratione deprompta: decem profert Tom. XIII. disp. 2. Alphonsus Salmeron: quatuor Contensonius §. 7. ac totidem Juenin. §. v. octo Serry cap. 9. & Auctor Op. de re Sacramentaria n. VIII. sunt autem istiusmodi.

1. I. Valet baptismus à Judæo, pagano, & atheo collatus: sed hi homines intentionem faciendi ritum sacrum nec habent, nec habere possunt: igitur hæc intentio ut baptismus ratus sit, non requiritur. Probatur minor: illi enim nequeunt ritum aliquem ut sacrum intendere, quem tanquam superstitiosum & sacrilegum execrantur: at Judæi & pagani execrantur ritum baptismatis tanquam sacrilegum: igitur nequeunt intendere ritum illum ut sacrum.

2. II. Quamvis minister credat, ei Christus nihil aliud commisit quam nudum externumque ministerium: modò itaque Evangelicum ritum serio celebret, vere Sacramentum conficit, & huic divina virtus assistit: probatur consequentia, qui enim nudum ministerium exercet, agit tanquam instrumentum, quod à causa principali movetur: ideoque qualemcunque intentionem ille habeat, nequit labefactari opus, quod in rectum finem à principali agente dirigitur.

3. III. Non est, quemadmodum omnes consentiunt, necessaria in ministro intentio producendi effectum; ergo nec intentio peragendi rem sacram: probatur consequentia; nam quemadmodum Christus noluit gratiam & characterem pendere à secreta intentione ministrantium, ita noluit ex eadem intentione externum opus nanciscì, ut sanctum sit, divinum, mysticum, sacrum.

4. IV. Ecclesiæ ministri funguntur officio legatorum Christi; voluitque Deus, ut Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, formam haberet externæ & aspectabilis reipublicæ. Atqui acta ministrorum Reipublicæ valent, modò peragantur seria administratione quæ exterius pateat, quamvis interius minister detrectet se gerere tanquam ministrum Reipublicæ; ita enim Aman reluctans animo, & apparenter obsequium exhibens Mardochæo, vere illum affecit honore proferens jussu regis ea verba, *Sic honorabitur quem rex honorare voluerit.* Valet ergo pari ratione Sacramentum, dummodo ministrans celebret externum ritum, & præscriptam formam adhibeat.

5. V. Ecclesia visibilis est, & Sacramentum signum, & res sensibus subjecta; nihil ergo quod non pateat sensibus, in Sacramenti definitione ponendum est; atque adeo latens intentio ministri Sacramento penitus est extranea: alioqui quonam pacto propugnabimus Sacramentorum naturam sitam esse in sensibilibus elementis, & qua ratione contra hæreticos demonstrabimus Ecclesiam esse visibilem: num de fidelium baptismate, & de Sacerdotum consecratione aliquid certi statuere possumus, si necessaria sint baptizantium internum propositum, & conferentium sacros ordines voluntas sincera & intima?

6. VI. Imo, si hæc sententia tenenda sit, nec sustinere possumus quod Ecclesia nequeat deficere: contingat enim Episcopum non habere intentionem initiandi statutos ante se clericos, hos vero missas celebrare, peccata absolvere; tunc quidem Clerus, pars Ecclesiæ præcipua, erit fictitius, nullaque sacrificia, & scelerum absolutio: & si parochus non intendat conferre baptismum, nec turba fidelium erit regeneratorum cœtus & congregatio.

7. VII. Episcopi nullam intentionem habent ordinandi excommunicatos, idque etiam in Ordinum collatione palam testantur; nihilo tamen minus si excommunicato cum prolatione verborum præbeant materiam, erit Ordo ratus ac validus.

8. VIII. Si valor Sacramenti pendeat ab intentione ministri, nemo habere poterit moralem salutis suæ certitudinem; cum ergo Sacramenta instituta sint, ut ex his homines gratiam hauriant, ad ea autem accedentes non discrucientur importunis animi anxietatibus, non debent à ministrantium voluntate pendere.

9. IX. Sacramentum est signum à Christo institutum; sed signa effectum producunt, dummodo exterius ponantur: ergo & Sacramentum efficax in se est, modo celebretur exterius.

10. X. Si minister interius sic decerneret, *Nolo conficere Sacramentum*, & tamen exerceret

exerceret actum exteriorem, haberet duas voluntates inter se mutuo pugnantes: at quando occurrunt duæ oppositæ voluntates, illa quæ effectum obtinet vera censetur, altera autem reputatur mera velleitas. Id comprobatur exemplo mercatoris, qui licet merces suas servare vellet, si id posset incolumis, eas tamen actu projicit in mare, dum tempestate jactatur; atque ita voluntate servandi vitam superat voluntatem servandi merces. Ita in nostro casu voluntas, qua exercetur actus externus, superaret & irritam redderet voluntatem, qua minister apud se statueret, *Nolo conficere Sacramentum.*

11. XI. Si materia applicetur formæ, coalescit compositum; si medicamenta præbeantur ægroto, conferunt sanitatem; si artifex attente se gerat exterius, perficit opus: igitur & Sacramentorum minister, si materiam formamque adhibeat, eadem conficit.

12. XII. Ut Sacramentum ratum sit, necessum non est, ut is, qui suscipit, intendat recipere aliquid religiosum & sacrum: ergo nec requiritur, ut rem aliquam religiosam & sacram præbere & conficere intendat minister ac dispensator.

45. Resp. hæc omnia argumenta non so-
Respondetur lum talia non esse, quibus ultro cedat qui ea pensitarent pacata mente, quemadmodum ajunt facundi Vindices Catharini; verum nec aliquid præseferre dubitationis, quod non elidant conterantque præmissa & discussa momenta. In gratiam tamen tyronum singula objecta servato scholarum more dispellamus. Ad 1. Itaque ad primum, animadvertimus paulo supra paganum & Judæum dum baptizat haud ignorare, ut inquit S. Thomas, id quod peragit, haberi apud Christianos tanquam religiosum & sacrum; quod licet ipse baptizans non credat, vult tamen se gerere tanquam Ecclesiæ nostræ ministrum, & consequenter *implicite* peragere externum ritum ut sacrum. Distinguenda itaque est minor: Hi homines nequeunt habere intentionem faciendi rem sacram, *explicite*, & revera credentes rem illam esse sacram in se, concedo: *implicite*, & non ignorantes rem illam haberi sacram apud Ecclesiam, nego. Neque dicas, si ita res se habeat, etiam qui intendit serio peragere ritum externum, habebit intentionem *implicitam* faciendi rem sacram: nam ritus externus indifferens est, ut fiat more sacro, aut profano; quod autem fit ab Ecclesia tanquam sacrum, non indifferens est, sed in aliquo genere determinatum: atque intentio *implicita* locum habet in iis, quæ determinata sunt, non in iis, quæ indifferentia permanent, ut supra exemplis commonstratum est, & mox repetam.

Ad 2. negamus antecedens; non enim Christus commisit Ecclesiæ ministris nudum ministerium, sed eis etiam contulit Sacramenta conficiendi potestatem: nec instrumenta sunt mortua & inanimata, sed viventia, & ratione consilioque prædita, quæ nihil efficiunt, nisi principali agenti se deliberate subjiciant; & quemadmodum si hæc instrumenta joco, & ludicra actione moveantur, sat non est recta voluntas principalis agentis, ut ritus censeatur serio peractus; ita si moveantur absque proposito faciendi rem sacram, non sufficit sola intentio Christi, ut sit vere solennis & sacra, uti supra enucleatius explanavimus. Ad 2.

In tertio est obvia, ac jam detecta disparitas. Quando enim causa aliqua determinata est ad producendum effectum, non requiritur ejusdem effectus *explicita* intentio; requiritur tamen ut causa determinata sit, quod tollatur ejusdem indifferentia: ideoque futilis est tertiæ argumentationis illatio. Ad 3.

Quarta eodem vitio laborat; quippe non distinguit inter ministros, qui exequuntur mandata, & inter eos, qui præditi sunt potestate: nec observant qui hæc objectant, in temporali republica spectari duntaxat civilem politiam, & humanum commercium, in Ecclesiastica spiritale bonum intendi; magistratus institutos fuisse ad regimen civitatis, Sacramenta vero ad animarum medelam; ministros principum exercere in foro exteriori jurisdictionem, at Sacerdotes etiam cordium inquinamenta diluere. Profecto si attendenda esset in Reipublicæ politia latens quædam ac spiritalis potestas, recte diceretur, seditiosum legatum dum paciscitur de fœdere concitare ad bellum, & Aman obsequendo externa ceremonia Judæum virum, hunc ludibrio potius, quam honore affeciisse. Adde legatorum officia, pactiones, munera esse ut plurimum in suo genere determinata, non autem, ut sunt externi ritus, indifferentia. Ad 4.

Ad

Ad 5. Ad quintum dicimus in signis *practicis* non solum attendendam esse externam speciem, verum etiam latentem efficientiam, & utrumque designari in definitione Sacramenti N. L. à nobis tradita: ita in cœtu Ecclesiæ visibilis spectanda est professio ejusdem fidei, & participatio Sacramentorum, & fidei, Sacramentorumque latens veritas. Sicut ergo est in Ecclesia occultus hæreticus, qui profitetur fidem, & tamen hujus non est vera professio; & sicuti esset in Ecclesia visibilis participatio Sacramentorum, si panem non consecratum impius Sacerdos fidelibus dispensaret, & nihilominus non esset verum Sacramentum; ita, si minister absque intentione ulla faciendi rem sacram perageret externum ritum, esset Sacramenti imago quædam, & species exterior, non latens virtus & veritas.

Ad 6. Proximum hac ratione refellitur: De fide est Ecclesiam non posse deficere, de fide est in ea offerri verum sacrificium, de fide est haberi in ea virtutem Sacramentorum. At non est de fide hunc puerulum esse baptizatum, hanc numero hostiam esse consecratam, in hoc, aut illo fidem non defeciisse; quoniam certi scimus Christum Ecclesiæ in communi, ejusque supremo Rectori assistentiam suam spopondisse, quam nequaquam in particulari promisit unicuique. Sicut ergo inepte ratiocinatur, qui ait: Potest contingere ut unus aut alter Sacerdos non proferat verba consecrationis, ideoque non offerat sacrificium, ergo in Ecclesia potest deficere quodlibet sacrificium; aut, Potest evenire ut aliquis non baptizatus promoveatur ad sacros Ordines; ergo deficere potest Clerus universus: ita insulse nimium, & inscite argutatur, qui, si contingat ratum non esse baptismum serio collatum, subinfert posse deficere Ecclesiam, & quælibet Sacramenta. Mirum præterea est Theologos viros ejusmodi scrupulis commoveri; quod enim potest contingere defectu intentionis, nonne evenire potest defectu materiæ vel formæ? Nonne minister improbus potest, dum puerum tingit, pro aqua naturali aliam effundere, & quod facilius est, formam corrumpere aut prætermittere? Quid ergo fiet postmodum, si puer iste, equidem non baptizatus, sit adoptatus inter Clericos, inunctus Sacerdos, inauguratus Episcopus? Deficietne Ecclesia Christi? Videant ergo, qui cum Juenino refellunt clarissimum Bellarminum confugientem in hac hypothesi ad providentiam Dei, promissumque Ecclesiæ suæ patrocinium, se ipsos iisdem fluctibus agitari; atque ad asylum, perfugiumque istud esse nobis, sibique confugiendum.

Ad VII. respondeo Episcopum in collatione Ordinum terrere initiandos, ne accedant excommunicatione innodati: at ubi compertum habet nullum excommunicatum adesse, vult revera singulis conferre Ordines: quare hi rati sunt vi interioris propositi, non tantum ope functionis externæ. Ad 7.

In solutione argumenti octavi non ero verbosus, cum supra explicaverim quomodo habeatur in sententia nostra moralis certitudo salutis: nec major haberi queat in systemate Catharini; cum sicut in intentione, ita in materia & in forma possint contingere defectus plures. Ad 8.

Ab insequenti pariter brevissime expediar, cum identidem dixerim Sacramenta non esse signa qualiacunque, sed *practica*, nec talia esse intentione ministrantium; alioqui rata forent etiam mimicè administrata. Ad 9.

Decimum hoc pacto solvitur. Duæ voluntates contrariæ sunt, quando idem habent objectum, ut voluntas servandi merces, & voluntas projiciendi merces; atque istarum voluntatum fateor illam esse inefficacem, quæ est conditionalis, & superatur ab alia voluntate absoluta; & ita inefficax est voluntas servandi merces nisi immineat vitæ periculum, & superatur à voluntate servandi vitam. At voluntas faciendi ritum externum, & voluntas non faciendi Sacramentum habent objectum diversum, illa nimirum opus indifferens, ista opus sacrum, adeoque possunt simul consistere, nec una superatur ab alia; quemadmodum stant simul voluntas conficiendi Sacramentum, & voluntas non conferendi gratiam, quia diversum habent objectum, illa scilicet causam, ista autem effectum. Ad 10.

Quod sequitur exploditur quam facillime: forma enim physica sive compositi naturalis, sive artefacti determinata est, forma autem Sacramentorum indifferens; ideoque, nisi ab intentione ministrantium determinetur, id quod exterius peragitur nec opus morale est, nec signum efficiens, nec sacrum aliquid, nec idoneum animarum medicamentum. Ad 11.

Ad

Ad 12. Ad postremum principio negare possumus eum, qui animo reluctatur, vere & apud Deum suscipere Sacramenta: deinde asserimus firmum esse argumentum illud pro sententia Catholica contra hæreticos, non pro Catharini placito adversus alios Theologos. Quia enim opus humanum procedere debet ex proposito voluntatis, & nullum est in reluctante & invito, optime consequitur ad Sacramentum, quod est opus humanum, requiri deliberationem operantis, & non reluctantiam suscipientis. Et quia ad constituendum perficiendumque opus necessum est ut determinetur ejusdem indifferentia, ad recipiendum autem in se operis effectum, sat est aliquando non contraniti, ac se operanti subjicere; idcirco ad perficiendum Sacramentum necessaria est intentio, quæ determinare queat externum ritum indifferentem, atque ad recipiendum in se Sacramentum sufficit aliquando intentio interpretativa, ut cap. 18. explicabimus. At de propositione secunda dictum satis.

46. Propositio 3. Ad valorem Sacramenti non requiritur, ut minister intendat effectum, vel credat expresse ritum esse sacrum &c.

Propositio III. Ad hoc ut Sacramentum validum ratumque sit, necessum non est ut minister intendat illius effectum, vel habeat in animo illud peragere quod fit solemni ritu in Ecclesia Romana, vel explicite credat esse ritum illum revera sacrum & salutiferum; sed sufficit, si id proponat facere quod solenni more perficitur in Christi Ecclesia, qualiscunque sit Ecclesia ista, sive apud Catholicos, sive apud hæreticos permanens, & qualiacunque sint illius Ecclesiæ mysteria, sive efficientia gratiarum, sive fidei argumenta, sive symbola prorsus inania.

Prob. Hanc assertionem, quam principio hujus dissertationis diximus esse communem, invicte quoque commonstrant producta superius monumenta. Quorum primum est, probati ab Ecclesia, 1. ut ad Consulta Bulgarorum ajebat Nicolaus, extatque in cap. *A quodam*, dist. 4. de Consecrat. baptisma à Judæo vel à Pagano collatum, modò se gesserint tanquam Ecclesiæ ministri. II. Con- 2. stat etiam ex praxi Ecclesiæ, cui non adversatur definitio Synodi Rothomagensis, non esse rebaptizandos tinctos sacro lavacro à Novatoribus, *quamvis hi non habeant intentionem baptizandi in remissionem peccatorum.* III. Ratum 3. esse baptismum sive in Catholica, sive ab iis qui se in Catholica esse arbitrantur, dummodo verbis Evangelicis consecratum sit, docet probatque contra Donatistas Ecclesiæ lumen splendidissimum Augustinus. IV. Nec unus inter 4. Theologos invenitur, qui non subscribat Divo Thomæ 3. p. q. 64. asserenti, necessarium non esse ad Sacramenti valorem, ut minister credat per id quod exterius agitur produci interiorem effectum, habeatque intentionem rectam quantum ad fidem, & Sacramenti efficientiam vel usum. V. Dictum denique, ac interdum repetitum est, dum peragitur determinatum opus, quod suapte virtute producit effectum, non requiri ut agens perspectam habeat ejusdem operis efficaciam, neque *explicite* effectum intendat: quæ omnia superius explicata hanc postremam thesim satis apertam reddunt atque expeditam. 5.

# CAPUT XVII.

## Solvuntur vulgares quædam quæstiones circa intentionem Sacramenta administrantium.

### *SUMMARIUM.*

1. Quid intentio actualis, virtualis, & habitualis.
2. Actualis est optima, sed non necessaria: virtualis sufficit; non verò habitualis.
3. Intentio interpretativa non sufficit.
4. & 5. Solvuntur objectiones.
6. Quid de intentione conditionali?

1. Quotuplex est Intentio? Resp. triplex, Actualis, Virtualis, habitualis.

QUærunt primò Theologiæ moralis institutores, quotuplex sit intentio, & quænam necessaria sit in ministro ad Sacramenti validitatem. Respondent vero unanimiter, intentionem triplicem assignari, actualem, virtualem, habitualem. *Actualis* illa dicitur, quæ operis executionem comitatur, id est, qua agens cum animi applicatione intendit facere quod actu facit: ut Sacerdos cum præsenti deliberatione mentis, nec alio intentione distracta baptizans, aut consecrans. Intentio *virtualis* ea est, quæ perseverat virtute in actione ministri, quamvis is distractus sit animo: dicitur autem intentio perseverare virtute, quando actu antecessit, nec retractatur, nec inter actum præcedentem, & opus intercedunt longa temporis intervalla, nec

media ad consecutionem finis omnino disparata, aut contraria. Ita est virtualis intentio in Sacerdote, qui baptizare, aut consecrare decernit, atque cum tali proposito adit templum, induitur sacris vestibus, accedit ad aram, aut ad salvificum fontem, sed vel rerum aspectabilium imagine, vel præterfluentibus cogitationibus mens ejus rapitur, divagatur, & avolat.

Et Habitualis. *Habitualis* intentio appellatur, qua absque ulla præcedenti intentione, quasi ex consuetudine aliquis operatur; vel si aliqua præcessit intentio, aut per longum intervallum temporis, aut per media contraria, vel disparata, & cum fine nullo pacto connexa, disperit, & evanescit, ut si Sacerdos nulla deliberatione præmissa, ex quodam usu, vel habitu oret; vel missam celebret; aut si id proposuit in animo, posthac media posuit omnino impertinentia, ut venationem, aleam, & talem confabulationem, in qua antecedens propositum prudenter censeatur evanuisse.

2. Actualis est quidem optima, sed non necessaria. Communis itaque sententia est, *actualem* intentionem esse omnium optimam, & unicuique sedulo curandum esse, ut cum hac intentione sacra perficiat mysteria; eam tamen non semper adesse, nec haberi absque singulari divini Numinis beneficio, neque necessariam penitus esse ad perfectionem Sacramentorum: *virtualem*, quamvis conjunctam cum aliqua animi divagatione, sufficientem tamen esse; *habitualem* denique nequaquam sufficere. Necessariam non esse intentionem *actualem*, demonstratur, quod absque tali intentione habeatur opus humanum, ac morale, à ratione & voluntate proficiscens; imperium quippe rationis, & voluntatis deliberatio, etsi actu pertranseat, dicitur virtute permanens, nisi aut animo retractetur, aut alia deliberatio ad opus disparatum effectricem causam inflectat. Ac præterea, ut dixi nuper, actualis illa & vigens præsentia animi, in tanto prætereuntium imaginum, & diverberantium cogitationum conflictu, est donum Dei speciale: quemadmodum Augustinus in Psalmum LXXXV. num. 7. gravissima oratione commonstrat. Demonstratum etiam à nobis est adversus Baji, & Jansenii nefaria dogmata, motus animi absque ulla deliberatione subrepentes carere omni libertate ac malitia, ideoque non posse inficere ac nullam reddere liberæ deliberationis efficientiam. Satis esse intentionem *virtualem*, ex hoc ipso colligitur, quod

Virtualis sufficit; necessaria non sit actualis, & per illam duntaxat humana officia secernantur ab iis, quæ aut brutis communia sunt, aut sine consilio ac libertate patrantur; ut mittam Romani Ritualis præscriptiones, universorumque Theologorum consensum. At non sufficere intentionem *habitualem* consequitur ex eodem principio: intentio quippe istiusmodi est potius propensio quædam ex iterata Sacramentorum administratione proficiscens: cumque locum habeat etiam in amente & in ebrio, qui absque consilio, & libertate operantur, sufficiens non est, ut opus dicatur liberum, morale, & humano more peractum. His non adversantur testimonia quorumdam veterum asserentium sufficere ad Sacramenti perfectionem intentionem *habitualem*, ut loquitur S. Thomas 3. p. q. 64. art. 8. ad 3. nam intentionem *habitualem* illam appellant nonnulli, quam postmodum Scholæ dixerunt *virtualem*, neque ab ista aliam describit S. Thomas, dum intentionem *habitualem* tunc esse definit, *cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere quod facit Ecclesia, & si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* In quibusdam etiam antiquis editionibus in textu D. Thomæ pro intentione *habituali* legimus intentionem *actualem*, ut adnotatur in margine edit Antuerp. Plantinianæ pag. 229. Sed, ut ut vera lectio se habeat, ibidem explicari intentionem *virtualem* commonstrant citata verba, & argumentum eo loci propositum.

Non verò Habitualis.

## II.

3. An sufficiat etiam Interpretativa? Resp. negative. Deinde in quæstionem vertitur, num in Sacramentis conficiendis sufficere queat intentio *interpretativa*. Dicitur autem intentio interpretativa, dum quis actu operans non est sui compos, ex ejus autem præcedenti deliberatione, quasi mentem ejus interpretamur, existimantes illum actioni, quam exequitur, minime reluctari; ut si aliquis baptizare, aut consecrare proponat, sed postea in somnum, in amentiam, aut in ebrietatem incidat, & dormiens, ebrius, amens, Sacramentum perficiat. Sed facillima est hujus quæstionis solutio: quippe censeri nequit actus humanus, quod exercetur ab homine mente destituto; cumque Sacramenta more confici debeant humano, non est minister ad illa conficienda idoneus: quisquis sine consilio operatur.

Solet

4. Objiciuntur paritates.

Solet commovere tardiora quædam ingenia, quomodo si ita res se habeat, sufficere possit intentio *virtualis*, in qua dum sacri ministri operantur, & proferunt verba Sacramentalia, aliò distracti non alia deliberatione utuntur, quàm ea, quæ pertransit. Si autem sat est intentio transacta, ut quod agitur reputetur humanum ac liberum; cur sufficiens non erit intentio *interpretativa*, si revera præconcepta fuit à ministrante? difficilius videtur quod tract. De peccatis q. 71. disput. 24. urget peracutus Godoy, de homicidio, aut alio scelere in ebrietate patrato: quod sane voluntarium ac liberum est, si occisor, priusquam vino se conficiat, crimen fuerit præmeditatus, quidve in temulentia soleat gerere animadverterit. Si enim præexistens propositum sufficit, ut opus in ebrietate patratum tanquam liberum humanumque dijudicetur; cur talis generis existimanda non est sacrorum mysteriorum administratio?

5. Solvuntur.

At sunt ista supra quam dici potest, futilia & inania. In intentione enim *virtuali* antecedens mentis deliberatio traxit operantem ad media propria illius muneris quod exequitur, movitque voluntatem ut ratio effectrix humani officii, id est, tanquam lumen mentis, & norma libertatis. At verò intentio *interpretativa* non permovet ministrantem ad media congrua & ad Sacramentum ordinata: nam quid ad baptismum dementia, aut ebrietas? nec in ebrio aut stulto vim exerit antecedens propositum, tanquam lumen rationis, & regula libertatis, sed vi imaginationis, & impressione musculorum cerebri, ita, ut nil magis in baptismo ebrii ministrantis appareat deliberationis & humani officii, quàm in partu maculis inusto ob impressionem, quæ per gravidæ mulieris arterias ad certas fœtus partes dilabitur. Est tamen homicidium patratum ab ebrio, si illud præmeditatus est, crimen maximum; quoniam ad peccatum sufficit libertas in causa, juxta canones traditos lib. XXI. cap. 11. scilicet sat est, si peccatum sit præviſum ac volitum, cum oriatur ex mala voluntate, & delectatione perversa: Sacramentum verò non perficitur cupiditate duntaxat, sive, ut Scholæ loquuntur, *tendentia in objectum*, sed applicatione formæ ad materiam facta libertate & consilio. Dicam brevi: ad peccatum sat est, si aliquo pacto sit liberum & voluntarium; ad Sacramentum requiritur, ut sit actus humanus, atque, ut dici solet, *exercitus*.

III.

6. An valeat Sacramentum sub conditione collatum?

Tertia quæstio est de intentione *conditionali*; an scilicet subsistat Sacramentum tali intentione collatum. Conditio autem vel est præterita, ut dum baptizans gravi dubitatione perculsus ait, *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* vel præsens, ut dum Sacerdos inquit, *Si es dispositus, ego te absolvo*; vel futura, ut si ad hunc modum loqueretur. *Ego absolvo te, si crastina die restitueris rem alienam.* Valet ergo Sacramentum sub conditione de præterito, vel de præsenti collatum, si conditio vera sit; secus, si falsa: quippe intentio *conditionata*, cum adimpletur conditio, transit in *absolutam*. Obiter nota, si baptizans intendat baptizare puerum, credens illum esse masculum, quanquam fœmella esset, ratum esset baptisma, cum rationalis homo, cujuscunque generis sit, ad suscipiendum baptisma sit idoneus. At si intendat baptizare cum hac intentione conditionata, *Si masculus sit, non fœmina*, statuens in animo fœminam non baptizare; juxta præclaros Jurisconsultos baptismus est nullus, ut demonstrare nituntur Cardinalis Hostiensis in Summa 3. p. de Baptismo, & ejus effectu, num. 10. & inter JCC. *Singularia*, §. xc. num. 3. vernaculus nostras Petrus Gerardi: ex quorum placitis infertur, interius propositum necessarium esse ad Sacramenti validitatem, ut supra ostendimus prolixa dissertatione. At si conditio sit de futuro, sub ea nequit perfici Sacramentum, quoniam dum adhibetur materia, & forma profertur, præsens intentio suspenditur; dum verò futuro tempore impletur conditio, non amplius adsunt materia, & forma quæ Sacramentum constituunt. Id tamen non valet de contractu matrimoniali, qui utique non subsistat statim ac apponitur conditio honesta de futuro, V. G. *Contrabo tecum, si pater assentiatur*, aut, *si talem præbeat dotem*; sed conditione adimpleta ratus & firmissimus est; propterea quod omnes contractus sub conditione initi, *eâ*, ut inquiunt Jurisperiti, *verificatâ*, perinde obligant, ac si forent *absoluti*, atque pristinus consensus supponitur præsens, & perseverans. Quare ante conditionis eventum, si ille qui cum aliqua muliere contraxit sub conditione, contrahat cum alia per

Resp. valere sub conditione de præterito, vel præsenti, si vera sit.

Non verò sub conditione de futuro.

Contractus matrimonialis habet quid speciale.

*per verba de præsenti*, contractus iste ratus erit ac permanens, cum sponsalia conditionata ante conditionem extantem incerta ac suspensa sint, ut habetur in VI. cap. unico *de Sponsalibus & Matrimoniis*, atque à nobis proprio in loco iterum explicabitur. Quanta verò in apponendis conditionibus requiratur prudentia, ac diligens rerum perquisitio, capite XII. præmonuimus.

# CAPUT XVIII.

## De iis, qui Sacramenta rite suscipiunt.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Solus homo viator est (ordinariè loquendo) subjectum Sacramentorum.
3. 4. 5. In adultis requiritur intentio saltem interpretativa, & non sufficit neutra.
6. & 7. Solvuntur objectiones.
8. Ad fructuosè recipiendum Sacramenta *vivorum* adultus, gravis peccati sibi conscius, debet prius confiteri: ad recipiendum verò Sacramenta *mortuorum* requiritur, ut præter intentionem & fidem habeat dispositiones à Tridentino assignatas.

1. Status quæstionis.

DIximus de ministrantibus Sacramenta; dicendum modò est de iis, qui à ministris ea recipiunt, sive, ut in Scholis loquimur, de Sacramentorum *subjecto*. Qua in re tria ad examen revocanda sunt: primum quisnam suscipiendorum Sacramentorum sit capax: alterum num in eo, qui ad Sacramenta accedit, requiratur intentio, & cujus generis hæc esse debeat; tertium qua animi præparatione, ut è Sacramentis fructum percipiat, illa debeat quisque suscipere: quæ omnia brevissime resolventur, cum singillatim in unoquoque *Sacramento* disquirenda sint præcipua cum ministrantium, tum suscipientium officia.

2. Propositio I. Solus homo viator est subjectum Sacramentorum.

PROPOSITIO I. Juxta præsentem ordinem Sacramenta pro Solis hominibus viatoribus sunt instituta, ideoque nemo alius est, ordinariè loquendo, *subjectum* Sacramentorum.

Nulla in hac assertione potest esse difficultas; primum quia liquet ex priori capite Sacramenta esse visibilia quædam signa, quibus homines in Dei cultum sub alicujus religionis nomine coadunantur. Deinde quia symbolis sensibilibus indigent soli homines corpore animoque prædíti. Insuper gratiâ sanari, aut confirmari non debent, qui culpâ carent, adhærent incommutabiliter summo bono, vel contra in gehennam detrusi sunt.

3. Propositio II. In adultis requiritur intentio saltem Interpretativa.

PROPOSITIO II. In adultis ad Sacramenti characterem suscipiendum necessaria est intentio aliqua, saltem *interpretativa*.

Dixi in adultis: nam in parvulis nullam intentionem requiri satis constat ex Augustino lib. IV. de Baptismo cap. 24. num. 31. scribente: *In Infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alii pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt.* Ex quo loco apparet quantum distet sententia Augustini à figmento hæreticorum asserentium in parvulo, dum abluitur regenerationis lavacro, fidem rationisque usum divinitus excitari. Demonstratum quoque est à me libro XXVIII., ubi adversus Socinianos de Christi redemptione disputavi, quam recto justitiæ ordine factum sit, ut quemadmodum pueri per generationem Adæ sine actu propriæ voluntatis nascuntur mancipia Satanæ, cæteri autem captivi remanent propriæ voluntatis arbitrio; ita parvuli absque ullo voluntatis suæ proposito eruantur per lavacrum regenerationis à dæmonis potestate, quamvis adulti inde nequeant eripi inviti, & absque motu liberi arbitrii, eò vehementius se ad justificationem disponentis, quò majori cupiditate adhæret peccato. Adeas Volumen V. pag. 249. & 260.

In parvulis nulla.

4. Intentio neutra defenditur à Cajetano &c.

Remanet ergo difficultas de adultis: in quibus generatim non requiri prævium aliquem consensum recipiendi Sacramentum, ac sufficere intentionem, ut appellant, *neutram*, eam scilicet, qua Sacramenta suscipiens negativè se habeat, nec contranitatur, nec præbeat positivum assensum, tenent Cajetanus in 3. p. q. 68. ar. 7.

Ledesma

Ledesma in IV. p. I. q. 9. & cum paucis aliis Farvacques cap. VII. q. I. ac Vanroy cap. V. q. I. Immo idem Vanroy Tom. IV. pap. 80. putat validum esse Ordinem collatum non solum indifferenter se habenti, verum etiam invito penitus & reluctanti.

5. Necessitas Intentionis positivæ & Interpretativæ, Prob. I.

Contraria tamen opinio affirmans requiri ex parte suscipientis intentionem aliquam, saltim *interpretativam*, nec valide Sacramentum recipi, si recipiens reluctetur, aut indifferenter se gerat, vera est, & sequentibus momentis corroborata. I. Ex Sacrorum Conciliorum definitionibus Catechumeni ægrotantes, ac subito obmutescentes nequeunt baptizari, aut pœnitentiam accipere, nisi habeant voluntatis præteritæ testimonium in aliorum verbis, aut voluntatis perseverantis ac præsentis in suis nutibus. *Ægrotantes*, inquit Synodus III. Carthaginensis cap. 34. *si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium ii, qui sui sunt dixerint, baptizentur.* Et Arausicana I. cap. IV. *Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

2. II. Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptismo, principio expresè rejicit opinionem eorum, *qui dicunt quod Sacamenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut baptismus & Ordo, cæteraque similia, non solum dormientibus & amentibus, sed invitis, & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur.* Ducitur autem Summus Pontifex in hac opinione refellenda momento admodum firmo; quoniam *qui fuissent inviti, vel reluctantes immersi, saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent: unde ad servandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi: verum id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus & penitus contradicens ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Deinde ait Summus Pontifex censendos non esse absolutè coactos & invitos, *qui ad suscipiendum baptismum terroribus atque suppliciis violenter attrahuntur*, illumque suscipiunt, *ne detrimentum incurrant*, ut contigit temporibus Sisebuti; cujus ratio pariter apertissima est, quoniam coactio *conditionalis*, rationem voluntarii non tollit, non enim dicitur *absolute* mercatorem ad projiciendas merces cogi & impelli, dum procellis jactatus id facit, ne patiatur naufragium. Definit præterea, *illum qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipere Sacramenti*, quemadmodum, inquit, notam nullius reatus incurreret, qui violenter cogeretur idolis thurificare contradicens penitus & reclamans. Declarat postremò characterem non suscipere Sacramenti *dormientes & amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictionibus persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare; secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.*

3. III. S. Pater Augustinus cit. lib. IV. de Baptismo, postquam docuit non requiri propriæ voluntatis deliberationem in parvulis, ita loquitur de adultis: *At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes cum legitur naturaliter movet: Aetatem habet, ipse pro se loquatur.*

4. IV. In Rituali Romano edito jussu Pauli V. in Rubr. de Baptismo adult. præscribitur; ne baptismus conferatur ei, *qui usum rationis habuit ante amentiam, & nunquam ostendit voluntatem baptismi, aut intentionem, aut petitionem illius.*

5. V. Id manifestæ rationi consentaneum est, quoniam ad vitam, moresque Christianos nemo compelli potest invitus, ideoque nec ad baptismum per quem initiati Ecclesiæ subjiciuntur: quod tenet de Sacramentis aliis ad certum vitæ genus obstringentibus, scilicet Ordine, ac Matrimonio. Accedit quod supra de Redemptione innuimus, hujus lytrum ac pretium solutum quidem pro omnibus à Christo, qui communem causam suscepit, sed non applicari adultis contranitentibus & invitis.

6. Objectio prima ex Conciliis.

At adversus hanc propositionem objiciunt primò, nullibi Concilia, ubi pertractant de Sacramentorum perfectione suscipientium voluntatem ac propositum commemorasse: Innocentium III. cap. *Majores* post verba superius producta, hæc addere, *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Quibus in

Ex Gloſſa in Cap. *Solet* & *Majores*.

verbis aperte docet, ſat eſſe, ſi ſuſcipiens non contradicat, habeatque Indifferentiam, quam voluntatem *neutram* appellitant: teneri eandem ſententiam à Gloſſa in cap. *Solet*, de Conſecrat. diſt. 4. & in cap. *Majores*, de Bapt.

Secunda ab Exemplis.

Deinde opponunt exempla eorum, qui aut inviti, aut ſaltim nullam habentes ſuſpicionem fuerunt ab Epiſcopis conſecrati; ut Macedonius Eremita dicitur ordinatus à Flaviano Epiſcopo Antiocheno, apud Theodoretum in Monaſtica Hiſtoria cap. 13. Paulinianus frater Hieronymi à S. Epiphanio, ut narratur in Epiſt. inter Hieronymianas 100. alias 60. Auguſtinus à Valerio Hipponenſi, apud Poſſidium in Vita Auguſtini cap. 4.

Tertia de Amico Auguſtini.

Præterea objiciunt quod Auguſtinus narrat lib. IV. Confeſs. cap. 4. de quodam amico ſuo febribus laborante, qui *cum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, mente atque ſenſu abſentiſſimus.*

Quarta ex ratione triplici.

1. Objiciunt denique nonnulla atgumenta à ratione, quorum primum eſt, intentionem, ſi non requiritur in parvulis, neque neceſſariam fore in adultis, quoniam in omnibus poni debet quidquid ſpectat ad Sacramenti validitatem.

2. Alterum depromitur ex Unctione extrema, quæ ſubminiſtratur etiam ſubito morbo correptis, nec illam petentibus aut voce aliqua, aut nutu.

3. Tertium eſt hujuſmodi; ſi non requiritur conſenſus ut homo generetur, ſi poteſt alapam recipere invitus; cur aſſenſus neceſſarius eſt, ut regeneretur, ut Sacramenta ſuſcipiat?

7. Reſp. ad primam ſeu Concilia.

Reſp. ad primum Concilia, ubi definiunt Sacramentum perfici materia, forma, & intentione miniſtri, loqui de iis, quæ ad omnia Sacramenta, cuicunque adminiſtrentur, ſunt neceſſaria: certum eſt autem intentionem non requiri in pueris, qui baptizantur, nec in iis, quorum ori per vim Euchariſticus panis ingeritur, ut Auguſtinus ſcribit Tract. XXVI. in Joannem, num. 2. Innocentius III. ſermonem eo loci inſtituens de iis, qui prius Catechumeni extiterunt, & habuerunt propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, *per obicem voluntatis contrariæ*, non ſolum ſignificat reluctantiam, ſed etiam excluſionem præcedentis conſenſus, ut conſtat ex verbis immediatè præmiſſis. Vide in III. Decretalium tit. 42. Innocentium IV. Gonsalez, alios.

Ad Gloſſam.

In Gloſſa ad cap. *Solet*, diſt. IV. de Conſecrat., legitur recipi Sacramentum, *qualemcunque intentionem baptizatus habeat*, ſcilicet, qualemcunque intentionem effectus, vel finis, non qualemcunque intentionem Sacramenti; inſtituitur enim ſermo de Judæis, qui Baptiſmum ſuſceperunt ad mortem vitandam. In Gloſſa autem ad caput *Majores*, ubi habetur Sacramenti characterem recipi ab iis, *qui ore exprimunt, licet corde diſſentiant*, fit ſermo de cordis malitia, & de perſeverante affectu peccati: enimvero citatur ibidem caput, *Tum valere*, de Conſecratione diſt. 4. ubi id expreſſe declaratur. Atque hæc eſt certa reſponſio, quamvis non teneamur Gloſſæ doctrinam ſectari. Qui enim cum Turnely pag. 256. reponunt Gloſſam hanc nullius ponderis eſſe, utpote expunctam juſſu Gregorii XII. non viderunt, aut legere noluerunt, cum Decreti, tum Decretalium editionem Romanam anni 1581. una cum iiſdem Gloſſis reſtitutam ipſomet Gregorio XIII. approbante.

Ad ſecundam ſeu Exempla.

Ad ſecundum reponimus eos, qui dicuntur inviti in presbyteros ordinati, fuiſſe viros pietate conſpicuos, & ſingulari præditos humilitate, qui propterea non abſolute *obluctabantur*, cum potius omnem obedientiam Eccleſiæ, ejuſque Paſtoribus devoviſſent; ſed exiſtimantes ſe impares ad onera Eccleſiaſtica ſubeunda, haud violata obedientiæ virtute præferebant ſpecimen humilitatis; aut ſi revera fuerant inviti, adfuiſſe tandem eis *voluntatem ſuſcipiendi operis boni*, ut Auguſtinus ait Epiſtola 173. ad Donatum, num. 2. Præclare Sanctus Pater prope finem ejuſdem Epiſt. comparat poteſtatem Eccleſiæ Domino non ſolum invitanti, verum etiam compellenti ad convivium, juxta Lucæ parabolam cap. XIV. Enimvero *qui compellitur*, inquit, *quò non vult cogitur, ſed cum intraverit, jam volens paſcitur.* Ita nimirum qui reluctanti erant animo, dum initiantur myſteriis, ſponte charactere condecorantur. Ortam Auguſtini repugnantiam ex quo ſacrum *miniſterium periculoſiſſimum* judicaret, ipſe affirmat in Epiſt. ad Valerium XXI. alias 148. num. 2. Sed de Ordine invitis collato diſſerendum eſt alibi.

Ad illud de amico Aug.

At in amico Auguſtini, quem imperite nonnulli dicunt fuiſſe Nebridium ſuperiori cap. III. num. 6. ab Auguſtino commemoratum, cum Nebridius vixerit uſque ad ejuſdem Auguſtini baptiſmum,

ptismum, imo una cum illo fuerit Mediolani, & remearit in Africam, ex IX. Confes. cap. 3. num. 6. in amico, inquam, Augustini fuisse consensum saltem interpretativum hinc probatur, quod adolescens, etsi nondum *germanitus & penitus*, veram fidem tenebat; cumque Augustinus priusquam vita amicus defungeretur, baptismum, quem is acceperat, irrideret; *ita irridentem exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate, ut si amicus esse vellet, talia sibi dicere desineret.* Quæ cum eo loci ab Augustino narrentur, mirum est doctissimum Augustinensem Farvacquesium asseruisse, quod nulla ratione præsumi possit Augustini amicum habuisse intentionem suscipiendi baptismum, quoniam deflexerat *ad superstitiosas & perniciosas fabellas.* Deflexit quidem, sed catechumenus fuerat, & desiderio baptismi aliquando flagraverat, in quo sitam diximus intentionem *interpretativam.*

Ad quartam ex ratione, & quidem Ad 1.

Postrema denique argumenta nullius sunt roboris: quid enim inter parvulos & adultos intersit discriminis, non semel repetitum est; ac præterea si quid evinceret inanis illa argumentatio, uti in parvulis, ita in ratione utentibus, nullus motus liberi arbitrii necessarius foret ad justificationem, ut inquit hæresis execranda.

Ad 2.

At in infirmo, qui inviolatam servavit unitatem Ecclesiæ, supponitur in mortis articulo voluntas recipiendi ea Sacramenta, quæ omnes Catholici venerantur.

Ad 3.

Generatio autem est naturalis generis propagatio, non hujus accidentaria ac moralis perfectio: atque is, qui gignitur, aut cæditur, aut quidquam patitur, subjectum est operis, etsi nolit; quoniam ipso opere non immutatur, non perficitur, non obstringitur aliquo jure voluntatis arbitrium, quemadmodum in regeneratione, in justificatione, & in sacra ordinatione contingit.

8. Propositio 3. Ad fructuosè recipiendum Sacramenta *vivorum*

Propositio III. Ut quis cum fructu Sacramenta *vivorum* accipiat, si adultus sit, & sibi sit conscius mortalis peccati, tenetur sacramentaliter confiterri: ut recipiat autem Sacramenta *mortuorum* præter intentionem ac fidem, habere debet dispositiones libro XIX. cap. 4. ex Tridentina Synodo enumeratas.

adultus, gravis peccati conscius, debet prius confiteri; ad Sacramenta verò *mortuorum* requiritur intentio, fides, & alia.

Probatur prima pars, quia peccator non debet se exponere periculo patrandi sacrilegium. Deinde ipsum *Sacramenti vivorum* nomen satis indicat non esse ad illud accedendum habenti conscientiam peccati, quod est spiritalis mors animæ. Insuper etsi aliquando contingat hominem contritione perfecta justificari, antequam actu recipiat Sacramentum Pœnitentiæ; nemo tamen præsumere debet habere se perfectam istiusmodi contritionem, & negligere confessionem *Sacramentalem*, præsertim cum absque voto hujus confessionis vix, ac ne vix quidem perfecta contritio concipi valeat; ideoque si adsit copia confessarii, priusquam peccator ad Sacramentum accedat, debet Deo reconciliari, non tantum si accedendum ei sit ad Eucharistiam, de qua Apostolus in 1. ad Corinth, XI. Tridentina Synodus sess. XIII. cap. 7. & cap. *Sicut Judas*, aliique de Consecrat. dist. 2. verum etiam si suscipienda sint Sacramenta cætera, ut de Confirmatione statutum legimus anno 1581. à Concilio Rothomagensi, anno 1583. à Rhemensi, & Turonensi, anno 1584. à Bituricensi: quorum Conciliorum canones collegit Farvacques cap. 7. q. 2. Verum singuli à nobis suis in locis distribuentur. De Sacramento matrimonii videtur Tridentina Synodus sess. XXIV. cap. 1. de Ref. loqui modo hortatorio: sed primùm exhortatio non est adversa præcepto: deinde alloquitur conjuges omnes, non eos singillatim, qui gravis peccati premuntur pondere: insuper non ad confessionem solam hortatur, sed & ad communionem, de qua fatemur non extare in tali casu præceptum: præterea non de contrahendo tantum, verum etiam de consummando matrimonio verba facit: tandem noluit sancta Synodus de Scholarum opinionibus proferre judicium; non desunt autem, qui, Eucharistia excepta, doceant confessionem in Sacramentis cæteris non requiri. De dispositionibus accedentium ad Sacramenta *mortuorum* suo loco.

Secunda Pars probata est lib. 19. cap. 4.

Prob. 1. Pars.

CAPUT

# CAPUT XIX.

## Disputatur de primo Sacramentorum effectu, id est de Gratia.

### *SUMMARIUM.*

1. Sententia Lutheranorum, & Calviniſtarum.
2. Doctrina Catholicorum.
3. Quid ſit producere gratiam ex opere operato?
4. Quomodo Sacramenta ſint inſtrumenta gratiarum?
5. Calumniæ hæreticorum.
6. Vindicantur DD. Catholici.
7. Sacramenta novæ, & veteris legis habent diſtinctam vim.
8. Fruſtra hæretici pro ſe citant Auguſtinum.
9. Sacramenta veteris legis non per ſe, ſed per accidens contulerunt gratiam ſanctificantem.
10. Probatur ex ſcriptura, & Patribus.
11. Sacramenta veteris legis conferebant gratiam ex opere operantis.
12. & 13. Solvuntur objectiones.
14. Sacramenta novæ legis ex merito paſſionis Chriſti vim juſtificandi habent.
15. Uſque ad 21. ſatisfit objectionibus.
21. & ſeqq. problema: an circumciſio contulerit gratiam ex opere operato.

1. Status quæſtionis.

MAgnum nobis cum Novatoribus circa Sacramentorum *efficaciam* diſſidium eſt, quod cum pluribus verborum involucris proponi ſoleat, principio eſt accurate exponendum. Novatorum capita, Lutherus, & Calvinus, eandem efficaciam veteris ac novæ legis Sacramentis attribuerunt, aſſerentes omne diſcrimen à Scholaſticis propugnatum penitus eſſe exploden-

Lutherus & Calvinus tribuunt eandem efficaciam Sacramentis veteris ac novæ legis.

dum. Ita Lutherus de Captiv. Babylon. cap. de Baptiſmo, & Calvinus lib. IV. Inſtit. cap. 14. n. 23. Liquet id intelligendum eſſe *de efficacia producendi gratiam*, quam contendunt per ſolam fidem divinarum promiſſionum apprehendi; nam alioqui fatentur Sacramenta Evangelica faciliora eſſe, & ad excitandam, obſignandamque fidem efficaciora veteribus. Imo quidam non tantum ajunt Sacramenta eſſe ſymbola gratiæ ſpiritualis, & ad hanc apprehendendam excitare ſenſibili repræſentatione; verum etiam præter virtutem ſignorum extrinſecam, quæ eſt exhibitio cæleſtium donorum, conteſſeratio divinæ dilectionis, & admonitio de mortificatione veteris hominis, vivificatione novi, ejuſque ſpirituali alimonia, adeſſe ſignis virtutem aliam occultam, & aſſiſtentem, id eſt, Spiritum ſanctum, qui gratiam, quam ſignum tribuere non poteſt, homini credenti *efficaciter* confert. Lege Voſſium de Sacramentorum vi, & efficacia Tom. VI. pag. 254. Cum hæc paſſim in Confeſſionibus, libriſque hæreticorum legantur; non defuerunt viri etiam doctiſſimi, qui aſſeruerunt ſola loquendi methodo Proteſtantes à nobis differre, maxime cum ſit inter complures Catholicos ſatis vulgata ſententia, quod Sacramenta ſint gratiæ cauſa *moralis* tantum: non *phyſica*, ad quorum nempe exhibitionem Deus gratiam juſtificationis impertiatur. Sed quamvis hæretici fucum faciant, affirmentque ſe tantummodo vim & energiam interioris gratiæ tribuere Spiritui ſancto, penes quem reſidet agendi virtus, in Sacramentis autem conſtituere ſolum miniſterium; non eſt tamen ſitum in hoc, in quo etiam diſſentiunt Scholaſtici, caput controverſiæ: ſed cum Novatores aſſerant ſolam fidem eſſe inſtrumentum apprehendendi gratiam ſalutarem, docent virtutem Spiritus ſancti comitari quidem externa ſymbola, at non horum ratione impertiri ſalutarem effectum, ſed intuitu fidei ſuſcipientium.

2. Catholicorum doctrina.

Econtra Catholici negantes Sacramenta legis Evangelicæ producere gratiam ex fide, ac merito ſuſcipientium, nec alias partes exercere quàm verbi, aut ſymboli ſenſibilis fidem excitantis; docent (quidquid ſit de modo & genere *cauſalitatis*) eadem Sacramenta gratiam producere *ex opere operato*, eaque, non fidem, nec meritum, aut ſuſcipientium, aut miniſtrantium, eſſe ejuſdem gratiæ inſtrumenta, propterea quod aliquando ſine ulla fide ſanctificationem impertiantur, ut contingit in parvulis; in adultis vero fides ſit quidem ad juſtificationis gratiam diſpoſitio, ſed non apprehendendæ juſtitiæ ratio, aut inſtrumentum, aut menſura, aut cauſa, ut inquiunt Scholæ, *formalis*. Scholarum ſententia definita eſt canone 8. ſeſſ. VII. Tridentinæ: *Si quis dixerit per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam*

*tiam consequendam sufficere, anathema sit.*

3. Quid sit producere gratiam *ex opere operato*?

Ut ergo intelligas quid sit producere gratiam *ex opere operato*; adverte primum ex præcitato Concilio sess. VI. cap. 7. plures ad justificationem causas concurrere: *finalem*, quæ est gloria Dei & Christi, ac vita æterna: *efficientem*, quæ est Deus misericors, qui gratuito abluit & sanctificat: *meritoriam*, id est, Unigenitum filium Dei, qui nobis justificationem promeruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: *instrumentalem*, scilicet Sacramenta; *formalem* denique, nimirum justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, sive justitiam inhærentem, aut gratiam, quam Scholæ appellant *habitualem*. Præter has causas eadem S. Synodus exigit in adultis dispositiones, *fidei*, qua credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, libere moventur in Deum; *timoris*, quo utiliter concutiuntur; *spei*, qua se in Deum erigunt fidentes ipsum Deum sibi, propter Christum, propitium fore; *amoris*, quo ipsum Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; *detestationis* peccati, cum propositio inchoandi novam vitam, & suscipiendi baptismum: quæ disertissime sacrosancta Synodus ibidem enumerat, & nos de justificatione disputantes prosecuti fuimus lib. XIX. cap. 4. Harum vero dispositionum necessitas ex iis, quæ sæpe diximus, aperte dignoscitur; nam cum peccatis homo adhæreat libere, perversa cupiditate, & voluntaria malitia; necessum est, ut divina gratia excitatus libero arbitrii motu ad justitiam accedat.

4. Sacramenta sunt Instrumenta gratiarum, & quomodo?

Sacramenta itaque sunt *instrumenta gratiarum*: in quorum instrumentorum usu duas actiones distinguimus: una *externa* est, qua materiam à Deo præscriptam, certisque verbis consecratam exhibet dispensator, aut probus, aut improbus; eamque applicat subjecto, aut prædictis dispositionibus exornato, aut iis destituto: altera actio est *intima & occulta*, qua Deus, non intuitu probitatis ministri, aut dispositionis suscipientium, sed vi institutionis, in qua relucet Dei misericordia & Christi meritum, per signa sensibilia largitur gratiam, quæ, modò pravæ voluntatis obicem non inveniat, (ut autem non inveniat faciunt dispositiones prædictæ) suscipientes mundat, sanctificat, innovat, corroborat. Est itaque produci gratiam *ex opere operato* illam produci per Sacramenta, tanquam per causam instrumentalem, non vi exterioris actionis tantum, sed etiam intimæ, qua Deus dona spiritalia impertitur ob dignitatem institutionis, & applicationem meritorum Christi signis sensibilibus divina voluntate, & instituto Christi alligatam: sicuti produci gratiam *ex opere operantis* est illam produci, non ob rei exhibitæ institutionem, non ob dignitatem signorum, non ob merita Christi visibilibus symbolis alligata, sed intuitu probitatis ministrantium, & fidei suscipientium; quemadmodum duo minuta à muliere pauperrima in gazophylacium projecta *ex opere operantis* habuerunt meritum singularis, insigniseque eleemosynæ. Placet mihi plurimum hæc explicatio *operis operati* tradita etiam ab Andrea Fabricio Leodio Animadvers. in artic. XIII. Confessionis Augustanæ pag. 293. & à Cassandro ad art. VIII. inter Opera Grotii Tom. IV. pag. 570. primum, quia Fabricius videtur recte Catholicæ doctrinæ sensum assecutus; deinde, quia ejus explicationi nullatenus repugnant variæ Scholasticorum expositiones: postremo, quia hac una præmissa eliminantur calumniæ, & fraudes omnes hæreticorum.

Respondetur, Produci gratiam ex *opere operato*, esse illam produci per Sacramenta tanquam per causam instrumentalem &c.

5. Calumniæ & dicteria hæreticorum præsertim Philippi Melanchthon.

Philippus enim Melanchthon in Confessione Augustana anno 1540. reformata ait art. XIII. *Damnat igitur Pharisaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in Sacramentis requiri, quæ credat propter Christum nobis gratiam dari, sed fingit homines justos esse propter usum Sacramentorum ex opere operato, & quidem sine bono motu utentium*: & in Apologia inquit nos sentire, *quod per ceremonias justificemur sine bono motu cordis, hoc est sine fide, & hanc opinionem magna auctoritate doceri in toto regno Pontificio*: alii autem hæretici post Calvinum lib. IV. Justit. cap. 14. nos immani verborum procacitate proscindunt, quoniam asserimus Sacramenta *ex se* gratiam conferre unicuique non ponenti obicem ipsi gratiæ, quamvis nec credat. Permulti etiam cum Vossio citato Opere num. 72. asserunt in hoc graviter Bellarminum, & Pontificios Doctores errare, quod asserant fidem ad salutem quidem concurrere, quatenus disponit, verbum ratione ejus, quod salutarem gratiam offerat, & Sacramenta, quia eandem conferunt vi actionis suæ, cum eam conferant virtute quidem signi *dispositivè*, at effectivè *immediatè* Spiritus sancti virtute.

2. Item.

3. Vossii.

4. Allorum. Complures etiam nos arguunt, quod in re tam seria utamur profanis illis, ac barbaris vocibus *opus operatum*, & ignoremus etiam regulas verborum, quæ Grammatici appellant *deponentia*.

6. Coercentur. 1. Verùm in his omnibus gerunt se hæretici more suo, & sententiam nostram ignorant penitus, aut splendidissime mentiuntur. Primò enim, cum iidem hæretici ad gratiam justificationis obtinendam *solam fidem* prærequirant; nos etiam alias cordis dispositiones prædicamus, timorem, spem, dilectionem, & cæteras, quæ Tridentina Synodus enumerat sess. VII. cap. 6. & sess. XIV. cap. 4. ubi merito concludit: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit.* Atque id non tantum adversus hæreticorum calumnias sancta Synodus sapienter animadvertit; verùm etiam in articulum XIII. Confess. Augustanæ Andreas Fabricius, Joannes à Daventria, Alphonsus Virvesius, Georgius Cassander, noster Hoffmeisterus, nec non H. Grotius in adnotatis ad Cassandrum pag. 621. Placet nobis usurpare hæretici hujus verba: *Opus operatum*, inquit, *intelligitur de efficacia, ad honorandam Ecclesiam, & ejus unitatem nobis commendandam, Sacramentis attributa. Cæterum non negant Catholici requiri ad salutarem usum in adultis fidem & Dei amorem: & hæc ita ajunt requiri, ut efficaciæ bonos Deo salvus sit. In his omnibus nihil est controversiæ, si dextera interpretatio accedat.* Atque ita expungitur primum hæreticorum mendacium, & in doctrinam Catholicam singularis calumnia.

2. Quantum ad secundam calumniam spectat, fatetur Philippica XII. pag. 301. Virvesius Scholasticos quosdam antiquiores verè affirmasse gratiam per Sacramenta conferri *non ponentibus obicem sine motu aliquo arbitrii sui.* At nihil habet incommodi hæc opinio, si loquamur de parvulis nondum ratione utentibus; imò nisi admittatur, consequetur non esse baptizandos infantes qui non credunt, ut tenent Anabaptistæ etiam à Luthero refutati. Nam quod hæreticus iste autumat etiam in puerlis excitari fidem, somnium est delirantium. Occurrit Melanchthon dicens fidem infantium suppleri per fidem generalem totius Ecclesiæ, & per fidem specialem gestantium. Non deerunt è Schola Theologi, qui id annuant: ac nos omnium primi subscribemus Augustino dicenti lib. 1. de peccat. meritis cap. 24. num. 25. Infantes *propterea fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodam modo profitentur;* ac ex eodem Augustino lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. XXII. num. 40. & 1. Oper. Imp. n. 56. hanc proferemus rationem, quoniam *ita parvuli per alios credunt, sicut per alios peccatum traxerunt.* Verùm negamus per hanc fidem, & non per Sacramentum parvulos justificari; cum hi, qui Sacramentum recipiunt, sed fidem non præsentiunt, regenerentur & renascantur in Christo; sive negamus alias in fide, quàm dispositionis, haberi partes. Atque ita Theologi illi, si qui sunt, qui scripserunt justificationem non pendere à bono animi motu: locuti sunt de gratiæ efficientia, & Sacramentorum virtute, non de dispositione suscipientium.

3. At quod Vossius ait, nos vim justificationis omnem ponere in signo, sive, ut ajebat Melanchthon, *in ceremonia*; si id hæretici affirment, quasi nos Christi institutionem, & Spiritus sancti efficientiam penitus excludamus, & quasi opinemur Sacramenta esse gratiæ causas physicas naturales, tam putida calumnia est, ut refutatione non egeat; præsertim cum non omnes Catholici fateantur Sacramenta physice gratiam producere, & qui oppositum docent, affirment sensibilia elementa in producenda gratia supra energiam naturalem extolli.

4. Explodenda denique esset calumnia de barbarie, & novitate hujus vocis, *Opus operatum*; nisi ad illam revincendam sat superque essent, quæ diximus cap. 1. de vocabulo *Sacramenti.* Nonnulla addamus tamen. Ac primum sit, nil ad nos pertinere *quid Grammatici velint*, ut de verbo *fœneratur* inquit Augustinus serm. 3. in Ps. 36. num. 6. ac melius esse, *ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi*, ut idem Augustinus ait in Psalm. 138. num. 20. Deinde asserimus ea verba *Opus operatum* non esse primum intrusa, cum Lutherus & Calvinus ad infestandam Ecclesiam eruperunt; quam-

quamvis optimo consilio adversus nova hæreticorum commenta nova etiam vocabula adhibeantur: sed *opus operatum* ante Tridentinum Concilium commemoravit in IV. dist. 1. q. 1. art. 5. Thomas Aquinas, & quinquaginta ferè annis ante Thomam lib. III. de mysteriis Missæ cap. 5. pag. edit Colon. 367. Innocentius III. Significationem verò eorundem vocabulorum occurrere in Patrum scriptis, rectè animadvertit in dissert. de quibusdam SS. PP. locis contra hæresim Berengarii cap. 6. Christianus Lupus. Tandem negari potest esse verba aliqua *deponentia* juxta opinionem vulgarium Grammaticorum, cum Gaspare Scioppio lib. 3. cap. 2. & 3. Minervæ Sanctianæ. *Deponentia* enim sunt ea verba, quæ modo *deposuerunt* passivam, aut activam significationem, cum aliquando fuerint communia & habuerint utramque, aut potius in quibus aliquod nomen *deponitur*: ita consuetum est dicere, *utor bonis, obsequor amicis, ingredior janua, dominor libera civitate:* & verba *deponentia* hæc sunt, non quod activa, aut passiva esse nequeant, sed quia in Grammatica syntaxi *deponimus* vocabula, *usum, obsequium, ingressum, dominium*, utpote verbis ipsis *utor, obsequor, ingredior, dominor* satis expressa. Cæterum si dixero activorum verborum servata syntaxi: *argentum abutar, abutitur operam, utor amicos, obsequor omnia, pontem ingredior, fungitur officia, pascuntur sylvas*, nemo me reprehendet, qui perlegerit Terentium, Plautum, Catonem, Virgilium. *Dominor* etiam passiva significatione usurpatur à veteri poeta, apud Ciceronem de Officiis; *ulciscor* à Memmio apud Sallustium in Jugurtha. Atque ita *opus operatum* non Schola tantum, sed etiam Latinissima Synodus retinuit absque labe orationis. Sed hæc ad Grammaticos. Collata, ut arbitror, in bono lumine controversia, expunctisque hæreticorum dicteriis, quæstionem distinctis thesibus nitar dirimere.

7. Propositio I.

Propositio I. Non est Sacramentorum omnium, tam veteris, quam novæ legis eadem vis, atque efficientia.

Non est eadem vis Sacramentorum veteris & novæ legis. Prob. I. Ex script.

Probatur 1. ex Scripturis; Sacramenta enim vetera appellantur ab Apostolo, ut vidimus cap. 1. *infirma, & egena elementa*, ad Galat. IV. 9. & dicuntur vim solam habuisse sanctificandi *ad emundationem carnis*, id est, conferendi *per se* sanctitatem tantum legalem, ad Hebræos IX. 13. econtra verò Sacramenta novæ legis dicuntur renovare hominem, sanctificare animam, & salvum facere, ut dicam infra. II. Si Sacramenta vetera habuissent cum novis eandem efficientiam, ab istis nulla alia ratione discrepassent, *nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi;* quod proscriptum est canone 2. sess. VII. Tridentini. III. S. Pater Augustinus antiquitatis fidelissimus testis lib. XIX. contra Faustum cap. 13. inquit: *Prima Sacramenta, quæ observabantur & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi, quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitiæ fidei revelata.* In Psalmum quoque LXXIII. num. 2. *Sacramenta*, inquit, *non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem . . . Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* Vide & Epist. ad Jan. 54. aliàs 118. laudatam cap. v. hujus libri, adeasque Hier. Torrensem in Confess. Augustin. lib. III. cap. 1. n. 4. & in Panoplia lib. III. cap. 2. Wilhelmum Lindanum. IV. Veteres justi, quantumvis Sacramentis muniti, post mortem inferni carcere tenebantur, ut liquet ex Gen. XXXVII. 35. Job. XVII. 13. Psalm. LXXXVIII. 49. & ex Epist. ad Hebræos XI. 13. 39. At applicato nobis per Sacramenta merito passionis Christi, confertur jus proximum cælestis regni, & sine culpa defunctis ipsius regni possessio, scribente Paulo ad Ephes. II. 5. *Et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu, &c.*

2. Ex Trid.

3. Ex Aug.

4. Ex ratione.

8. Hæretici citantes Augustinum.

Reponunt hæretici decipi nos magnificis Sacramentorum laudationibus. Augustinus enim nihil aliud contra Faustum contendit, nisi Sacramenta veteris legis Christum prænuntiasse, nostra verò illum annuntiare; illa fuisse promissiones complendarum rerum, hæc indicia completarum; & consequenter non in efficacia, & vi producendi

cendi gratiam differre, sed tantum in ratione significationis, ac promissionis, per quam Sacramenta novæ legis præsentem Salvatorem exhibentia facilius fidem excitant. Atque hanc esse mentem Augustini inferunt ex Q. XXXIII. in Num. ubi de Sacramentis ait: *Eadem quippe sunt in vetere & novo* Testamento: *ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata.*

Decipiuntur & remittuntur.

Verùm decipiuntur potius miserrimis hisce Calvinianis subterfugiis heterodoxi. Nam priori in loco contra Faustum disertè Augustinus Sacramenta nova appellat *virtute majora, utilitate meliora.* Quid sit autem *hæc virtus*, demonstrat proximo cap. XVI. affirmans eam non esse externam ablutionem, aut verba celeriter prætereuntia, quibus, ut hæretici tenent, fides forinsecus excitetur; sed esse spirituale donum, & gratiam permanentem, & qua nobis arrha æternæ vitæ confertur. *Virtus autem* (inquit) *quæ per ista operatur, jugiter manet, & donum spirituale, quod per ipsa insinuatur, æternum est.* Quod si hæretici reponerent hanc virtutem esse efficientiam Spiritus sancti; fateri deberent hanc efficientiam spirituale donum operari *per Sacramenta*, ut Augustinus affirmat, non per solam *fidei* excitationem. At dum hæretici vim Sacramentorum denegantes detorquent verba Augustini; deprehendere debent sacrilegii notam, qua eodem libro cap. XI. à D. Parente inuruntur his verbis: *Quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit: impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* In secundo autem testimonino tam apertè Augustinus affirmat per nova Sacramenta *salutem dari*, ut nihil habeant hæretici quod reponant, nisi Augustinum per hyperbolen accipiendum. Ex præcitata etiam quæst. 33. in Num. Calvinus refellitur; ibi namque Augustinus n. 9. docet *in aqua dispersionis*, qua Judæi mundabantur à contactu mortuorum, & à cineribus vitulæ, *significatum baptismum Christi Judæis & gentibus profuturum*; & num. 11. ait, *Proinde qui Sacramento baptismi recte abluitur, quod illa aspersionis aqua figurabatur, mundatur & spiritaliter, id est, invisibiliter & in carne & in anima.* Quid ergo? In hoc per Augustinum sita est novorum Sacramentorum præstantia; quod non solum excitant ad Christi fidem, commonstrantque adimpleta, quæ in veteribus obumbrata, ac præfigurata fuerunt; verum etiam Sacramenta nova sunt *meliora, salubriora, feliciora;* & ubi antiqua aspersio aquæ mundabat *legaliter*, auferendo immunditiam carnis & vestium ortam ex contactu cadaveris; baptismus in aspersione illa præfiguratus *inenarrabiliter valet plurimum*, & mundat *spiritaliter & invisibiliter*, ut simus sancti corpore, & spiritu. Vellem, ut prudens lector in hisce expendendis aliquantulum immoraretur.

9. Propositio 2. Sacramenta vetera non *per se*, sed *per accidens* contulerunt gratiam sanctificantem.

Prop. II. Quamvis vetera Sacramenta *per se* non conferrent gratiam sanctificantem, sed tantum emundationem carnis, & sanctitatem legalem, tamen etiam illam gratiam contulerunt *per accidens*, & quatenus erant protestativa fidei suscipientium.

Scholastici veteres hîc dissentire videntur.

Videntur Theologi in hâc propositione plurimum dissentire; nam Magister in IV. dist. 1. ait Sacramenta vetera significandi tantum gratiâ fuisse instituta, neque illis unquam homines justificatos, etiamsi in fide & charitate ea suscepissent. At Hugo Victorinus lib. 1. de Sacrament. fidei p. 8. cap. 11. & 12. scribit etiam illa Sacramenta instituta, ut illis Deus hominibus medicinam præberet, eundemque effectum habuisse cum Sacramentis legis novæ, & unam sanctitatem præstasse. S. Bonaventura in IV. dist. 1. p. 1. q. 5. Hugoni adhærens, ait quidem Sacramenta antiquæ legis instituta in significationem futurorum, sed tamen per accidens justificasse; quatenus in eorum susceptione erat fidei protestatio. S. denique Thomas 1. 2. q. 103. art. 2. & 3. p. q. 62. art. 6. negat Sacramenta Mosaicæ legis contulisse gratiam sanctificantem, & expiasse à peccatis. Posteriores autem Theologi quidam Hugoni ac Bonaventuræ adhæserunt, ut Estius in IV. dist. 1. §. 28. quidam D. Thomæ, ut Bellarm. lib. 2. de Sacramentis cap. 13. At ego in primis, ut facilius refutentur hæretici, qui nobis hac præsertim in re scholarum dissidia objectant, arbitror Magistrum, Hugonem, Bonaventuram, & Thomam, verbis tantum, non re discrepare; tametsi aliter unum, aliter alterum sentire scribant tales viri, quales sunt Bellarminus, Suaresius, Estius. Enimvero Magister scribens *quod vetera Sacramenta promittebant tantum & significabant, non conferebant salutem*, nec aliquis justificabatur ex operibus legis, *etiamsi*

Quos Conciliat Auctor.

*in*

*in fide & charitate fierent*, nihil habet quod Apostolo, Augustino, & Theologorum Scholæ adversetur, si plano obvioque sensu accipiatur, quod non *per se*, sed per fidem Mediatoris, quam præsignabant, ceremoniæ veteres justificationem impertiebantur; cum *per se* institutæ tantum sint gratiâ significandi, & in servitutem onusque populi pervicacis. Atque hunc esse Magistri sensum ex præcitata dist. 1. n. 1. & 2. perspicuum est. Non alia ratione accipiendus est Hugo, quippe lib. 1. de Sacram. p. 12. num. 5. primam inter Sacramenta nova ac vetera differentiam constituit, *quod Sacramenta novi testamenti gratiæ spiritualis signa sunt, & ad ipsam gratiam conferendam infusa sibi benedictione principaliter instituta.* Sacramenta autem vetera erant *horum signa tantum*, & gratiam conferebant non infusa sibi benedictione, *sed mediantibus iis, quorum signa fuerunt*, ne sine salute essent, qui redemptionis tempora præcesserunt. Quare etiam Hugo censuit vetera Sacramenta *per se* fuisse nuda signa futuræ reparationis, & gratiam contulisse tantummodo *ratione fidei* in Christum, quem promittebant. Sanctus etiam Bonaventura iisdem Hugonis vestigiis insistens docet citato loco Sacramenta vetera non *per se*, sed *per accidens* justificasse, ratione scilicet fidei operibus legis conjunctæ; tametsi Bonaventura interpretatus sit Magistrum, quasi scripserit nunquam vetera Sacramenta, contulisse gratiam *nec per se, nec per accidens:* quod nescio, an apud Magistrum inveneris. Tandem Beatus Thomas laudato art. 6. ait quidem Sacramenta veteris legis non contulisse gratiam sanctificantem, sed addit, *per se ipsa, id est, propria virtute*, quatenus scilicet veteres justi non per Sacramenta, eorumque usum justificabantur, sed ratione fidei in futurum Reparatorem, cujus fidei Sacramenta legis erant *quædam protestationes.* Atque his ipsorum Doctorum verbis & doctrina explicatis constat inter ipsos nullum, vel minimum interesse discrimen; cum singuli, sive dicant Sacramenta legis significasse duntaxat, non contulisse salutem; sive affirment non contulisse gratiam *per se*, propriaque virtute; sive doceant justificasse ratione fidei adjunctæ; hoc unum intendant, gratiam non esse tribuendam virtuti antiquorum Sacramentorum, sed fidei: cujus tamen fidei virtute etiam per illa Sacramenta collatam esse justitiam, nullus, si probe sentio, negare potest.

Itaque præmissis veterum Scholasticorum vindiciis, eorumque conciliatis sententiis, ad hunc modum propositionem stabilio. I. Ex Apostolo ad Hebr. v. omnis Pontifex, etiam Aaronici ordinis, constituitur in his, quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et quidem sacrificia pro peccatis instituta, liquet ex libro Numerorum: oblata autem ad avertendam Dei indignationem, & statutas scelerum pœnas, ex Regum historiis, librisque Machabæorum. Haud inficiamur præcipuam institutendorum sacrificiorum rationem esse obsequium cultumque præstandum supremo Domino: concedimus etiam sanguinem hircorum & vitulorum contulisse vi sua munditiem tantum legalem, nec Judæos à servitute legis immunes penitus reddidisse; sed cum omnia in figura contingerent, præsignabant, ita pro hominibus mactandum fore Christum, agnum Dei immaculatum, expiandamque hujus sanguine conscientiam universorum, sicut hostiæ substituebantur pro transgressoribus, & lustrationes conferebant carnis emundationem. Id vero disputantes contra Socinum libro XXVI. demonstravimus. Hac ergo veterum figurarum umbra patres ad fidem promissi liberatoris pertrahebantur; atque ita per hanc fidem & gratiam Christi emundabantur ab animi inquinamentis, ita, ut legis signa non quidem *per se*, sed *per accidens* gratiam sanctitatis conferrent. Conciliantur hoc pacto adversæ specietenus Scripturarum sententiæ, quod nempe ea Sacramenta egena fuerint, vacua, inutilia, infirma, umbræ futurorum, nec vim habentia auferendi peccata; & quod per ea homines Deo placuerint, supplicia evitarint, veniam patratorum scelerum obtinuerint: quorum primum est antiquis Sacramentis *essentiale* & intrinsecum; alterum adventitium & *accidentarium* est, proveniens nempe ex fide, atque pietate credentium.

10. Propositio probatur 1. ex Apostolo.

II. Saltem sensu explicato Sacramenta vetera contulisse gratiam affirmant Ecclesiæ Patres: Ambrosius enim lib. VII. in Lucam num. 166. scribit: *Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est, venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore. Adventum ejus ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est: circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificavit gratia.* Sane Ambrosius non tribuit legi vim sanctificandi *per se*, nam præceden-

2. Ex Patribus.

ti libro III. in Lucam scripserat legem *ab ea pietate, quæ secundum Deum est, decretorum difficultate* prohibuisse, atque ideo fuisse utilem incredulis & necessariam infirmis, quia *lubricos & errantes præcepti salutaris austeritate* cohibebat: libro etiam VI. num. 35. docet eatenus legem sanctificare, quatenus peccata reprehendit, atque ita qui per legem *prævaricationis crimen agnoscit, currit ad pœnitentiam, & consequitur gratiam.* Atque hoc est, quod Scholæ Magistri appellaverunt, sanctificare *per accidens.* Consonat Augustinus, qui in Leviticum q. 84. demonstrat nihil prodesse *Sacramentum visibile sine invisibili sanctificatione*, affirmatque Moysen sanctificasse *visibilibus Sacramentis per ministerium suum*, Dominum autem *invisibili gratia per Spiritum sanctum.* A visibilibus ergo Sacramentis, etiam antiquis, Augustinus minime gratiam sanctificationis disjungit. At non ait S. Pater vetera Sacramenta sanctificasse *per se:* imo discrimen maximum statuit inter vetera & nova, ut vidimus præced. proposit. & consequenter docet solum, Sacramenta legis justificasse *per accidens*, & merito fidei Evangelicorum mysteriorum, quæ præsignabant: atque id paulo post egregius Doctor affirmat de sacrificiis legalibus, scribens quæst. 25. in Num. *Si per seipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.* Eadem est sententia Leonis Magni serm. 2. de Pentecost. cap. 4. quo in loco, *Omnes sancti*, inquit, *qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratia, nulla unquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.* Verum eo loci S. Pontifex docet quidem nunquam sine Spiritus sancti virtute, aut remissa fuisse peccata, aut instituta fuisse Sacramenta; sed minime Sacramentis omnibus tribuit eandem efficientiam. His assertum nostrum comprobatum est, ac demonstratum simul quo sensu nonnulli Patres vim producendi gratiam veteribus Sacramentis tribuerint, & quomodo fallantur hæretici, qui prædictorum Patrum auctoritate oppugnare nituntur præcedentem primam propositionem.

II. Propositio. Sacramenta vetera confe-rebant gratiam *ex opere operantis.*

PROPOSITIO III. Sacramenta veteris legis gratiam conferebant *ex opere operantis*: de circumcisione tamen diversæ sunt Scholasticorum Doctorum sententiæ, ut dicetur infra num. 21. &c.

Prob. 1. ex propositione præcedenti.

Prima pars sequitur ex dictis; si enim vetera Sacramenta per se valebant tantum ad emundationem carnis, & ad conferendam justitiam legalem, peccatum autem auferre non poterant, nisi ratione fidei in futurum Reparatorem, quem promittebant; profectò nonnisi *ex opere operantis* sanctificabant.

2. Ex Conc. Florent.

Deinde confirmatur hæc propositio verbis Florentini Concilii in decreto unionis, ubi inter vetera ac nova Sacramenta hoc statuitur discrimen: *Illa non causabant gratiam, sed eam solum per Christi passionem dandam figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt:* quæ verba consonant productis ex Augustino, *Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promittebant Salvatorem.*

12. Objectio 1ma.

Opp. 1. Liquet ex Scripturis ac Patribus, etiam sacrificia vetera sanctificasse, & effecisse peccatorum expiationem. Deinde Petrus in priori Epistola III. 20. comparat aquam baptismatis aquæ, per quam in diebus Noe salvæ factæ sunt octo animæ. Paulus etiam in 1. ad Corinth. x. 2. de Patribus Testamenti veteris ait: *Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, &c.* Si ergo aqua baptismi, & panis Eucharisticus *ex opere operato* producunt gratiam; idem, eodemque pacto præstiterunt mare rubrum, & manna.

Solutio.

Resp. ex Scripturis ac Patribus manifestum esse, quod Sacramenta sanctificabant tantum per accidens, *per se* autem erant significativa gratiæ, quatenus aut conferebant sanctitatem legalem, aut eripiebant transgressores à morte corporis; quæ gratiæ redemptionisque à Christo perficiendæ erant symbola, ut explicatum est supra. Idem est sensus verborum Petri, qui scribens citato loco, *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*, demonstrat in arca Noe Ecclesiam, in aqua baptismum, in corporum à naufragio liberatione præfiguratam fuisse æternam animarum salutem. Ea enim verba *similis formæ*, non virtutis æqualitatem significant, sed figuram, similitudinem, ac typo respondens exemplar, extatque in Græco

Græco ἀντίτυπον: quo vocabulo Apostolus ad Hebr. IX. 24. appellat *manufacta sancta exemplaria verorum*, ἀντίτυπα τῶν ἀγιῶν. Eadem significatione alloquitur Corinthios Apostolus, nec aliud docet, nisi nubem ac mare fuisse typum baptismatis, manna Eucharistiæ, petram, ex qua fluxerunt aquæ Christi, ex cujus latere Sacramenta exiere, terram promissionis umbram cœlestis regni, prostrationem in deserto symbolum reprobationis. Hortatur enim Apostolus Corinthios, ne sibi impunitatem polliceantur, si obsequentes sint illecebris concupiscentiæ, freti nimium baptismatis & Eucharistiæ virtutibus. Utitur autem hoc argumento. Quidquid priscis contigit Patribus, id in figura factum est nostri: omnes Judæi fuerunt sub nube ac transierunt mare, atque id præsignabat baptismum: omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, scilicet manna symbolum Eucharistiæ: omnes biberunt de petra, quæ erat figura Christi, & nihilominus qui vitulum adoraverunt & fornicati sunt, in solitudine perierunt. Hæc omnia nobis præbuerunt exemplum, ac præsignarunt fore, ut miserrime pereamus, neque nos Sacramenta eruant à perditione, si improborum Judæorum sectemur scelera. Vide præclarum Apostoli Commentatorem Estium, nec non ex Acatholicis Cappellum, & Grotium. At quid interpretes adeundum? Sese explicat Paulus scribens versu 5. & seq. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.*

Instantia Calviniana. At inquiunt Calvinistæ: Si eandem ac nos escam manducarunt, eundemque susceperunt baptismum; habuerunt etiam eadem, ejusdemque virtutis mysteria.

Solvitur. Respondet Bellarminus libro 2. de Sacramentis cap. XVII. sic intelligendum esse Apostolum, ut significarit Patres manducasse eandem escam *inter se*, non eandem *nobiscum*: quam responsionem probant Scholastici, ut Cardinalis Gotti Tom. XIII. pag. 71. Habert Tom. V. pag. 29. Nec ego huic responsioni adversabor: primum, quia scopo Apostoli nuper expositio quadrat optime: deinde, quia non ait Paulus, eundem cibum, eundem potum nobiscum, sed absolute eundem cibum, eundem potum; præterea, quia Christus Joannis 6. 32. affirmat Moysen non dedisse *panem de Cælo verum*, manna ab Eucharistia distinguens. Cæterum non desunt Patres, qui ita Apostolum interpretantur, ut Judæi etiam eundem panem nobiscum manducaverint; non Augustinus tantum in Psalmum 7. 22. & Tractatu 45. in Joannem num. 9. sed etiam Anselmus, & Divus Thomas in caput X. Epistolæ 1. ad Corinthios. Hunc etiam sensum probat lib. VI. Biblioth. cap. 196. Sixtus Senensis; nec aliter sentiunt, auctore Estio in Paulum pag. 291. Græci Patres. Verum neque hæc interpretatio suffragatur Calvino. Augustinus enim in præcitatum Psalmum, ait, *Idem itaque in mysterio cibus & potus illorum, qui noster, sed significatione idem, non specie, quia idem ipse Christus illis in potu figuratus, nobis in carne manifestatus.* Quod proximo num. 3. enucleatius exponens agnoscit in Sacramentis veteribus, non rem, sed figuram eorum, quibus nos fruimur, longa oratione prosecutus, quæ nos paulo supra extremis delibavimus labris. Nec aliud Augustinus Tract. præcit. in Joannem, ubi docet veteres eundem cibum manducasse, eundemque bibisse potum, *si attendamus intelligibilem significationem*; nam inquit, *quid nos bibamus, norunt fideles*: bibimus namque ac manducamus quod profanis consuetum non est revelare. Est autem utrobique Augustini scopus commonstrandi nobiscum Patres fidei societate fuisse conjunctos, nec aliud antiquis signis prænuntiatum, quàm quod apprehenditur novis, ita, ut veteres habuerint symbola earum rerum, quarum nos veritatem sumus assecuti. Ac idem tradere duo Ecclesiæ lumina, Anselmum, ac Thomam commonstrant eorum scripta: ille siquidem ait, antiquos Patres eundem nobiscum panem, potumque gustasse, quoniam manna & aqua habebant in se *figuram corporis & sanguinis Domini*: iste autem, *eandem*, inquit, *escam spiritualem manducaverunt, id est, Christi corpus in signo spiritualiter intellecto.* Nos itaque hæreticis hac responsione, nec à Thomistis rejicienda, occurremus: Antiqui Patres eandem nobiscum escam manducaverunt, eandem *significatione ac symbolo*, concedo: eandem *reipsa, ac virtute*, nego.

13. Objectio 2da. Insuper oppones: Sacramenta novæ legis, ut dicendum est infra, gratiam conferunt *ex opere operato*, quoniam vim habent ex Christi passione: cur verò idem dicendum non est de Sacramentis

mentis veteris legis, cum omnes Sancti tam novi, quam antiqui fœderis, nonnisi merito passionis Christi salutem sint consecuti?

Responsio 1ma. Thomistica.

Resp. S. Thomas q. 62. art. 6. ad 1. virtutem passionis Christi copulari nobis per fidem, & per Sacramenta; sed unionem, quæ fit per fidem esse per actum animæ, unionem verò, quæ est per Sacramenta, fieri per usum exteriorum rerum: & quoniam actus animi potest etiam futura apprehendere, ideo antiqui justi salvi sunt per fidem Christi venturi; econtra quia id, quod nondum est, nequit movere secundum usum exteriorum rerum, passio Christi nondum peracta non justificabat per usum visibilium Sacramentorum. Hanc responsionem non probat illustris Estius in IV. dist. 1. §. 28. quia etsi tempore veteris legis mysterium passionis Christi nondum esset peractum, Deus tamen respiciens in passionem Christi futuram potuit hominibus illius temporis conferre gratiam per Sacramenta, tanquam per signa, quibus divina virtus infallibiliter assisteret. Nec necessum est, inquit, ut, quod movet in genere causæ efficientis, existat, aliàs nec moveret id, quod jam esse desiit, atque ita nec Sacramenta novæ legis virtutem haberent à passione Christi transactâ profluentem. Hæc Estius. Propugnari tamen potest responsio Thomistica, si spectetur tradita à D. Thoma inter actum animi, & usum rei sensibilis differentia, & si attendatur juxta D. Thomam Sacramenta novæ legis esse instrumenta gratiæ physica, aut physicis similia, quæ non à prævisa Christi passione, sed à peracta virtutem habent suam: atque ita vindicat S. Thomæ doctrinam Franciscus Sylvius in eundem articulum pag. 207.

Responsio 2da Auctoris.

Quoniam tamen ipso Sylvio fatente talis Sacramentorum causalitas incerta est, cudam ingeniolo meo responsum alterum, & ni fallor, planissimum. Testamenta duo sunt, & utriusque Sacramenta diversa; fides autem est una. Vetus testamentum vitulorum & hircorum sanguine confirmatum est; novum Christi morte, præsignata in hostiarum veterum mactatione. *Et ideo*, inquit Apostolus ad Hebr. IX. 15. *novi testamenti mediator est;* cumque vetus testamentum haberet umbram futurorum bonorum, Christus morte sua veterem legem, hujusque Sacramenta abrogavit, institutis Sacramentis salubrioribus. At fidem antiquam non eliminavit, sed confirmavit; quod enim veteres credebant futurum, id nos credimus jam completum. Hinc antiqui Patres ratione legis, ejusque symbolorum pertinebant *ad vetus testamentum;* ratione fidei pertinebant *ad testamentum novum.* Legito Augustinum lib. de Grat. novi Testam. ad Honoratum, sive Epist. 140. aliàs 120. num. 5. & seq. Puto in his nihil occurrere difficultatis. Respondendum est itaque, etiam antiquos Patres justificatos ex fide Christi, ejusque passionis merito: quia fides est una, & ad hanc confirmandam Christus profudit sanguinem; non fuisse autem justificatos per Sacramenta, quoniam hæc diversa sunt, nec Christus mortem subiit, ut confirmaret Sacramenta legis. Quare negandum est collatam fuisse veteribus Sacramentis vim justificandi *ex opere operato* intuitu passionis Christi.

14. Propositio 4. Sacramenta novæ Legis justificant ex meritis passionis Christi. Prob. præter jam dicta 1. Auctoritate PP.

Propositio IV. Sacramenta novæ legis ex merito passionis Christi justificandi vim habent.

Sequitur ex dictis, & confirmatur auctoritate Sanctorum. I. Hieronymus in cap. 43. Isaiæ, Tom. III. pag. 326. ait in Baptismate dimitti peccata, & vetus chirographum deleri *in aspersione & sanguine novi testamenti.* Et in Epist. 82. ad Oceanum Tom. IV. pag. 651. scribit: *Latus Christi percutitur lancea, & baptismi atque martyrii pariter Sacramenta funduntur.* In Dialogo etiam adversus Pelagianos lib. 1. pag. ejusdem Volum. 504. *Redimitur*, inquit comparans Sacramenta urbi fugitivorum, *redimitur sanguine Salvatoris, aut in dono baptismatis, aut in pœnitentia.* Plura Schultingus Confess. Hieronymianæ pag. 654. Augustinus etiam Tract. XI. in Joan. 4. *Significabat mare illud rubrum baptismum Christi. Unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus?* Ex latere Christi in cruce transfixo Sacramenta Ecclesiæ profluxisse tradit S. Pater lib. XV. de Civit. Dei cap. 26. in Psalmum 40. & 55. aliisque in locis. Hoc ideò ab Augustino dictum esse, non solum quia sanguis & aqua significant baptismum cæterorum Sacramentorum januam, & Eucharistiam in qua pretium ipsum sanguinis continetur, verum etiam, quia Sacramenta à morte Christi virtutem accipiunt suam, ex Tractatu CXX. in Joan. n. 2. sapienter in articulum V. q. 62. ratiocinatus est Sylvius.

Tandem

2. Ratione.

Tandem accedit ratio insinuata articulo eodem à D. Thoma: etenim per Sacramenta nobis Christi passio applicatur, Christo conjungimur, Christi gratia fulcimur, ac *per baptismum cum Christo consepulti sumus in mortem*, ut Apostolus inquit ad Rom. VI. 4. & ad Coloss. II. 12. Per Eucharistiam digne susceptam in Christo manemus, ac propter eum vivimus, Joan. VI. 57. 58. Per cætera Sacramenta aut gratiam, aut gratiæ recipimus incrementum: quæ passionis Christi effecta esse saluberrima, nemonon novit.

15. Propositio 5. Sacramenta nova producunt gratiam *ex opere operato*. Constat ex Trid. cit.

PROPOSITIO V. Eadem novæ legis Sacramenta *ex opere operato* producunt gratiam.

Hæc propositio definita, ut diximus, Tridentino canone, præcedentium dissertationum consectarium est. Si enim in hoc sita est natura Evangelicorum Sacramentorum, quod sunt signum efficax gratiæ, si perficiuntur verbis, quorum non est munus præcipuum fidem promovere, sed subjectam consecrare materiam, & si, quod nuper vidimus, inter nova ac vetera Sacramenta discrimen est maximum, non tam in diversitate rituum, quam in derivata à merito Christi virtute; necessario Sacramenta hujus legis debent ob gratiæ ubertatem & efficientiam præferri vetustioribus, & spiritualia dona impertiri *ex opere operato*; quod nihil est aliud, nisi visibilibus signis vi institutionis, & merito passionis Christi conjunctam esse virtutem sanctificandi. Addamus tamen quædam pro Catholica veritate momenta.

Item ex Scripturis, & probatur 1. per omnia Sacramenta.

Ac primo constat ex sacris literis per Sacramenta nos salvos fieri, exuere veterem hominem, innovari spiritu, regenerari, renasci, peccatorum obtinere remissionem, sanctificari, mundari, donis spiritualibus exornari. Quid ad significandam vim & energiam producendi gratiam potest proferri expressius? Assumptum, ut vocant, probatur: nam de baptismo legimus Joannis III. 5. *Nisi quis renatus fuerit in aqua & Spiritu sancto.* Ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* Ad Galat. III. 27. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c.* De Confirmat. Act. VIII. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* De Eucharistia Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* De Pœnitentia Joan. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Ordine, gratiam conferri per impositionem manuum presbyteri ait Apostolus 2. ad Timoth. VI. 6. De Unctione extrema inquit Jacobus V. 14. *Si in peccatis* (infirmus) *sit, remittentur ei.* De Matrimonio, etsi idem expresse in Scripturis non habeatur, ejus tamen gratiam commendat, quod Christus benedixerit nuptiis, easque præsentia sua consecraverit, Joan II. 2. Utuntur his testimoniis Theologi omnes, Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 3. Estius in IV. dist. 1. §. 4. Tournely q. 3. art. 1. Habert cap. 4. q. 7. aliique communiter.

16. Objectio hæreticorum. 1. 2. 3. 4.

Respondent hæretici. 1. figuratas esse locutiones, quæ baptismum comparant aquæ lavacro, ac demonstrare tantummodo Spiritum sanctum animam purgando, & irrigando, quasi aquarum munere fungi. 2. Sacramenta eatenus peccata dimittere, quatenus fidem excitant. 3. aperte Petrum epist. 1. cap. III. 2. non aquæ abluenti sordes carnis, sed *bonæ conscientiæ interrogationi* tribuere gratiam salvificam. 4. etiam Jacobum non unctioni, sed orationi fidei adscribere ægrotantium levamen & gratiam.

Solutio Ad 1.

Verum inania sunt hæc subterfugia. Primum quidem; nam etsi demus hæreticis loqui Christum & Apostolos de baptismo tropice, & figurate; in hoc patet positam figuræ rationem, ut sicut aqua nativa virtute sordes carnis extergit, ita salutare lavacrum virtute Spiritus sancti lavat peccatorum inquinamenta; & sicut qui nascitur, fruitur usura lucis, ita qui per baptismum regeneratur, splendore sanctitatis perfunditur. Deinde non Spiritui sancto tantummodo regenerationem & purgationem tribuunt Scripturæ, sed Spiritui sancto & aquæ, Spiritui sancto & baptismi lavacro, ut nempe in Spiritu intelligamus virtutem sanctificationis præcipuam, in aqua vero id, quo virtus ipsa sanctificat, sive causam, ut dici solet, instrumentalem. Ita, ut Sanctorum utar exemplis, dum voce Deus mundum condidit, dum Filius Dei verbo, contactu, sputo, digito, halitu patravit miracula, horum effectricem causam fuisse divinitatem quis negat? verba autem, digitum, sputum, halitum fuisse ipsorum miraculorum instrumenta quis ignorat? Sed vide hujus libri caput undecimum.

Ad 2. II. Nec Sacramenta sanctificant fidem excitando, primum quia in adultis fides Sacramentorum administrationem præcedit: non enim quis baptizatur ut credat; sed imbuitur fide ac baptizatur; ita, ut fides sit dispositio ad rite suscipienda Sacramenta, non apprehendendæ justitiæ instrumentum. Ut enim quando mulier viro desponsatur, notitia requiritur ut contractus sit rationalis & liber, conjugium verò perficitur corporum traditione; ita dum anima desponsatur Christo, requiritur fides, ut sciat cui se devovet & copulatur, sed copulatio hæc peragitur usu visibilium instrumentorum. Si verò baptizandi sint parvuli, quis dicet in his per signa sensibilia excitari fidem, nisi insaniens Lutherus?

Ad 3. III. Affirmans Petrus, quod nos *salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*, principio à baptismate salutem repetit, dicens, *Salvos facit baptisma:* deinde consequentium verborum, me quidem judice, sensus est, baptismus salvat, non quatenus abluit corpus, sed quatenus remittendo peccata animum reddit sibi bene conscium. Etenim hæc expositio simplex & obvia est. Præterea, quemadmodum in hac phrasi *Baptisma non est depositio sordium carnis*, occurrit *metonymia*, quæ sensum reddit, Baptisma non salvat quatenus corporales maculas lavat; ita in phrasi ista, *Baptisma est interrogatio conscientiæ bonæ*, metonymicus sensus est, Baptismus nihil relinquit, quo aliquis facto sui ipsius examine torqueri debeat conscientiâ. Est etiam hæc expositio cohærens lectioni, quam habet Tom. 11. pag. 514. Oecumenius: *Baptisma nos quoque salvat, quo non carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit ut bonæ conscientiæ responsio sit apud Deum.* Hac vero expositione præmissa, torquebit sese perperam serpens hæresis. Quod si placet magis per *interrogationem bonæ conscientiæ* intelligendam internam fidem externa professione expressam à baptizandis, nec ero repugnans; dummodo gratiæ effectus, ad quem fides disponit, ab externa ablutione minime separetur. At Græco vocabulo συνειδήσεως, *conscientiæ*, animum sibi conscium significari non dubito: idque recte expressit Arabs interpres Tom. v. Polygl. pag. 901. *Nunc baptisma salvat nos, non amovendo sordes carnis tantum, sed exhilarando conscientiam.*

Ad 4. IV. Ultimum hæreticorum perfugium consimile est reliquis. Orationem à presbyteris factam super infirmos *formam* Sacramenti nos esse contendimus, quippe non sola adhibetur, sed cum *unctione;* & ad hanc perficiendam, non ad excitandam fidem deservire, illinc patet, quod Unctio extrema etiam iis, qui mente destituuntur, ex antiqua consuetudine administratur. Sed de his instituenda rursus disputatio: legendus interim Estius in Epistolam Jacobi pag. 1144.

17. Prob. propositio sta 2. Traditione Patrum. Præterea thesis confirmatur traditione Patrum. Justinus enim Apol. pag. 94. ait nos, quemadmodum progenerati sumus *liquido genitali satu*, ita per baptismum renasci, & *remissionem antecommissorum peccatorum consequi in aqua.* Tertullianus de Baptismo cap. 4. *Supervenit statim Spiritus de cœlis, & aquis supereſt, sanctificans eas de semet ipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Et infra: *Medicatis quodammodo aquis, & Spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in iisdem spiritualiter mundatur.* Ac sexto capite: *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus quòd in aqua mergimur; spiritalis effectus quòd delictis liberamur.* De Resurrect. autem carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, & anima consecratur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut spiritus illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Cyprianus Epist. lxx. *Ungi*, inquit, *necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Gregorius Nyssenus Orat. in Baptismum Christi ait: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. IV. num. 11. in hoc præfert baptismum mari, per quod transiit Judæorum populus, quòd Judæi mortui sunt in deserto, at qui regeneratur baptismo, per hunc fontem transit *à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem: qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.* Et proximo cap. num. 15. docet aquam illam sanare, *quæ habet gratiam Christi;* & talem esse aquam baptismatis, posteaquam *Spiritus descenderit, & aquam illam consecraverit.*

Idem

Idem Ambrosius libro 2. de Pœnit. num. 12. exemplo Naamani, qui initio lepram suam per aquam mundari posse non credidit, demonstrat verissimum esse, quod nonnullis *impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua.* Hieronymus prælaudata Epist. ad Oceanum pag. 650. prædicans baptismi laudes, comparat illum aquis, super quas Spiritus Domini in aurigæ modum ferebatur, & nascentem mundum parturiebat: ait baptismi figuram referre exstructionem firmamenti, quod juxta hebraici sermonis etymologiam ex aquis sortitur vocabulum; egressionem pennatorum de aquis, in quibus præfigurabantur fideles, quos baptismus de terra levat ad cælum; fontem in medio paradisi scaturientem; diluvium, quo purgatus est mundus, mare in quo suffocatus est Pharao, & cætera plura, quæ nunc prætermittimus, concludentes Hieronymianis verbis. *In lavacro omnia peccata merguntur.* Augustini, præter ea, quæ producta fuere hujus disputationis decursu, præclara est sententia libro IV. contra Cresconium cap. 16. num. 19. ubi firmissimis argumentis, ipsorumque Donatistarum factis commonstrat, *non eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate, propter eum à quo institutus est.* Cætera, quoniam his recta petitur hæreticorum jugulum, non proferam. Adesis Bellarminum lib. 2. cap. 6. & sept. ex cujus fontibus video ferè omnes bibisse, nec non pervulgatas Confessiones Orthodoxorum, Tertullianianam & Cyprianicam Carthusiensis Petrei lib. III. cap. 1. Ambrosianam Nopelii lib. III. pag. 183. Hieronymianam Schultingi Tom. III. cap. 1. art. 4. & 5. Augustinianam Torrensis pag. edit. Dilingæ 150. 2.

18. Confirmatio. Frustra hæc Patrum testimonia eludent Sectarii: quippe quæ nobis suppeditant ratiocinium istud firmissimum. Sacramenta sanctificandi vim habent à Spiritu sancto: ipsorum spiritalis effectus est peccata remittere: id non à merito hominum pendet, sed ab ipsorum Sacramentorum virtute; & si mortalium animum pulsat hæc dubitatio, quomodo elementa corporalia gratiam conferri possint spiritalem, debemus acquiescere, credentes iisdem elementis inesse Spiritus sancti energiam. Hæc Patres. Atqui asserentes per Sacramenta gratiam *ex opere operato* produci, nihil affirmant aliud, nisi Sacramentis inesse vim sanctificandi, hac vi pollere ex Christi institutione, independenter à fide, meritoque mortalium; & si ab iis quæratur quomodo signa sensibilia producere valeant munera spiritalia, respondent in iisdem signis divinam operationem latitare. Qui ergo asserunt gratiam per Sacramenta *ex opere operato* produci, hi à Patrum doctrina ac sensu nullatenus recedunt.

19. Prob. 3. Ratione. Tandem propositio vulgari hac ratione firmatur. Conferre gratiam *ex opere operato* est illam conferre per administrationem Sacramenti, non per fidem ministrantium, neque per dispositionem suscipientium. Sacramenta novæ legis gratiam non conferunt per fidem ministrantium, quandoquidem fatentur Novatores validum esse baptismum etiam ab hæretico, vel à pagano collatum, imo ab irrisore, à mimo, à diabolo: neque eam conferunt ex sola dispositione suscipientium; tum quia parvuli absque ulla dispositione lavacro regenerationis mundantur; tum quia juxta Evangelica eloquia, si quis credat, sed cum possit baptizari, id negligat, nequit salvari. Igitur Sacramenta novæ legis *ex opere operato* producunt gratiam.

Argumenta hæreticorum jam à nobis refutata fuerunt: quæ petuntur ex hujus vocis *ex opere operato* novitate ac barbarie, dirimuntur in prænotatis ad præsentem dissertationem: quæ suadere possent veteribus, novisque Sacramentis inesse vim eandem, prima & secunda propositione expunguntur; quæ verò afferuntur ad probandum solam fidem *instrumentum* esse justitiæ apprehendendæ, ea discussa fuerunt lib. XIX. cap. V. In hoc etiam libro cap. XI. ostendimus non solum fidei, verum etiam Sacramentorum usui gratiam repromitti. Dari etiam fidem *informem*, ut vocant, id est, à remissione peccatorum sejunctam, diximus libro XXIII. cap. 1. Omnia modo ad syntaxin revocando dicimus *fidem* dispositionem esse ad justificationis gratiam obtinendam, & *sine fide* per opera legis nunquam potuisse, neque nunc posse hominem justificari; quoniam *fides*, ut Augustinus ait, *est humanæ salutis initium;* sed negamus fidei justificationem infallibiliter esse conjunctam: cujus rei prior ratio est, quia fides exigitur, ut quis ad gratiam baptismatis digne accedat; ut supra diximus, & infertur ex

ex ultimo cap. Marci, nec non ex Actis Apostolicis: ubi legimus prius credendum esse, postea baptismum administrandum, non contra ad promovendam fidem, lustralem aquam fundendam; ideoque fides est *conditio*, ut quis baptizetur in remissionem peccatorum, propterea quod nemo invitus & ignarus, (si compos sit sui) Christo per visibilia Sacramenta conjungitur. Quare Philippus Eunucho petenti baptismum, Act. VIII. 37. respondit, *Si credis ex toto corde, licet.* Atque in eodem cap. versu 12. legitur Samaritanos recepisse baptismum, *cum credidissent Philippo evangelizanti.* In justificatione ergo fides est præcedens *conditio*, nec gerit vices alias, quàm ad salutarem gratiam disponendi. Accedit, quod si quis credat, non tamen pœnitentiam agat, & conteratur, nunquam gratiam consequitur: unde jam credentibus, & corde compunctis ajebat Petrus Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti.* Cur baptizandi erant *in remissionem peccatorum*, si hanc obtinuerant per fidem? Fides ergo ad justificationem *disponit*, non ipsa justificat.

20. Objectio. Unus restat scrupulus, sed eximendus quamfaciliter. Si nempe Sacramentorum effectus pendet à dispositione suscipientium; quomodo verum est ea *ex opere operato* conferre gratiam? Aut contra, si conditio & necessitas fidei non officit, quin Sacramenta gratiam *ex opere operato* producant; eccur hoc pacto gratiam non contulerunt Sacramenta vetera, quæ justificabant ratione fidei? Solutio. Verum hæc nullius momenti sunt, si dicta hactenus attendantur. A calce ad caput hujus dissertationis constat Orthodoxos ita gratiam conferendi virtutem tribuere Sacramentis, ut certas in subjecto dispositiones requirant, & jejuna esse prætexta, frigidasque calumnias autumantium nos excludere in magno justificationis opere *motus arbitrii.* Sane cohæret optime inesse Sacramentis *energiam* producendi gratiam, & hanc non recipi in subjecto nequaquam dispositio. Ut enim à causa naturali petamus exemplum, inest aquæ vis abstergendi sordes, & igni subjectam materiam comburendi, etsi nec laventur, nec comburantur corpora contrariis affecta dispositionibus, puta laterem crudum, lignum viride. Dicimus ergo Sacramenta novæ legis virtutem habere sanctificandi vi institutionis suæ, ac merito passionis Christi, nec tamen sanctificare invitum & incredulum; non defectu sui, sed *obicis* subjectorum; uti aqua mundat, ignisque adurit indita sibi proprietate, quamvis id in quolibet corpore non efficiat. Cum autem Sacramenta legis non ad sanctificationem sint instituta, sed ad significationem futurorum, nec illis ex Christi morte accesserit gratiam producendi potestas; recte idcirco statutum est Sacramenta illa non *per se*, sive *ex opere operato* contulisse gratiam, sed *per accidens*, & *ex opere operantis.*

21. An Circumcisio contulerit gratiam *ex opere operato*? divers. sæ sententiæ. Affirmativa est Scoti &c. & Prob. I. De *circumcisione* duntaxat difficultas est inter Scholæ Doctores, eamque ad statuendam æqualitatem Sacramentorum utriusque legis urget in III. Instit. cap. 16. hæresiarcha Calvinus. Magister ergo Sent. Scotus, & qui eo sub duce militant, necnon Estius, Juenin, aliique multi affirmant circumcisionem *ex opere operato* contulisse gratiam; negant id Thomistæ, ac nostratium complures. Ac prioris sententiæ momenta sunt, quæ sequuntur. I. Circumcisionem institutam esse ad delendum originale peccatum plura argumenta demonstrant, ex Scripturis, ac Patribus, Augustino præsertim petita: hæc à nobis cap. 3. prop. IV. & V. collecta sunt, & contra Augustinianæ sententiæ oppugnatores vindicata. Profectò remissio peccati videtur circumcisionis finis præcipuus, quamvis etiam instituta fuerit ad populum obsignandum, ut nos eo loci prop. I. commonstravimus; quippe in divinorum mysteriorum institutione finis præcipuus est effectus nobilior. Circumcisio itaque ex vi institutionis suæ, adeoque *ex opere operato* peccatum originale delevit.

2. II. Deletum peccatum originis per circumcisionem, quemadmodum nunc per baptismum deletur, docet pluribus in locis cit. cap. 3. productis S. P. Augustinus: & cum Augustino Ambrosius scribens lib. VII. in Lucam, *Circumcisio purificavit*: Magnus Gregorius, qui in IV. Moralium ait hoc egisse pro iis, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, *Mysterium circumcisionis, quod apud nos valet aqua baptismi.* Innocentius III. scribens in cap. *Majores* remissam olim fuisse originalem culpam *per circumcisionis mysterium:* quæ testimonia, aliaque consimilia laudato cap. 3. afferuntur.

III. Au-

3. III. Augustinus non tantum ait circumcisionem fuisse Judaico populo vice baptismatis: sed etiam docet valorem habuisse suum, quamvis à Samaritano collatam, ut apud nos tenet datus ab hæretico baptismus. *Nunquid apud Samaritanos* (inquit Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 31. num. 36.) *circumcisus si fieri tunc vellet Judæus posset iterum circumcidi?* Neque ergo ex fide suscipientium, quoniam, hæc non erat in octo dierum infantulo, neque ex dispositione ministrantium, quæ perperam fingitur in Samaritanis vaccas aureas colentibus, ut idem Augustinus ait q. 64. inter LXXXIII. n. 4. delebat circumcisio labem originalem. Augustinus præterea in IV. contra Donatistas cap. 24. num. 3. asserit præceptum circumcisionis latum fuisse de puerulo dierum octo; quoniam etsi infans ille credere non valebat, ad justitiam tamen *ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat.*

4. IV. Non discessit ab Augustino S. Thomas, in quarto saltim sententiarum dist. 2. q. 9. ubi ait: *Oportuit aliquod remedium dari, quod ex opere operato peccatum aboleret, & tale remedium fuit circumcisio.*

5. V. Baptismi figura quædam, fatentibus omnibus, erat circumcisio: imo Christi nomine hæc etiam ministrabatur, scribente ad Rom. XV. 8. Apostolo: *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis:* ut erga baptismus, ita circumcisio *ex opere operato* contulit gratiam. Hæc sunt, quæ Scotistarum sententiam reddunt valde probabilem, partim à Mastrio disp. 1. q. 2. art. 3. ab Estio disp. 1. §. 30. & a Juenin dissert. 2. q. 1. art. 2. deprompta, partim à me superaddita.

22. Negativa est Thomistarum &c. & Prob. 1. At suam quoque probabilitatem habet sententia opposita: pro qua militant proximæ argumentationes. I. Demonstratum est prop. 1. hujus cap. ex Apostolo: atque ex Patribus Sacramenta veteris legis fuisse *infirma, & egena*, umbram futurorum bonorum, & salutem promisisse quidem, non contulisse. At inter hæc Sacramenta circumcisio quoque connumeranda est: quamvis enim sit *ex patribus*, ut rectè in IV. dist. 1. quæst. 6. ait Scotus, non sequitur ad legem non pertinere, aliàs nec ad legem spectarent sacrificia cruenta, à mundi incunabulis immolata. Nam quemadmodum sacrificia in lege Moysi præcipiuntur, ita etiam præcipitur circumcisio, Levit. XII. 3. ita, ut Christus Dominus Joan. VII. 22. dixerit: *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem.* Quare si cætera legis Sacramenta gratiam *per se* non contulerunt, nec eam *per se* contulit circumcisio.

2. II. Apostolus ad Rom. III. demonstrans quid utilitatis attulerit ipsamet circumcisio, hunc ei primarium effectum attribuit, quod per hanc Judæis *credita* fuerint *eloquia Dei*, prænuntiata nimirum futuri Salvatoris mysteria. De vi justificationis Apostolus nec verbum unum: imo ad Galatas V. 2. VI. 15. affirmat circumcisionem nihil prodesse.

3. III. Tertiò Florentinum Concilium supra citatum definit, quod Sacramenta veteris legis *non causabant gratiam, sed eam solum per Christi passionem dandam figurabant:* ubi universim de antiquis Sacramentis loquitur, uti & Tridentinum sess. VII. can. 2. nullatenus excepta circumcisione.

4. IV. Patres laudati cap. III. prop. 2. tradiderunt circumcisionem datam in signum distinctivum seminis Abrahæ, ideoque non ad originalem labem delendam.

5. V. Quod Augustinus ait de Sacramentis Mosaicis, præsignasse gratiam, non eam contulisse, idem de Circumcisione affirmant. Etenim Epistola 82. aliàs 19. ad Hieronymum n. 15. inquit: *Dico ergo circumcisionem præputii, & cætera hujusmodi, priori populo per testamentum, quod vetus dicitur, divinitus datam ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri. in* Ps. LXXV. num. 1. *Sunt ergo Judæi*, inquit, *in circumcisione carnis, & sunt Judæi in circumcisione cordis. Patres nostri multi sancti & circumcisionem carnis habebant propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis propter ipsam fidem.* Quo in loco quemadmodum certum est Augustinum *per circumcisionem cordis* designare gratiam spiritualem, ita videtur hanc fidei soli tribuere, non circumcisioni carnis, per quam patres ad vetus testamentum spectabant. Denique idem S. Pater lib. 2. de Nupt. & conc. XI. demonstrans originale peccatum ex necessitate circumcisionis, videtur innuere illam habuisse vim justificandi ex sola fide Mediatoris, atque ideo appellatam

fuisse ab Apostolo *signaculum justitiæ fidei*: ait enim, *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ita ad significationem purgationis valebat & in parvulis originalis veterisque peccati, sicut baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus:* additque nec legem, nec vetus testamentum, quod in servitutem generat, sic datum ut posset vivificare, sed repetendam gratiam ex fide Mediatoris: quæ fides *salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis.* Mitto S. Patrem lib. 2. contra lit. Petiliani cap. xxxvii. num. 87. haud obscurè significare idem inesse discrimen inter circumcisionem & baptismum, quod intercst inter pascha Judæorum ac nostrum, atque inter baptismum Joannis & Christi. At de hac sententia legi poterunt Sylvius in q. 70. art. 4. Soto dist. 2. q. 1. art. 4. Gotti q. iv. dub. 5. §. 4. ex nostris verò Aurelius Piette de Sacram. in gen. q. 1. Vanroy cap. 3. q. 3. Gavardi q. 2. art. 1. §. 6.

23. Auctor utramque iudicat probabilem.

Mihi, ut verum fatear, utraque sententia videtur probabilis; ita tamen, ut persuasum habeam Sacramentum circumcisionis institutum fuisse propter originale peccatum, ut assentiuntur Thomistæ, & nos cap. 3. probavimus. Nec enim postrema sententia infringit argumenta Augustini contra Pelagianos: quippe S. Pater cum his disputans non pertractat *de efficientia Sacramentorum, sed de existentia peccati originalis*, quod optimè probatur ex præscriptione remedii, quocunque tandem modo istud inquinatos mundaverit; quemadmodum S. Pater libro de Nat. & gratia cap. xvii. num. 19. aliisque in locis probat dari peccata ignorantiæ, ex quo in lege certis sacrificiis expiarentur; tametsi nullus dixerit eadem sacrificia *virtute sua, per se*, & *ex opere operato* fuisse peccatorum illorum expiationem. Quare invictissima Augustini contra Pelagianos argumenta perperam à quibusdam Theologis in hac de efficacia Sacramentorum quæstione elevantur, & jure meritoque ea vindicandi suscepi officiosam provinciam.

24. Quare Respondet primò ad argumenta primæ Sent affirmativæ, ad 1.

Qui ergo nostratium sententiæ vult adhærere, poterit ad argumentationes contrarias hæc adhibere responsa. Ad primum quidem dicet, utique circumcisionem institutam fuisse propter originalem noxam delendam, sed delendam tanquam *per signaculum justitiæ fidei*; & quoniam prænunciando *justificationem nostram*, & *exspoliationem concupiscentiarum carnalium*, ut contra Petilianum inquit Augustinus, erat signum protestativum fidei in futurum Mediatorem: *quæ fides*, teste eodem Augustino de Nupt. & concup. *justos faciebat pusillos cum magnis*, id est, inquiunt Scholastici, circumcisio justificabat *dispositive*, non *effective*. Profecto præsignare gratiam Christi, circumcisionem spiritus, & hominis innovationem, res est perfectior, quam carnaliter obsignare progeniem Abrahræ: ideoque illud, non istud fuit instituendi circumcisionem motivum princeps.

Ad 2.

Quod sequitur eadem ratione diluitur: per mysterium quippe circumcisionis remittebatur peccatum *dispositive*, non *effectivè*; maximè quod Ambrosius eo loci ait etiam, *Sanctificavit lex*, & Gregorius, *Hoc egit pro majoribus virtus sacrificii;* cum lex, & sacrificia solummodo ad justificationem valerent *per accidens*, & fidem Mediatoris promovendo; quæ, auctore Apostolo, fuit utilitas circumcisionis, per quam Judæis *credita sunt eloquia Dei*, factaque Reparatoris promissio.

Ad 3.

Ad tertium quidam respondent, etiam Samaritanos, quamvis idololatras, ac ideo per leones à Deo insolito more punitos, in monte Garizitano sacra fecisse cultu veterum Patriarcharum consecrata, necnon credidisse Christum summum legislatorem ac doctorem venturum esse, Joan. iv. 20. 25. At non arbitror hanc responsionem esse ad rem: nam Augustinus scribens adversus Cresconium de baptismo hæreticorum, de ea circumcisione consequenter pertractat, quæ data fuerit à Samaritano fide exspoliato. Respondendum puto, Augustinum disputantem de non iterando baptismate, uti comparatione istiusmodi: Quemadmodum circumcisio imprimebat in carne *signaculum fidei*, ita baptismus imprimit in anima *characterem*: sicut ergo iterari non poterat circumcisio facta à Samaritano, quia auferri nequibat *signaculum* illud impressum in carne; ita repeti non debet baptismus ab hæretico collatus, quoniam indelebilis est *character* baptismatis. Atque ita Augustinus scitè à figura ad figuratum ratiocinatur: quamvis in circumcisione solam typi virtutem agnoscat, prænuntiativam sanctitatis, non effectricem: *Circumcisionem præputii* (inquit) *in figura baptismatis Chri-*

*Christi ab antiquis observatum esse negare, ut arbitror, non audetis. Nunquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Judæus, posset iterum circumcidi? &c.* Quod verò S. P. ait. cit. q. 64. in parvulis mysterium circumcisionis valuisse *per se ipsum*, id extra controversiam positum est; nam in parvulis nequit haberi interior fidei dispositio, sed eam tamen supplere poterant aut parentes, aut ministrantes: unde quidam Thomistarum scripsere circumcisionem in parvulis contulisse gratiam *ex opere operato passive*, non autem *active*, ut illustris Gonet disp. v. de Sacram. art. 2.

Ad 4. Quod quarto objiciebatur loco, nullius est roboris: quippe Angelicus Doctor retractavit priscam opinionem, scripsitque 3. p. q. 70. art. 4. *In circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio.*

Ad 5. Postremum quoque facili ratione diluitur: quod enim circumcisio expresserit figuram baptismatis, facit, ut præsignarit *innovationem hominis*, non ipsam effecerit; aliàs idem, ac baptisma, præstassent nubes, mare rubrum: aliaque novorum Sacramentorum vetusta symbola. Nec probant circumcisionem datam Christi nomine verba Apostoli ad Rom. xv. nam ibi *circumcisio*, id est, pro Judæis, quemadmodum ad Galatas II. 7. asseritur *creditum* Paulo *Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis;* idque comprobat scopus Apostoli demonstrantis non esse à Gentibus contemnendos Judæos, quoniam *ad confirmandas promissiones patrum* venit Christus ad filios Israel, & etiam Gentes, quibus nulla promissio facta erat, Dei misericordia Evangelii gratiam sunt consecutæ. Legi potest Chrysostomus hom. XXVIII. in Epistolam ad Rom. & in Pauli Comment. Scripandus pag. 248. & Estius pag. 172. quamquam hic locus sola lectione Paulini textus patescat.

Si quis verò accedendum putat ad Scoti partes, respondere poterit ad argumenta contraria circumcisionem non esse ex Moyse, sed ex Patribus; & Apostolum, Concilia, ac Patres id tantum innuere, illam nihil valuisse ad expiationem peccati, quatenus erat signaculum carnis, pertinebatque ad ritus veteris testamenti, non quatenus huic signo meritis Christi, & institutione divina conjunctum erat peccati remedium: nam Paulus ac Patres de circumcisione pertractant adversus Judæos justificationem statuens in ritibus Moysis, & Concilia pariter de iisdem ritibus loquuntur, aut circumcisione excepta, aut ea saltem considerata, ut ceremonia & symbolo antiqui fœderis. Et quidem, utut veteres vim circumcisionis ad reprimendam judaizantium pervicaciam studuerint deprimere, nequeunt illorum testimonia id evincere, quod circumcisio in remedium peccati fuerit indicta, ut ostendi cap. III. & IV. hujus libri. Illinc ergo peti poterunt etiam pro sententia Scoti valida munimenta, ac responsa ad propositas objectationes: aut si clypeo nostro sibi quispiam satis non videtur munitus; adeat Mastrium cit. quæst. art. 4. Estium dist. 1. §. 31. & Frassenium Tom. X. pag. 48. & seq. Interim nostra sententia est, circumcisionem institutam in originalis peccati remedium, Sacramenta vetera à novis plurimum discrepare, de circumcisionis efficacia posse unumquemque sentire pro libitu: quorum primum postulat à nobis Augustiniana doctrina, alterum Catholica fides, tertium verò scholarum dissidium, & quod nos undique premit rationum pondus.

25. Respondet secundò ad argumenta secundæ Sent. negativæ ad omnia simul.

# CAPUT XX.

## Quomodo Sacramenta novæ legis gratiam producant.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Usque ad 7. afferuntur variæ DD. sententiæ.
7. Subscribit Auctor Ægidio, asserenti, Sacramentum esse gratiæ causam instrumentalem indirectam.
8. Fundamenta Thomistica Auctor vertit in suas partes.
9. Idem præstat quoad fundamenta Scotistica.

1. Gravitas præsentis quæstionis. QUamlibenter disputationem hanc prætermitterem, ut perciperent hæretici nequaquam nos pro opinionibus Scholæ, tanquam pro aris focisque pugnare, ac intelligerent qui in opuscula hæc nostra conjiciunt oculos, quam

quam ægre de rebus à cognitione noſtra diſſitis proferamus judicia, ubi ſubeſt periculum, ne detrahatur aliquid aut veritati, aut virtuti divinorum myſteriorum. Sed quoniam Scholæ morem geramus opus eſt, in hac etiam diſquiſitione paululum ac temperanter verſabimur. Quid ſit cauſa, didicit quiſque in Philoſophiæ rudimentis: cauſarum quoque aliam eſſe *principem*, quæ propria virtute ſe movet, *inſtrumentalem* aliam, quæ à principali cauſa impulſum motumque recipit, arbitror neminem eſſe qui ignoret. Ac Sacramenta non eſſe cauſam gratiæ effectricem *principalem*, cum certum ſit hanc à Deo creari & infundi, idque etiam definiat Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 7. nullus eſt, qui vertat in controverſiam. Sacramentum itaque juſtificationis & gratiæ cauſa *inſtrumentalis* eſt, ejusdem Synodi definitione, atque Theologorum omnium conſenſu. Num cauſa ſit *phyſica*, an duntaxat *moralis*, id unice parit in Scholis diſſidium. Cauſam *phyſicam* eam eſſe, quæ reali influxu, ac motu, & reali actione attingit effectum, ut ignis calorem, ſol lumen, ſemen plantas, ſegetesque producit, id quidem compertum eſt ſingulis. Cauſa *moralis* eſt, quæ duntaxat *intentionaliter* movendo præſtat, ut perficiatur effectus, ſive moveat imperio, ut judex ac princeps ſuo juſſu hominem plectit ſupplicio; ſive conſilio & ſuaſione, ut conſiliarius & orator pertrahit regem ad bellum; ſive merito, ut miles cicatrices oſtentans impetrat beneficia; ſive inito fœdere, ut componitur res bellica congredientium pactione; ſive denique ſigno aliquo, ut chirographo exigitur debitum. Poſuimus hæc exempla, nam qui tenent Sacramenta eſſe *moralem* gratiæ cauſam, non conſentiunt an hanc producant per modum impetrationis, an vi inſtitutionis, qua Deus quaſi pacto quodam ſe obſtrinxerit ad gratiam largiendam Sacramenta ſuſcipientibus, an ad inſtar chirographi, quaſi Chriſti ſanguine, meritoque obſignati.

Sacramentum eſt cauſa gratiæ *inſtrumentalis*; ſed utrùm *Phyſica*, vel *moralis*, diſſident Scholæ.

2. Quinam defendant cauſalitatem *moralem*?

Sacramentum eſſe cauſam gratiæ *moralem*, docuerunt ante Divum Thomam *omnes fere Doctores*, inquit in IV. diſt. 1. q. 3. art. 1. Dominicus Soto, laudatis Alexandro Alenſi, Bonaventura, Richardo, Scoto, Henrico, Durando, aliisque. Scotiſtarum nullus ab hac opinione recedit: videatur Maſtrius de Sacram. diſput. 1. q. 4. Fraſſen diſput. Proem. art. 2. q. 2. F. Henno diſp. VII. q. 2. His adhæſerunt Vaſquez diſput. 132. in 3. p. & cum magno recentiorum numero Tournely quæſt. III. art. 2. Du-Hamelius cap. 2. de eff. Sacram. Juenin quæſt. VII. art. 2. Habert. cap. 18.

3. Qui *Phyſicam*?

Propugnant autem *phyſicam* Sacramentorum *cauſalitatem* cum D. Thoma 3. p. q. 62. art. 4. omnes ejus diſcipuli, vix uno, aut altero excepto; & accurate de hac quæſt. diſputant præcitatus Soto, Gonet diſput. III. art. 2. Contenſonius diſſert. 1. cap. 2. ſpec. 2. Cardinalis Gotti quæſt. IV. dub. 3. Auctor Operis de Re Sacram. lib. 1. q. 3. cap. 2. Acceſſere Thomiſtis individui eorum pediſequi Salmanticenſes, ac Sylvius, nec non Suarez præcit. q. 62. diſp. 9 ſect. 2. & qui à Salmanticenſibus commendantur Tract. XXII. diſp. IV. dub. IV. ex poſterioribus Florentinus De-Cocq. Tract. VII. ſect. 6. & Auctor Theologiæ Petrocorenſis Tom. III. Tract. 1. cap. 4. In utramque partem egregie diſputarunt Maldonatus cap. 2. de Sacram. pag. 24. & Eſtius in IV. diſt. 1. §. 5. Hos ex multis laudavimus, viros omnes doctos, atque percelebres, nec inſtituto veterum, qui ſingulorum nomina recitant, nec more juniorum qui neminem aut perraro aliquem tantum commemorant, quaſi nova proferant, nec ſint antiquiorum expilatores, quod & ubique ſervavimus, ita enim fiet, ut qui libros pervolutarit, cum furta ſcribentium; tum impenſam in ſcribendo operam recte dijudicet.

4. Quid Auguſtinenſes?

At quid ſentiunt Auguſtinenſes? Aegidius, & Argentina à Salmanticenſibus ad Thomiſticas trahuntur partes: num recte, mox dicam. Thomiſtæ certè ſunt Gibbon Tom. VII. diſp. IV. dub. 3. Joannes Puteanus in q. 62. 3. p. dub. 4. Antonius Guerrero Tr. VII. d. 1. Oppoſitum ſentit cum. aliis Lovanienſibus Farvacques cap. VIII. q. 2. & Vanroy Tom. V. cap. 3. quæſt. 2. Aurelius tamen Piette Tom. V. cap. 5. q. 2. nutat utrinque: ſolent quoque in Italia ſtudiorum Moderatores in utramque diſceptare partem. Priusquam aperiamus mentem noſtram, præmittimus noſtra ſaltem ætate non poſſe de hac quæſtione affirmari quod lib. 2. Hiſt. Concilii Tridentini pag. 271. ſcripſit Polanus, *utrinque* ſcilicet *proferri rationes magna verborum prolixitate, nec minori acrimonia, Dominicanis affirmantibus alteram opinionem Lutheraniſmo eſſe affinem, dictitantibus verò Scotiſtis*

*stis Dominicanos impossibilia adstruentes hæreticis calumniandi Ecclesiam præbere ansam*, Laudandus mihi semper erit nuperus Thomista, qui de Re Sacram. Tom. 1. pag. 37. testatur, se nolle esse hac in re contentiosum, cum alia ratione cum amicis, alia cum hostibus sit congrediendum: eamque agendi rationem semper mihi servandam proposui; quamquam in nullo hactenus vel Thomista, vel Scotista Scriptore illam deprehendi acrimoniam, quam Polanus exaggerat.

5. Instrumentalis causa *physica* explicatur ad mentem D. Thomæ.

Præmitto etiam eatenus Sacramenta per Thomistas esse gratiæ *instrumentalem causam physicam*, quatenus ut attingant eandem gratiam confertur Sacramentis *virtus quædam spiritualis ad inducendum Sacramentalem effectum*. Ita enim loquitur S. Thomas q. 62. art. 4. Quid sit autem hæc virtus, & an sit permanens qualitas, aut transiens, aut sola Dei motio elevans instrumentorum virtutem, quam appellant *obedientialem*; sicuti non est una Thomistarum opinatio, ita nec ego definiam. Arbitror tamen juxta beatum Thomam virtutem illam esse motum primæ causæ: quippe eadem quæst. art. 1. scribit: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur à principali agente . . . Et hoc modo Sacramenta novæ legis causant gratiam.* Profecto Aegidius Romanus in 2. dist. 1. q. 2. art. 5. & Quodlibet. v. q. 1. nec non Argentinas in IV. dist. 2. q. 1. art. 1. concl. 2. negant posse Sacramenta esse talia instrumenta, quorum actio attingat, etiam per Dei motionem, effectum gratiæ. Quamobrem non idem, ac Thomistæ sentiunt Aegidius, & Argentinas: imo is tandem concludit Sacramenta esse causam gratiæ tantummodo *conditionalem*.

6. Ægidius distinquit duplicem causam Instrumentalem, *Directam*, & *Indirectam*.

At Aegidius duplicem *instrumentalem* causam distinguit. Altera, inquit, *est causa instrumentalis directa*, quæ per motionem principalis agentis attingit effectum, ut oculus est causa visionis, scalprum statuæ, dolabra scamni; & causa istiusmodi debet *per motionem* principalis causæ, aut influxu, aut contactu effectum attingere. Alia est causa *instrumentalis indirecta*, quæ non attingit effectum, sed propria actione producit aliquid, cui, aut naturali virtute, si effectus sit naturalis, aut virtute supranaturali, si effectus supranaturalis sit, effectus ipse conjungitur: atque in hac causa non requiritur virtus, per quam attingat effectum. Hoc modo instrumenta agricolæ sunt causa segetum, cataplasmata sanitatis & vitæ: non enim illa vegetativam, neque ista vitalem energiam habent: sed illa id efficiunt circa terram, hæc id operantur circa corporis membra, unde proficiscitur vegetatio satorum, & valetudo animalium: sive, ut exemplum proferam spiritualium effectuum, quid præstiterunt manus Christi? quid clamor? quid verba? Tetigerunt duntaxat corporea membra, personuerunt ad aures: & tamen fuerunt *physica* instrumenta patrandorum miraculorum, quia aliquid revera præstiterunt, cui divina virtute conjuncta erat rerum mirabilium operatio. Causa enim *moralis* nihil in subjecto operatur, neque principalem effectum, neque id cui effectus ipse conjungitur. Hoc pacto Aegidius contendit Sacramentum esse *causam* gratiæ *instrumentalem physicam indirectam*, cum Thomistæ requirentes in Sacramentis virtutem, per quam spiritalem gratiam attingant, eis consequenter tribuant rationem causæ *instrumentalis directæ*: sententiæ autem Aegidii post Fridericum Gavardi q. 3. de Sacram. in gen. art. 1. Benignum Sichrovvsky, aliosque Ordinis nostri Scriptores, arbitror esse adhærendum.

Sententia Ægidii.

Movet me ad sententiam hanc amplectendam, quod videatur satis perspicua, & possit Thomistarum, & Scotistarum argumentationibus confirmari, & ab harum neutris aliquid patiatur incommodi. Primo enim *instrumentalem causam indirectam*, & quidem *physicam*, eam dicimus quæ aliquid *physice* producit, cui principalis effectus sit conjunctus. Ita Augustino docente in lib. IX. de Gen. ad literam cap. XV. num. 27. res creatæ sunt divinæ virtutis instrumenta, quamquam Dei opera perficiantur sublimiori virtute; dummodo creaturæ ipsæ aliquid operentur, quod divinæ operationi connexum sit. Quid enim præstat agricola? Hoc quidem unum, *ut furculus evellatur ex arbore, terræque mandetur, at non opus ejus est, ut succum imbibat, ut germen emittat, ut aliud ejus solo figat, quo radicem stabiliat, aliud in auras promoveat, quo robur nutriat, ramosque diffundat: sed illius qui dat incrementum.* Pari ratione *medicus*, ait S. Pater, *ægro corpori alimentum adhibet, & vulnerato medicamentum: primum non de rebus, quas creavit, sed quas creatas opere Creatoris invenit; deinde cibum & potum præparare potuit, empla-*

7. Ægidio subscribit Auctor ex rationibus seqq.

1.

*emplastrum formare, & medicamento inlitum opponere; num etiam ex his quæ adhibet, operari & creare vires vel carnem potest? Natura id agit interiori motu, nobisque occultissimo.* Hæc Augustinus. Quamquam ergo agrorum cultor nulla præditus sit facultate, qua surculus terræ immissus figat radices, & crescat: quamquam opus medici non sit gignere erosam cicatricibus carnem, & vires morbo perditas restituere; quoniam tamen id præstat occulta naturæ vis ad culturam agricolæ, ad medici emplastrum, sunt hæc instrumenta *physica* vegetationis arborum, & sanitatis ægrotantium. Igitur si ad applicationem *physicam* Sacramentorum, ad ablutionem aquæ, ad inunctionem chrismatis, gratiam infundit occulta, & inenarrabilis virtus Spiritus sancti, tametsi elementa sensibilia spiritualem virtutem non habeant, erunt nihilominus *physica* producendæ gratiæ *instrumenta.*

2. II. Atque hæc ratio primum confirmatur, quoniam sicut stata lege naturæ ad applicationem prædictorum instrumentorum vires suas exerit occulta vis naturalis; ita ad Sacramentorum administrationem virtus supernaturalis effectum operatur spiritalem; mundat enim Deus animam baptizatorum *lavacro aquæ*, confert charismata impositione *manuum Presbyteri*, & absolutione Sacerdotali *peccata remittit*, ut nos capite præcedenti sacræ litteræ docuerunt.

3. III. Allata ex Augustino comparatione agricolæ utitur S. Paulus in 1. ad Cor. III. 6. ubi ad deprimendam illorum, contentionem, qui ob merita eorum à quibus baptizati fuerunt, superbè inflabantur, *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*, commonstrans ita ad baptismi administrationem consequi opus gratiæ, ut ad ministerium agricolæ generatio plantarum: quo etiam in loco Apostolus concionatorem comparat ei, *qui plantat*, baptizantem verò illi, *qui rigat*, quoniam si Sacerdos evangelizet, & non conferat Sacramenta, Deus non justificat; sicuti si agricola plantet, sed non riget, non germinat arbor insita.

4. IV. Dum baptismus corpus abluit, gratia mundat animam, unde ait Augustinus Tract. LXXX. in Joannem: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Consequitur ergo effectus gratiæ, & interior hominis regeneratio ad *physicam* aquæ ablutionem: ideoque hæc est causa *instrumentalis* gratiæ sensu explicato.

5. V. Non sequitur ex his Sacramenta esse causam gratiæ tantummodo *conditionalem*, utpote quæ agant ex institutione divina, ideoque *moraliter*: quando enim causa *conditionalis* movet tantum intentionaliter, *moralis* causa est, ut chirographum, quod modò exhibeatur, effectum sortitur suum; at si causa *conditionalis* effectum non inferat, nisi *physicè* aliquid operetur, ut se habet applicatio emplastri ad sanitatem, irrigatio soli ad vegetationem plantarum, tunc ita est causa *conditionalis*, ut sit etiam causa *instrumentalis & physica*, etiamsi virtute propria non attingat effectum, quemadmodum non vis emplastri, non vis irrigationis sed occulta virtus naturæ sanat ægrotum, nutrit augetque arborem. Atqui Sacramenta ita sunt instituta, ut gratiam non conferant, nisi *physice* aliquid operentur. Igitur Sacramenta ita sunt causa *conditionalis*, ita gratiam ex divina institutione producunt, ut sint non tantum causa *moralis*, verum etiam *instrumentalis physica*, sensu explicato. Enimverò Sacramentis, quatenus gratiam conferunt ex meritis Christi & institutione, exhibentque passionis ejus chirographum, competere rationem causæ *moralis*, nec Thomistæ negant; sed ulterius propugnant *physicam* aliquam *causalitatem.*

8. Objiciuntur fundamenta Thomistica, quæ Auctor vertit in suas Partes. I.

At enim, inquis, Thomistæ ita contendunt Sacramenta *physicè* gratiam producere, ut virtute spiritali ipsam gratiam attingant: idque probant firmissimis argumentis. I. Sacræ literæ Sacramentorum energiam enuntiant verbis, quæ maxime *physico* instrumento conveniunt; inquiunt enim hominem *renasci aqua, mundari lavacro, gratiam recipere per manuum impositionem.* Vide prop. v. præcedentis capitis. Aequum est autem, ut Scripturæ, ubi nulla occurrit contradictio, sensu obvio & litterali intelligantur. Reponunt utique adversarii etiam pretioso Christi Sanguini tribuere Scripturas, quod *lavet & emundet à peccato* 1. Joan. 1. 7. & Apoc. 1. 5. & tamen esse illum causam *meritoriam.* At id Thomistis nil negotii facessit, quippe præceptore Angelico 3. p. q. 49. art. 1. Christus non solum nos redemit pretium pro nobis offerens proprio sanguine, qua in re causa *meritoria* relucet; verum etiam instituendo Sacramentorum *remedia*, in quibus sita est ratio *instrumentalis,*

*lis causæ*: imo & Tridentina Synodus sess. IV. cap. 7. accuratè utramque causam distinguit. At in nostra sententia argumentum illud Thomisticum nil habet roboris: ut enim per aquam Jordanis verè mundatus est Naaman, quia ad ablutionem aquæ consecuta est divina operatio; atque seminibus fœdatis propagatur generatione peccatum Adæ, quia his procreatur caro, cui infunditur anima, ut vidimus lib. XIII. cap. 6. ita per lavacrum baptismatis verè mundamur, verè innovamur & renascimur, quia aliquid baptismus præstat *physicè*, ad quod gratia à Spiritu sancto diffunditur: atque ideo apud Ambrosium lib. 2. de Pœnit. in aqua Jordanis præsignabatur virtus baptismatis; & juxta Apostolum ad Rom. v. 18. carnalis generatio per Adam, & spiritalis regeneratio per Christum habent invicem antilogiam.

2. II. Stant pro Thomistis illustria testimonia Patrum. Tertullianus lib. de Baptismo cap. 1. *Nos pisciculi*, inquit, *in aqua nascimur*. Chrysostomus hom. 25. in Joan. *Quod est uterus embrioni, hoc est fidei aqua*. Cyrillus lib. 2. in Joannem comparat vim sanctificandi, quæ inest baptismo, virtuti ignis, quam concipit *aqua infusa lebetibus, si admoveatur igni vehementi*, & magnus Leo ser. V. de Nativ. *Virtus*, inquit, *altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem*. Quamquam verò adversarii reponant, istiusmodi exemplis Patres asserere Sacramenta verè gratiam producere, modum autem non explicare, aliàs forent illa causæ *naturales* ipsius gratiæ, quod nullus dixerit; Estius tamen fatetur sententiam Thomisticam, si Patrum dicta attendantur, esse probabiliorem: nec sequitur objectum incommodum: quod enim Patres in hisce exemplis tribuunt naturæ vi, adscribunt in Sacramentis virtuti Spiritus sancti. Verùm hæc eadem exempla in opinationem nostram quadrant magnoperè; siquidem ut aqua ova piscium madefacit, sed hos gignit *vis occulta naturæ*; ut materna viscera explicant embrionem, cui in humana membra dispositio animum inserit virtus creatrix; ut aqua in lebete agitatur, & ad hanc agitationem sentiens manus ustionem percipit: ita aquâ baptismatis abluente corpus, gratiam divina virtus infundit animo.

3. III. Confirmat opinionem Thomistarum, quod Patres virtutem Sacramentorum cum admiratione suspiciunt: unde Augustinus Tract. LXXX. in Joan. num. 3. ait: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Plura de hac virtute Catechismus Rom. p. 2. cap. 1. num. 27. Respondent utique adversarii, eo loci Augustinum pariter mirari, quod *verbum fidei per Ecclesiam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, tantillum mundet infantem*: ajunt & hoc mirum esse quod signum Crucis fugat dæmones, quod ad nutum Josue sol steterit, nec tamen Ecclesiam, signum crucis, Josue nutum esse horum effectuum causas *physicas*. Alia tamen ratione de Sacramentis, alia de iis, quæ vim habent ex fide, ratiocinemur oportet. Cæterum sententia nostra hoc eodem argumento firmatur, quippe id summopere mirum est, quod *physicæ* ablutioni corporis conjuncta sit gratiæ operatio: atque, ut Augustinus scribit Epist. 23. nunc. 98. num. 2. aqua exhibeat *forinsecus* Sacramentum, & Spiritus operetur *intrinsecus* beneficium.

4. IV. Quartum argumentum petunt Thomistæ ex Sacramentorum novæ legis præstantia. Sunt enim hæc gratiæ *signum efficax*, & gratiam non solum *continent*, sed & *producunt*: ut definit. Trid. Synodus, sess. VII. can. 6. ac nos statuimus præcedenti dissertatione. Solet utique responderi hoc unum orthodoxos Patres decrevisse, gratiam sola fide non apprehendi, uti comminiscuntur hæretici: sed quod *moraliter* tantùm movet, non excedere rationem signi probat exemplo *denarii plumbei* q. 62. art. 1. Doctor Angelicus, nec propriè contineri effectum in causâ *morali*, subtili argumentatione contendit Soto: nec omnino probatur quod post Hugonem §. 6. ait Estius contineri gratiam in Sacramento, *ut aqua in vase*; hæc enim continentia est rei in loco, non effectus in causa; idque etiam animadvertit Sanctus Thomas cit. quæst. art. 3. ad 1. Quod si *vas* sumatur pro *instrumento*, ut apud Ezech. IX. 2. vas, quo propinatur venenum; etiam Thomistæ Sacramenta appellabunt *vasa gratiarum*. Cæterum nos dicemus, Sacramenta novæ legis gratiam & *continere* & *conferre*, quoniam infusio gratiæ conjuncta est Sacramentorum administrationi, non fidei suscipientium; quemadmodum Sacramenta vetera gratiam *nec continebant, nec producebant*, quod gratiæ largitio fidem, non symbolorum usum consequerentur.

5. V. Tandem Thomistæ corroborant sententiam suam commemorando supremam Dei potestatem: quæ ut *instrumentaliter* rebus physicis, non voluntate tantum, aut jussu, sæpe visum

cæcis, paralyticis motum, vitam demortuis, ægrotantibus largita est sanitatem; ita potest sanctificare animas *physicis* instrumentis. Addit Sylvius collatam divinitus vim igni inferorum, quo spiritus excruciantur, ut ait lib. XXI. de Civ. Dei cap. 10. Augustinus, *quamvis miris, veris tamen modis.* Cum ergo talis sit divina potestas, & causa *physica* sit etiam præstantior *morali*, non videtur Sacramentis deneganda *physicæ* causæ proprietas. At contrarii reponunt, se de rebus, quæ in exemplum adducuntur, idem sentire; ac interdum *moralem* causam esse *physica* nobiliorem, ut constat comparatione apparitoris & principis, tortoris & judicis: quæri demum, quam vim Deus Sacramentis contulerit, non quam potuerit conferre. Verum nos neque supremam Dei potestatem comprehendentes angustiis nostri ingenioli, neque derogantes Sacramentorum dignitati, asserimus evinci his exemplis quomodo Sacramenta sint gratiæ *instrumenta physica*, sed *indirecta:* res enim à Christo in patrandis miraculis adhibitæ tangebant contactu physico corpora, & ad hunc contactum sequebatur occulta operatio divinitatis. Sententia quoque nostra, ut constat ex libro x. cap. 17. physice dæmones torquentur igne inferorum, quod huic alligati sint, & ad hanc alligationem consequatur pœna, & animi maceratio. Atque ita, ut diximus, Thomistarum argumentis confirmatur, non evertitur opinio nostra.

9. Objiciuntur fundamenta Scotistica, quæ denuò Auctor quærit evitare.

1. Idem nobis videtur de placito Scotistarum. I. Gratia, inquiunt, adeo sublimis est, ut nulla virtus creata possit illam producere; nam si virtus corporea sit, nullam habet cum spiritali effectu analogiam: si vero spiritalis, nequit corporeo elemento inhærere. Respondent quidem Thomistæ, hanc virtutem Sacramentis nequaquam *permanenter* inhærere, sed inesse tantum *transeunter*; quemadmodum *in voce sensibili est quædam vis spiritalis ad excitandum intellectum hominis*: quo exemplo utitur S. Thomas. Sed Mastrius, suique negant spiritalem virtutem etiam *transeunter* recipi in re corporea, ac ullam quoque vim esse in voce sensibili ad excitandam mentis perceptionem. At ego reponam virtutem effectui proportionatam non requiri *in instrumentis physicis indirectis*, ut constat exemplis productis: quod & affirmo de voce sensibili, quæ *physice* causat intellectionem vellicando tendines aurium, ad quam vellicationem consequitur mentis perceptio.

2. II. Deinde Scotistæ ratiocinantur: Gratia sanctificans, non repugnantibus Thomistis, creatur. At nulla creatura potest assumi tanquam instrumentum ad opera creationis. Ergo nec Sacramentum sensibile ad gratiæ productionem. Hoc argumentum Thomistis negotium facessere fatetur Soto, quamvis cum Cajetano, aliisque respondeat, gratiam non creari, sed concreari; accidens enim non producitur, sed comproducitur: illud autem quod præstat Sacramentum est reddere hominem Deo gratum, quod est esse causam gratiæ, *abstrahendo à qualitate.* At hæc doctrina arcanum mihi est, & Sphingis ænigma: nam esse Deo gratum sanctificantis gratiæ causa non est, sed effectus. Dico igitur creaturam posse creationis instrumentum esse *indirectum*, ut τὸ σπέρμα est causa gignendi humani corporis, cui infunditur anima; non vero instrumentum *directum*, cum istud non agat, nisi per contactum, & quod nihil est, tangi nequeat; atque hæc est sententia Ægidii Romani citatis in locis, nec non Magistri sent. in IV. dist. 1. quem permulti Theologi interpretantes *de instrumento creationis directo*, perperam hactenus oppugnarunt.

3. III. Diluimus eadem facilitate argumentum alterum Scoti, quod nullum instrumentum sit aptum ad opus, nisi prius habeat aliquam formam, qua agat: aqua autem baptismatis abluendis corporibus idonea sit, sed non animæ regenerandæ. At id quidem in instrumento *directo* requiritur, in *indirecto* non item.

4. IV. Tandem Scotistæ utuntur hoc argumento: Non operatur causa *physica*, nisi actu existat; quod affirmari nequit de Sacramentis. In his enim cum syllaba profertur postrema, pertransiit sonus præcedentium verborum, nec existunt partes integræ Sacramenta constituentes. Baptismus quoque fictè susceptus recedente fictione reviviscit. Ubi tunc aqua, ubi ablutio, ubi verborum prolatio? Quid denique de Sacramento Eucharistiæ, in quo & forma pertransit, & materia per consecrationem definit esse? Etsi Thomistæ reponant per Sacramenta produci gratiam, quando ultimo perficiuntur, baptismum ficte susceptum imprimere *characterem*, & medio illo deposita fictione producere gratiam,

gratiam, in Eucharistia physice permanere in speciebus signum sensibile; patiuntur tamen hæc omnia oppositiones plurimas, quas recensere nimium foret molestum, atque operosum. Quare nos dicimus transeuntibus Sacramentis permanere divinam virtutem, quæ illorum administrationem consequitur; & hanc virtutem permanentem tunc effectum producere, quando nullum invenit obicem in subjecto; propterea quod non sunt Sacramenta causæ instrumentales *directæ*, quibus virtus spiritalis debeat inesse, sed causæ *indirectæ*, quarum *physicam* actionem virtus spiritalis consequitur, permanetque ea tran-

sacta: unde Augustinus de verbis Sacramentorum Tract. LXX. num. 3. in Joannem ajebat, *Aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Atque ita opinio nostra etiam Scoti argumentationes evitat, ac propterea probabilior videtur cæteris; juxta quam Sacramenta vere conferunt gratiam, & hanc nihilominus producit virtus divina, atque ut ajebat Epigram. XLV. S. Prosper,

*Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,*
*Nec proprium externis viribus implet opus.*

# CAPUT XXI.

## Quid tradant de gratia Sacramentorum moralis Theologiæ Tractatores.

### *SUMMARIUM.*

1. Sacramenta causant gratiam habitualem, & intrinsecam.
2. An Sacramenta vivorum per accidens causent gratiam primam?
3. An gratia Sacramentalis sit distincta ab habituali?

1. Gratia, quam Sacramenta causant, est *habitualis*, intrinseca, & inhærens.

DE gratia, cujus Sacramenta instrumentalis causa sunt, principio catholica fide tenendum est, esse *habitualem*, intrinsecam, inhærentem; cum non justificemur sola imputatione justitiæ Christi, aut non imputatione peccati; sed revera innovemur, perficiamur, & per Spiritum sanctum inhabitantem habeamus æternæ hæreditatis pignus & arrham. De hac gratia lib. XIX. cap. 2. disputavimus. Ea quidem gratia aut confertur homini culpa lethali inquinato, & quodammodo spiritaliter mortuo, per Sacramentum baptismatis ac Pœnitentiæ; vel superadditur homini justo, vitamque viventi spiritalem per cætera Sacramenta: unde illa duo appellari solent Mortuorum, & alia quinque Viventium, ut diximus cap. VII. Et quoniam pueri mortui sunt per Adæ prævaricationem generatione carnali, non requiruntur in his, ut reviviscant per regenerationis lavacrum, arbitrii dispositiones ac motus: qui necessarii sunt in adultis, propterea quod originali culpæ actualia crimina propriâ voluntate addiderunt, ac sponte dæmonis captivitate gravantur. Atque ideo de Eunucho reginæ Candacis fide Christi per Philippum imbuto in Actis Apostolicis canebat Arator:

*Conspectis properanter aquis ardescere cœpit*
*Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite mersus*
*Deposuit serpentis onus.*

### I I.

2. Quær. 2. An Sacramenta *vivorum* conferant primam gratiam, accedenti absque gravi culpæ conscientia? Resp. 1ma negativa. Resp. 2da communior affirmativa.

Deinde quæri solet, num Sacramenta *vivorum* primam conferant gratiam, si quis ad ea accedat absque mortalis culpæ conscientia. Id negant complures cum Vasquesio disp. 205. in 3. p. cap. 5. ea ducti ratione, quod Sacramenta gratiam conferant ex vi divinæ institutionis; ad conferendam autem gratiam primam duo tantum, non reliqua sint instituta. Addunt in iis, quæ pendent à Dei voluntate, nihil aliud certo statui posse, quàm id, quod nobis aut Ecclesia proponit, aut veneranda patrum traditio. Accedit, Eucharistiam esse panem vitæ, ac præbere spiritale nutrimentum, mortuis vero nihil porrigi posse quod eos enutriat. At communior tamen, ac vera sententia est, aliquando Sacramenta *vivorum* conferre primam gratiam, si ea recipiens se ipsum probet, nec habeat patrati sceleris notitiam vincibilem; sive id fiat ex Dei liberalitate, ut docuit

S. Bonaventurâ dist. 12. p. 2. art. 1. q. 2. non per se, & vi institutionis; sive quia continent merita passionis Christi, ut videtur innuere S. Thomas 3. p. q. 79. art. 3. sive quia dant gratiam, per quam ad Sacramenta accedens ad contritionem excitatur, ut visum Alensi, Gersoni, aliisque veterum. Nos verò, nequaquam semota virtute passionis Christi, nec Dei liberalitate, dicimus ideo in facta hypothesi Sacramenta viventium etiam primam gratiam conferre, quia alioqui nec sortirentur effectum proprium, quem *ex opere operato* producunt dum nullum obicem humanæ voluntatis inveniunt. Ita etiam Pœnitentia delet peccata, quæ ignorantur invincibiliter, quia aliàs non posset remittere cætera, quæ pœnitens confitetur. Atque ita etiam ex vi institutionis, *indirecte* tamen & mediatè, in tali casu conferunt primam gratiam Sacramenta viventium, corruuntque facile argumenta Vasquesii. Nec est inter panem, qui enutrit corpus & Eucharistiam, nec inter mortuum corpore & peccatorem omnimoda comparatio: nam panis ille nutrit tantum, & Eucharistia est panis vivus, dans vitam, & continens Christum, eos, in quibus manet, vivificantem: mortuus etiam vita corporis nil agit *vitaliter*, nec panem capit: peccator vero actuali gratia præventus posset credere, diligere, & sumere panem vitæ, nec tantum premere dentibus Sacramentum, sed etiam cum animi præparatione illam carnem manducare, quæ est *pro mundi vita*, Joan. VI. 52.

Responsio 3tia Auctoris.

III.

Quærunt præterea, an gratia Sacramentalis sit à gratia *habituali* distincta. Spectari potest gratia, & quantum ad suam, ut inquiunt, *entitatem*, & quantum ad effectum, sive virtutem homini collatam. Si consideratur gratia priori modo, non video necessitatem aliquam statuendi hujusmodi distinctionem; sed sat est, si dicamus hanc gratiam exornare animam, illi inhærere, & pro diversa hominum dispositione minui, vel augeri: quæ fide tenenda sunt, ut lib. XIX. contra hæreticos demonstravimus. At si spectemus effectum, Gratia Sacramentalis *ad habitualem* addit supernum auxilium ad finem Sacramenti consequendum. Sic Baptismus præstat, ut homo consepultus Christo habeat in corpore mortis hujus adversus subsecuturas tentationes munimentum: Chrisma, ut non erubescat crucem Domini sui: Eucharistia, ut adversus quotidianas culpas habeat antidotum: Pœnitentia confert conscientiæ pacem, animique tranquillitatem: Unctio extrema alevat animum ægrotantium, eosque communit adversus hostis insidias: præstat Ordo, ut decenter Ecclesiastica munia exerceantur: efficit Matrimonium, ut conjuges vas suum possideant in sanctificatione & honore. At de his plura, cum ad singula Sacramenta explicanda elucubrationes nostræ pervenerint.

3. Quær. 3. An Gratia Sacramentalis sit distincta ab Habituali? Resp. entitativè esse distinctam;

Non verò quoad effectum.

# CAPUT XXII.

## De altero Sacramentorum effectu, id est, Charactere.

### *SUMMARIUM.*

1. Prænotandum.
2. 3. 4. 5. Certò datur character, & imprimitur à tribus Sacramentis non iterabilibus.
6. Character inhæret animæ, & quidem indelebiliter.
7. Non est contra fidem, dicere, characterem esse rem ab anima indistinctam.
8. & seqq. enodantur variæ objectiones.

I.

Character juxta hæreticos est commentum Scholasticum.

ALter quorumdam Sacramentorum effectus est *character*: de quo alia ratione cum hæreticis differendum est, alia autem cum Orthodoxis. Nam illi dogmatizant *characterem* nihil esse aliud, quàm commentum Scholasticum, excogitatum, ut inquit Kemnitius 2. p. Exam. Conc. Trident. ab Innocentio III. atque in hoc explodendo *charactere* Wicleffus primùm, deinde Lutherus, Calvinus, Tilmanus Heshusius, ac Novatorum reliqui intenderunt nervos omnes. At Scholæ Doctores, ut in cæteris rebus, quæ sensum subterfugiunt nostrum, extare tamen absque hæsitatione ulla creduntur, ut investiganda potius *characteris* natura, quam in vindicanda existentia operam suam locaverunt. Etenim Durandus *characterem* dixit ens quoddam rationis; non fictitium tamen, quemadmodum hæretici comminiscuntur, sed quod situm sit in

Catholici supponunt existentiam ejus.

Juxta Durandum est denominatio extrinseca.

in quadam denominatione extrinseca, quæ insit recipientibus Sacramenta ex divina institutione, uti est in nummo ratio pretii, & in homine à principe delegato character ducis ac præsidis.

Juxta Scotum relatio realis.

Scotus verò *characteris* naturam constituit in relatione quadam reali, non tamen quæ inhærentem *formam* excludat: unde halucinantur qui cum Vasquesio 4. p. disp. 34. cap. 2. Scoto Durandi attribuunt opinionem.

Juxta alios qualitas physica.

Theologi alii censent *characterem* esse physicam aliquam *qualitatem*; ad quam tamen *speciem* ex iis, quæ in Aristotelicis categoriis traduntur, *character* pertineat, non consentiuntScholastici disputatores. Horum tamen quamplurimi, ut de cæteris qualitatibus, ita de *charactere* stabiliunt rem esse aliquam distinctam ab anima, juxta dogmata Peripateticorum philosophorum; quamquam id non esse omnino certum Dominicus Soto, Alphonsus à Castro, Farvacques, aliique asseruerint; dummodo quis fateatur, *characterem* tanquam signaculum animæ imprimi, eique inhærere permanenter, quod tantum Tridentina Synodus sess. VII. can. 9. adversus hæreticos definivit. Atque his prænotatis ad quæstionem diluendam progredimur.

2. Propositio I. Certò datur Character, & imprimitur à tribus Sacramentis, non iterabilibus. Prob. 1ma Pars I. Argumento Bellarmini ex verbis Apostoli.

Propositio I. Certum est dari *characterem*, atque imprimi ab his Sacramentis, quæ iterari non possunt, Baptismate scilicet, Confirmatione, & Ordine.

Hanc propositionem à Tridentina Synodo sess. VII. can. 9. definitam probant Theologi pluribus argumentis, quorum singula afferemus & explicabimus. Primo loco insignis Polemicæ Theologiæ Scriptor, Eminentissimus Bellarminus lib. 1. cap. 20. imprimi *characterem* in Sacramentis quibusdam probat, ex quo Apostolus in 2. ad Corinth. cap. 2. 21. scribat: *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephes. 1. 13. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis* nec non 10. 30. *Nolite contristare spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Infirmum putant hoc argumentum quidam Theologi, propterea quod possint hæc loca explicari de gratiæ unctione, & sanctificatione, ut revera Patres quamplurimi exposuerunt. Ac ita censent Ludovicus Habert cap. 19. q. 9. Tournely q. 4. art. 2.

Quid hic Scotus sentiat?

Ante hos verò Scotus in IV. dist. 6. q. 9. docuit admittendum utique esse *characterem* ob Ecclesiæ auctoritatem, at non firmiter probari verbis Scripturæ, vel Patrum. Quo in loco Scotus minime abjecit Catholicam sententiam, sed eam asseruit satis munitam Ecclesiæ auctoritate, nec opus esse ad ambigua testimonia confugere pro explicanda *characteris* natura, ut dicam infra: atque idcirco Scotum vindicavit Cardinalis Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. lib. IX. cap. V. Ego tamen argumentum Bellarmini arbitror inconcussum. Primò quia omnia fere testimonia Patrum, quæ eò loci Tournelius ex ipso Bellarmino ad probandum *characterem* collegit, eadem phrasi, ac Paulina loca, videntur esse contexta: ideoque si illa decretoriam probationem minimè efficiunt, erit & deprompta à Patribus ejusdem generis. Deinde Apostolus, ut liquet ex Græco textu, variata locutione haud obscure innuit priori loco diversos Confirmationis effectus; ait namque: ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν, καὶ χρίσας ἡμᾶς Θεὸς: ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς. i. e. *Qui confirmans nos cum vobis in Christum; unxit nos Deus: & qui obsignans nos, &c.* Præterea σφραγίζειν idem est, ac *insignire impresso sigillo*, & σφραγὶς idem, ac *signum sigillo impressum*, ac *nota* aliquem consignans, ac permanens, non solum apud profanos Scriptores, Pollucem, Aristophanem, Herodotum, verum etiam apud ipsum Paulum, qui ad Romanos IV. 11. σημεῖον περιτομῆς, *signum circumcisionis*, utique carni impressum, & indelebile, appellavit τὴν σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης, *signaculum justitiæ*. Postremò etiam Patres, præsertim Chrysostomus hom. 3. aliique Græcorum in Paulinis verbis, præter sanctitatis ornatum, intelligunt munus aliud, per quod speciali quadam ratione consecramur in Dei cultum: quod, ut infra dicam, est apud Patres statuendi trium Sacramentorum *characterem* princeps ratio. Atque ita, me quidem judice, Bellarmini probatio valida est, ac merito eam ante adhibuerant S. Thomas 3. p. q. 63. art. 1. & complures Scholæ Doctores.

3. Prob. 2. ex definitionibus Ecclesiæ.

Petitur secunda probatio ex Ecclesiasticis definitionibus. Nam Innoc. III. cap. *Majores*, non semel *characteris*, quem imprimit baptismus, mentionem facit. Nec audiendus Kemnitius, qui 2. p. Exam. ait id Innocentium primitus excogitasse: liquet enim de *charactere*, tanquam de re notissima, à Pontifice institui sermonem: imo ante Innocentium illius meminit in IV. dist. 24. Magister. Eugenius item IV. ante exortos

pesti-

pestilentissimos Novatorum errores, communi Ecclesiæ sensu trium Sacramentorum *characterem* in Decreto unionis docuit Armenos. Eundem postea erumpente Protestantium illuvione stabilivit præcitato canone Synodus Tridentina, non doctrinarum novitati, sed veterum documentis inhærens. Habes consensum Orientalium in censura non semel laudata Hieremiæ Constantinop. Patriarchæ.

4. Prob. 3. Traditione Patrum, maximè per comparationes.

Insuper corroboratur thesis traditione Patrum: quorum testimonia vel *characterem* æquivalentibus vocabulis describunt, vel aptissimis comparationibus explicant, vel manifesta ratione adstruunt. Tenet primum locum, quod ait Ambrosius de mysteriis cap. VII. num. 42. accipere nos in baptismate *signaculum spiritale;* & quod in Præf. de Catech. inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, baptismo imprimi σφραγίδα ἁγίαν ἀκατάλυτην, *sigillum sanctum indelebile.* At exempla, quibus Patres explicant *characterem*, sunt istiusmodi. S. Basilius Orat. XIII. quæ est Exhortatio ad Baptismum, inquit ipsos homines obsignari, ut Angelus curam eorum gerat; alioqui, ait, *quomodo id præstabit, quomodo eripiet ex hostibus, nisi impressum sigillum dignoscat?* πῶς ἀντιποιηθῇ σοί ὁ ἀνγγελος; πῶς δὲ ἀφέληται τῶν ἔχθρων ἐαν μὴ ἐπιγνῶ τὴν σφραγῖδα; Comparat etiam baptizatorum animabus domus Hebræorum in Ægypto sanguine linitas, & obsignatas, ἐσφραγισμένας οἰκίας. & eas appellat *thesaurum sigillum obsignatum, signatam oviculam.* Econtra non tinctos baptismate comparat *domibus Ægyptiorum*, ταῖς ἀσφραγίσαις, ἀσφραγίστῳ θησαύρῳ, προβάτοις ἀσημειώτοις, *non obsignatis, non obsignato thesauro, non signatis ovibus.* Eadem comparatione utitur Nazianzenus scribens in Hortatione ad sacrum Lavacrum, *Ovis enim, quæ sigillo insignita est, non facile patet insidiis;* πρόβατον γὰρ εσφραγισμένον εἰς ραδίως ἐπιβουλεύται, &c. Ab Epiphanio quoque hær. v. num. 6. *character* baptismatis comparatur signo circumcisionis, appellaturque, μεγάλης περιτομής, τουτέστι, τοῦ βαπτίσματος σφραγισαντος ἡμᾶς εἰς τὸ ονομα τοῦ Θεοῦ. *Circumcisio magna, id est, baptismatis signantis nos in Dei nomen.* Augustinus verò pluribus in locis æquiparat *characterem* baptismatis *notæ*, qua ab Imperatoribus solebant milites insigniri. Hinc Tract. VI. in Joannem num. 13. docens cur foris baptizatus recipiatur in Ecclesia absque novo baptismate, utitur comparatione militis desertoris, & inquit: *Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur: character est Regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non immuto characterem.* Idem exemplum, simulque comparationem ovium supra productam affert S. Pater lib. I. adversus Cresconium cap. 30. num. 36. scribens: *Neque enim propterea mutandus vel improbandus est regius character in homine, si erroris sui veniam; & militandi ordinem à rege impetraverit, quia eundem characterem, quo sibi satellites congregaret, desertor infixit; aut propterea signa mutanda sunt ovibus, cum Dominico gregi sociantur, quia eis Dominicum signum fugitivus servus impressit.*

Obiter hic notandum, non tantum milites jurejurando selectos, ut diximus priori capite, verum etiam *notis* quibusdam distinctos, ut *cingulo*, quo ignominiæ causa exspoliabantur, quemadmodum refert in Licurgo Plutarchus, Livius libro Hist. XXVII. & in Augusto Suetonius; *corolla* etiam *plumea, pennisque Puniceis*, de quibus lib. X. Rom. Antiq. cap. 10. Dempsterus; nec non *notis* quibusdam, *bullisque* impressis baltheo, de quibus Virgilius prope finem Æneidon:

*Cœperat, infelix humero cum apparuit ingens*
*Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis.*

Oves quoque solent à Pastoribus notari, aut incisa auricula, aut juxta Calphurnii præcepta, Ecloga V.

*. . . . vivi quoque pondera melle*
*Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,*
*Impressurus ovi tua nomina; nam tibi lites*
*Auferet ingentes lectus possessor in arvo.*

Ex quibus Patrum comparationibus liquet *characteris* signaculum revera animo imprimi, non secus ac olim in carne *nota* circumcisionis, ac sua militibus, gregibusque ovium τὰ σημεῖα.

5. Prob. 2da Pars, Baptismus, confirmatio & Ordo iterari nequeunt.

Ratio autem, quam Patres proferunt, petitur ex quo Baptismus; Confirmatio, & Ordo nequeant absque sacrilegio iterari: unde & consequitur tria tantum hæc Sacramenta imprimere *characterem*, ut recte citato canone IX. loquitur Synodus Tridentina. Et quidem Sacramenta illa tria iterari non posse, res est manifestior, quàm in ea comprobanda

banda sit nobis hoc loco immorandum. Aperti sunt enim canon septimus secundæ Generalis Synodi, quadragesimus octavus Sardicensis, sexagesimus octavus Carthaginensis, ac innumera alia Conciliorum decreta, atque testimonia Patrum, à quibus producendis, quoniam alibi sunt expendenda, interim supersedeo. Hujus autem vetitæ iterationis causam Græci apud Arcudium lib. 2. de Sacram. pag. 120. non aliam tradunt, quam ἀνεξαλείπτων μενόσων σφραγίδων, ut loquitur Philadelphiensis, *indelebilium permanentium signaculorum.* Ac perspicua est inter Latinos auctoritas Augustini, qua in Tridentina Synodo Seripandus noster contendit, ut articulus iste statuens *characterem*, non tanquam probabilior, prout quidam sentiebant, sed tanquam certus reciperetur, ut narrat citato cap. v. num. 3. Cardinalis Pallavicinus. Repetit ergo Augustinus epist. 23. nunc 98. num. 5. causam, cur iterandus non sit baptismus, ex quadam permanente consecratione, per quam etiam baptizatus apud hæreticos spiritali nota insignitur scribens: *Nam si Christiani baptismi Sacramentum, quando unum atque id ipsum est, etiam apud hæreticos valet, & sufficit ad consecrationem; quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat; quæ consecratio reum quidem facit hæreticum, extra Domini gregem habentem Dominicum characterem, corrigendum tamen admonet doctrina sana, non iterum similiter consecrandum.* Idem Augustinus docuit lib. 2. contra Epistolam Parmen. cap. XIII. num. 28. non de baptismate solum, verum etiam de ordinatione; atque citato libro 1. adversus Cresconium, lib. v. de Baptism. cap. xv. num. 20. epist. 185. num. 43. tractatu VI. in Joannem n. 15. aliisque in locis. Atque tam aperta Augustini testimonia nequeunt aut de sola fidei professione, aut de gratia sanctificante explicari. Primo enim agnoscit S. Pater his in locis baptismatis *characterem* in desertore, & in eo, qui degit inter hæreticos; docetque non esse iterum baptizandum, sed corrigendum, quoniam probandus est character Imperatoris, non error desertoris. Deinde asserit *characterem* istum permanere, tametsi baptizatus ab Ecclesia separetur, & *in quodlibet profundum malorum, & in quamlibet voraginem peccatorum irruat usque ad apostaticam ruinam*; ad hunc enim modum loquitur præcitato libro v. de Baptism. cap. 15. Ac tandem de eo *charactere* expresse verba facit, qui in hæretico quidem permanet, sed *ad vitæ participationem non sufficit*, ut in citata Epistola ad Bonifacium. At quis *notam* hanc baptizato inhærentem, & quæ sine charitate, & *unitate columbæ* permanet, quæ valet ad signaculum animæ, non ad participationem salutis, & quæ persistit in qualemcunque peccatorum voraginem, (sit crimen apostasiæ, sit hæresis) prolabatur peccator; quis inquam, *notam* istam temere appellaverit aut gratiam, aut charitatem, aut fidei Catholicæ professionem? His ergo probationibus innixi dogma Catholicum propugnamus.

PROPOSITIO II. *Character* Sacramentalis revera animæ inhæret, atque indelebilis est. §. Propositio 2. Character inhæret animæ, & quidem indelebiliter

Sequitur hæc propositio ex dictis: ac prior pars probatur I. quoniam Florentinum ac Tridentinum Concilium definiunt *characterem imprimi:* quo verbo significatur aliquid permanens, & inhærens. II. Patres præcitati *characterem* appellant notam, sigillum, signaculum: quæ vocabula exprimunt pariter aliquod inhærens signum. III. Augustinus *characterem* baptismatis ab hæretico collati vocat *Dominicum signum*, quod *fugitivus servus impressit*, quod *desertor infixit.* Prob. 1ma Pars 1. 2. 3.

Secunda etiam pars constat, principio definitione Conciliorum, quæ *characterem* dicunt *signum quoddam spirituale & indelebile:* deinde auctoritate Patrum, tum Græcorum, qui cum Cyrillo ajunt recipi per baptismum *sigillum sanctum indelebile*; tum Latinorum, qui cum Augustino ideo rebaptizationem damnant, quoniam etiam in desertoribus & apostatis permanet Regis nostri *character*: postremò communi assertione Theologorum docentium *characteri* nihil esse contrarium, quo destruatur; peccatum enim gratiæ opponitur, non *characteri*, tum quia potest etiam impius ferre Christi signaculum, quemadmodum desertor baltheum militis; tum quia *character* non confertur ad animarum sanctificationem, sed ad consecrationem quamdam, & spiritalem potestatem. Atque hinc est, quod tria tantum Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt *characterem*, quippe his consecratione quadam efficimur Ecclesiæ filii, milites, ac ministri; & sicut in aula Regis alii sunt domestici, alii militum charactere insigniti, alii arcanorum participes, judiciique Prob. 2da Pars.

prædiți potestate : ita in Christi familia sunt qui per baptismum cooptantur in domum, qui ulterius per chrisma ad fidem propugnandam redduntur idonei, & qui sacris initiationibus constituuntur divinorum mysteriorum dispensatores; suis quique signaculis condecorati. Cæteris verò Sacramentis, quæ potius ad susceptientium sanctificationem, quàm ad institutionem, munimentum, ac ministerium Ecclesiæ videntur pertinere, conferuntur quidem uberrima gratiarum munera; at non, ita Domino providè disponente, signaculum *characteris*.

Ex his consequitur non ammitti *characterem* à quocunque homine impio, etiam in apostasiam, vel hæresim prolapso: unde Augustinus inquit de apostata Tract. v. in Epist. Joan. num. 6. *characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur*. Et contra Epistolam Parmeniani lib. II. cap. 13. num. 29. *An forte minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur?* Quo in loco recte PP. Maurini notulam apposuere, *Nec in Apostatis character deletur: hærens* quippe Sacramentum non est ritus pertransiens, nec gratia, qua destituuntur apostatæ, ideoque est *character*. Quærenti autem cur in istis permaneat, idem Augustinus respondet de Symbolo cap. VIII. num. 15. *Quomodo desertor habet characterem, ita & isti habent baptismum: habent, sed unde damnentur, non unde coronentur: & tamen, si desertor ipse correctus incipiat militare, nunquid audet quisquam characterem mutare?* Quamobrem iis subscrimus, qui tenent etiam in beatis ad ornatum atque decorem, nec non in damnatis ad increpationis notam, & dedecus, spiritale hoc signaculum permanere. Arbitramur quoque, *si quis ab hominibus demigraret, & rursus à mortuis evocaretur, nequaquam eum fore anabaptismo, novaque initiatione consecrandum; ob permanentia & indelebilia signacula;* ut ex communi Græcorum sententia inquit apud Petrum Arcudium lib. II. cap. 23. Gabriel Antistes Philadelphiæ: εἰδέ τις ἐξ ἀνθρώπων γέγοιτο, καὶ αὖδις ἀναξαίη κε ἂν δεῖτο ἀναβαπτισμοῦ, ἅτε μὴν ἀναχειροποιήσεος, ἀνεξαλείπτων μενεσῶν τῶν ἐπ' αὐτῳ σφραγίδων. Atque idem sentiunt Scholæ Doctores cum D. Thoma 3. p. q. 63. art. 5. Quamquam ad id probandum parum, vel nihil conferat argumentum petitum ex eo, quod subjectum *characteris*, uti & fidei, sit intellectus, qui perpetuo viget in homine: sive enim subjectum hujusmodi sit animæ substantia, sive intellectus, sive voluntas; cum omnia hæc incorruptibilia sint, persistet *characteris*, qualecunque illud dixeris, *subjectum*; modò illud non sit dissolubile corpus. Imo cum animæ à facultatibus suis distinctionem negent in Schola complures, iisque nos libro XII. cap. 10. subscripserimus; illam de *subjecto characteris* quæstionem, utpote aut falsis, aut incertis saltem philosophorum decretis subnixam, scite prætermittendam existimamus.

Prop. III. Citra fidei periculum negari potest *characterem* esse rem distinctam ab anima. 7. Propositio 3. Non est contra fidem dicere characterem esse rem ab anima indistinctam. Prob. 1.

Hujus theseos hæ sunt probationes. Primùm cum sacrosancta Tridentina Synodus ad extirpandas hæreses intendens animum, plura de Sacramentis cæterisque fidei capitibus definierit, ea, quæ Scholastici disputant, salvis fidei decretis, nullo anathemate perstrinxit. *Characterem* verò distinctum non esse realiter ab anima docuerant omnes fere Nominales, quemadmodum refert Alex. Alensis in IV. q. VIII. art. 1. & Dominicus Soto dist. XIX. q. 1. art. 1. concl. 3. Deinde ipsi Theologi Tridentini testantur venerandam Synodum nequaquam hac de re protulisse sententiam: inter quos Alphonsus à Castro lib. VII. adversus hæreses, ait parum referre, an character *sit qualitas, sive revelatio*, dummodo asseratur esse signaculum, quod Deus animæ imprimit, ut suum gregem discernat ab aliis. Atque præcitatus Dominicus Soto in IV. dist. 1. q. 4. art. 2. fateur opinionem, quæ tenet *characterem* non esse rem distinctam à subjecto, nunquam visam sibi à veritate alienam, & dist. 19. quæst. 1. inquit à se haberi tanquam probabiliorem: ibique in uno *charactere* Ordinis distinguit plures potestates per solos respectus ad diversa munera, ut potestatem conficiendi Eucharistiam; & potestatem solvendi & ligandi, confugiens ad solam distinctionem, quam nos alibi appellavimus *connotatorum*. Prærerea descenderunt in hanc sententiam etiam recentium Theologorum plurimi: non tantum ii, qui aliam ab Aristotelica physiologiam sectantur, eliminantque *entitates*

*tates* à substantia distinctas, verum etiam in illa philosophia cum moderatione versati, ut Habertus cap. 19. q. 7. nostrique Farvacques, Vanroy, alii.

2. Insuper, ut ego lib. XIX. cap. 1. diserui de gratia *habituali*, eam utique inhærentem debemus contra Sectarios propugnare: sed cum Scripturæ ac Patres eam appellent *signaculum Spiritus sancti*, & comparent sigilli alicujus impressioni, cumque optime percipiatur signaculum, & figura per sigillum impressa, per accedentem *habitudinem* quamdam, & subjecti, ut inquiunt, *modificationem*; necessum non est gratiam ipsam constituere in spiritali *entitate*, & re, quæ distinguatur ab anima. Idem ergo possumus affirmare de *charactere*; & quidem potiori jure, cum ipsum Concilia, Patres, Theologi appellent *figuram, signum, sigillum, signaculum.*

3. Postremo non video quid incommodi subeat, qui pervulgatam in Scholis de *characteris* natura abjiciat opinationem; quin potius facilè, si amplectatur hanc nostram, eludet argumentationes cum Scoti, Durandi, Nominalium, recentiumque Philosophorum, tum etiam Protestantium, qui perperam objectis Scholarum dissidiis tentant nos penitus exanimare. Nihil enim nobis cum Durando, qui *characterem* constituit *in relatione rationis;* dummodo fateatur subjectum hujus relationis esse animam intrinsece Christi *charactere* signatam; ut ratio pretii in nummo *relatio* quidem est, non tamen argenti utcunque vel auri; sed argenti, aut auri quadam figura & charactere obsignati: Nihil cum Scoto, qui *relationem* illam *realem* statuminat; nam & Scoto annuemus, modo, ut fatetur Mastrius, hujus relationis inhærentem *formam* unanimi sensu recipiamus. Nihil denique cum oppugnatoribus Peripateticorum accidentium: nostra enim nihil interest, si ut figuram à quantitate, & ceræ imaginem ab illius dispositione non secernunt, ita nec distinguant ab anima *characterem;* dummodo sicut figuram in circulo, & in sigillo formam vident inesse, ita *characterem* revera inhærere animæ fateantur.

8. Objectio. Me non latet opinantes oppositum ista adversus me objectare. Inquiunt primò definitum à Conciliis, quod *character imprimatur*; id verò percipi nequit sine alicujus novæ *qualitatis* productione. Addunt ipsum *characterem* pertinere *ad secundam speciem qualitatis*; cum sit *signaculum indelebile, quo homini confertur spiritalis potestas.* Ajunt quoque *characteri* suam esse definitionem diversam à definitione animæ, ac suam proinde *entitatem.* Verùm hæc nullatenus quatiunt præmissam positionem. Respondemus enim figuram quoque rectè dici corpori impressam, tametsi illam à quantitate distingui minime concedamus: fatemur *characterem* esse *qualitatem*, &, si id pugnaciter contendatur, etiam *secundæ speciei*, quamvis illum *ad figuram* referat Marsilius, *ad habitum* Alensis, *ad patibilem*, ut vocant, *qualitatem* Altisiodorensis cum aliis; sed eatenus *characterem* dicimus *qualitatem* atque *potentiam*, quatenus est quædam animæ habitudo, sive ipsamet anima affecta spiritali signaculo, & connotans collatam sibi divinitus potestatem; quemadmodum intellectus & voluntas appellantur *potentiæ*, & nihilominus sunt ipsa animi rationalis substantia, non *formaliter*, ut inquiunt, considerata, sed duntaxat *connotative.* Negamus etiam definitiones diversas semper commonstrare distinctionem rerum; cum alia ratione definiatur res in se spectata, ut *Deus*, *anima*, *corpus;* alia autem ratione eadem res considerata *connotative*, ut *Pater*, ut *intellectus*, ut *figura*; quamvis nec Pater sit alia res à Deo, nec intellectus ab anima, nec figura à corpore. Cæterum nolumus de re nobis incomperta certum proferre judicium: & quemadmodum dari *characterem* firmissime profitemur, id Ecclesia definiente, & Theologis consentientibus; ita quid sit *character*, in Ecclesiæ silentio, ac inter Scholarum dissidia nolumus temere definire, & ingenue fatemur nos ignorare.

Responsio.

9. Objiciunt hæretici. 1. At opponunt hæretici. Principio cum Theologi plurimi fateantur *characteris* naturam esse nobis penitus incompertam, nonne summæ dementiæ est, velle illum definitione describere, ac homines ratione præditos ad admittendam rem prorsus ignotam compellere? Deinde nec ipsi Scholarum duces ante Petum Pictavienscm Magistri sententiarum auditorem, *characteris* meminerunt, altumque de eo silentium est penes ipsum Magistrum: ideoque non male eundem characterem appellavere quidam Innocentii Tertii figmentum, placitumque Scholasticum exortum labente sæculo tertiodecimo. Insuper si

proxime subsecutos Theologos consulamus, quidnam præsidii ex iis ad stabiliendum *characterem* haurire poterunt disputatores? Durandus, ut dictum est, illum constituit *in sola relatione rationis*: quod perinde est, ac si dicas in denominatione quadam, per quam significatur collata dignitas ac potestas, qualis est character Regis, Ducis, Magistri: nec aliter sentire videntur recentiores Canonistæ apud Vanespen Juris Eccl. Univ. p. 2. tit. 1. cap. 1. Scotus propter auctoritatem Ecclesiæ utique *characterem* recipit, id est, propter Innocentii III. Rescriptum. At negat ex Patribus, aut Scriptura illum evinci. Cajetanus item in 3. p. p. 63. art. 1. agnoscendum *characterem* fatetur ex sola auctoritate Ecclesiæ, eaque non multum antiqua. Idem tradiderunt Albertus Magnus, & Gabriel Biel in IV. dist. 6. Hi autem Theologi quamvis videantur *characterem* ob Ecclesiæ auctoritatem admittere (quemadmodum de Scoto in Hist. Conc. Trid. inquit Paulus Sarpi) illum *modesta sagacitate* repellunt: nulla quippe est Ecclesiæ auctoritas, nisi aut divinæ Scripturæ, aut Patrum testimoniis suffulta.

2. Quod vero nec Scriptura, nec Patrum auctoritate stabiliri queat Sacramentalis *character*, & istud facili negotio hæretici jactant se demonstrare. Enimvero nullum de *charactere* in sacris libris exstare vestigium, permulti, ut diximus, Scholastici etiam postremæ ætatis fatentur. Patres autem *signaculi* quidem *baptismatis* alicubi meminere, & Augustinus *characterem* expresso quoque vocabulo nominavit; sed nequaquam id, quod contendunt Scholastici, eo vocabulo designarunt. Nam Augustinus in sermone ad Cæsarienses plebem num. 2. dilucide ait nihil esse *characterem* baptismi præter Christianæ fidei professionem. *Ego*, inquit, *quando venio ad fratrem meum, & colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Iste est character Imperatoris mei: De isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus præcepit dicens, Ite baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Istum characterem à Domino dictum omnibus credentibus imprimendum, &c.* Dixerat paulo supra Augustinus Donatum, si proprio in nomine baptizasset, suum quidem impressurum *characterem*, at non inviolabilem, & qui non posset deleri. *Nam si Donatu* (inquit) *quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret: ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem; anathematizarem damnarem: nunc vero iste desertor characterem fixit Imperatoris sui.* Quemadmodum ergo *character desertoris* nihil esset, quam tessera ac professio illius sectæ; ita *character Dominicus* nihil erit, præterquam sanctæ Trinitatis & Evangelicæ fidei confessio.

Denique ad stabiliendum *characterem* 3.
impares sunt & invalidæ ratiocinationes Theologorum. Hi *characterem* ex eo præsertim capite adstruunt, quod aliqua Sacramenta nequeant reiterari. At nec prima tonsura reiteratur, ne in iis quidem, qui de gradu dejiciuntur: unde quidam Tridentini Theologi, si fides habenda Paulo Sarpi lib. VII. art. V. hoc nixi argumento existimarunt in prima etiam tonsura *characterem* imprimi: quod sane nullus dixerit, cum tonsura nec Ordo, nec Sacramentum sit. Circumaguntur quoque Scholastici, & implicantur vitioso circulo, dum probare nituntur tria Sacramenta imprimere *characterem* ex quo nequeant reiterari, & vicissim ajunt reiterari non posse quoniam *characterem* infigunt. Infirma est etiam ratio altera, quod Baptismus, Confirmatio, & Ordo ideo *characterem* imprimant, quia conferuntur quadam consecratione, per quam homines in Dei cultum deputentur; id enim videtur proprium cujuslibet Sacramenti. Sed & quod inquiunt *characterem* esse figuram, notam, signaculum, ac signum quoddam distinctionis, futile admodum ineptumque videtur. Cui enim hoc signo innotescere debent ferentes τὴν αὐτὴν σφραγῖδα, *impressum sigillum istud*? Deone? Noscit ille absque tali signaculo gregem suum? Hominibus vero? Horum intuitum latens illa obsignatio subterfugit. Atque hæc sunt, quæ adversus *characterem* ab hæreticis opponi hactenus comperimus.

Ad hæc omnia servato ordine respon- 10.
demus. Dicimus ad primum, temere Respondetur.
existentiam denegari rerum illarum, Ad 1.
quarum naturam & essentiam percipere non valemus: supernaturalium quippe non sensus, aut ratio exhibet normam, sed fides, traditio, auctoritas. Alioqui si ea neganda sunt, quæ superant

rant captum nostrum ; nec Trinitas erit, nec Incarnationis œconomia, nec mysterium aliud absconditum. Verum non esse *criterium* rerum credendarum rationem humanam, pluribus argumentis demonstravi lib. XXIII. cap. 2. Nec nos cogimus quemquam, ut credat *characterem* esse qualem aut excogitavit Durandus, aut delineavit Scotus, aut descripserunt alii scholarum Doctores; satis nobis est, si illius existentia non revocetur in dubium. At inquis Scholastici varias *characteris* tradunt definitiones. Quid inde? Fatentur tamen omnes esse illum indelebile quoddam signum impressum animæ; etsi in hoc signo explicando quisque pro sua opinatione ratiocinetur. In eo ergo, in quo omnes consentiunt, nemini fas est dissentire, quia in hac re non humana ratione ducuntur, sed traditione majorum: in eo autem, quod quisque addit ingenii sui adinventionibus, ego quidem neminem compello, ut uni præbeat assensum, vel alteri. Videmus in explanandis naturæ phænomenis alium ad athomorum effluvia confugere, alium ad triplex elementum Cartesii, alium ad leges motuum, alium ad occultas qualitates; & cum singuli diversa utantur physiologia, cui poteris reluctari, explicant tamen eadem phænomena, quæ evenire non ambigis. Si tam discordia sunt hominum placita in his, quæ cadunt sub oculorum aspectum; haud mireris litigiosos fuisse Scholasticos, dum humana ratione de rebus occultissimis disputarunt. Tene quod explicare conantur, si probare non potes, vel forte non assequeris singulorum explicationes. At *characteris* nomen fuit antiquioribus incompertum. Sit, ut dicis: de re, non de nomine disputamus. Dictum sæpenumero, omnes hæreses novas intulisse quæstiones, easque profligatas fuisse usu novorum vocabulorum. Proba, quod nos explicamus vocabulo *characteris*, id nequaquam veteres significasse *signaculi*, ac *sigilli* nominibus. Si id asseras, os tibi Græcorum: Latinorumque Patrum testimoniis conabor obtundere. Verum & *characterem* saltem ab Augustino sæpissime nominatum non ignoras. Falleris propterea qui autumas ab Innocentio III. fuisse confictum. Quis sibimet persuadeat hoc vocabulo usum omnium primum hunc Pontificem, dum rescripsit Archiepiscopo Arelatensi quærenti, *an baptismus collatus dormientibus & amentibus imprimeret characterem?* Certe & qui de hac re interrogat, & qui respondet impri *characterem*, dum Sacramentalis operatio non invenit obicem voluntatis contrariæ, loquuntur de *charactere*, tanquam de re in Ecclesia Catholica satis comperta; nec pertractant quæstionem, *an baptismus characterem conferat*, sed, *an baptismus characterem conferat, si baptizentur amentes aut dormientes.* Inquirimus & nos, num *character* Ordinis imprimatur invito & reluctanti. In hac quæstione instituiturne disputatio, an Ordo imprimat *characterem*, an id tanquam certum supponitur? Id quidem supponimus. Itaque & baptismum imprimere *characterem*, sedente Innocentio, tenebant omnes, positumque erat extra aleam omnem dubitationis. Dicis, cur nec Magister meminit *characteris*? Respondent Theologi meminisse in IV. dist. VII. ubi ait Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse, quia juxta Augustinum dantur per consecrationem, *quod autem semel est consecratum. suam consecrationem nunquam amittit:* ut enim dictum supra, hæc consecratio non significat gratiam, quæ amitti potest. Addo Magistrum etiam expresse locutum de *charactere* in IV. dist. 24. ubi ait: *Character ergo Spiritualis, ubi fit promotio potestatis, Ordo vocatur;* ibique docet hunc Ordinis characterem esse *sacrum quoddam signaculum.* Scholastici demum, ubi asserunt *characterem* non posse probari ex Scriptura vel traditione, disputant de *characteris* natura, non de existentia: enimvero ex traditione saltem compertum est, *characterem* imprimi, quamvis inde nequeat inferri, an sit relatio, an qualitas, an habitudo. Atque hoc sensu Scotus in IV. dist. VI. q. 9. inquirens an *character sit forma realis impressa in anima*, ait: *Nec Scriptura sancta istud exprimit, nec Sancti explicite:* unde liquet mentem Scoti minime assecutum Polanum, dum scripsit: *Anzi Giovanni Scoto disse, che per parole della Scrittura, e de' Padri, non era necessario porlo; ma solo per l'autorità della Chiesa: modo consueto a quel Dottore di negar le cose con maniera di cortesia.* Hist. Conc. pag. edit. Gen. 246. Et quidem si Scotus negasset *characteris* existentiam, cur quæstione proxima prolixe disputasset de hujus *characteris* natura, contendens sitam esse *in forma aliqua relativa*, non autem *in absoluta*? Quis tempus terat in nihili investiganda natura? Quod dixi de Scoto, idem de quibusdam aliis antiquis Scholasticis dicendum est; etsi non

oportet, ut post Ecclesiæ decreta mentem cujusque Scriptoris tanta anxietate perquirere studeamus.

Ad 2. Venio ad oppositionum partem alteram. Etiam ex Scripturis evinci existentiam *characteris* docuit, ut dictum est, Bellarminus, cui subscribimus. Quamvis tamen silerent Scripturæ, clamat antiquorum traditio, traditionisque custos, & perscrutatrix Ecclesia: quæ satis mentem Augustini, aliorumque Patrum expressit. Age tamen, dicamus perpauca de præcitato sermone ad plebem Cæsariensem. In eo inquit S. Pater Baptismi, & Ordinis *characterem* permanere in desertore, ac desertoris nomine intelligit schismaticum & hæreticum; agnoscit ergo *characterem* à fide, & à gratia sanctificationis distinctum. Addit non iterandum baptisma Donatistarum, quoniam etiam Donatus infixit dominicum *characterem*. Ait quoque hunc *characterem* imprimi credentibus, dum baptizantur in nomine Trinitatis. Nonne hæc perspicue traduntur in eodem loco, qui objicitur? Augustinus ergo docet in baptismate *imprimi characterem*, & hujus causa iterandum non esse baptismatis Sacramentum. Sed objicis: Augustinus ait *characterem* istum dignosci interrogatione baptizatorum, & esse fidem ipsam Trinitatis, cujus invocatione confertur baptisma. Respondeo: Si ita res se habet, quomodo Augustinus ait *characterem* illum esse etiam in desertore, qui aliquando fidem Trinitatis pessundat & abnegat? Audias ergo Augustinum sese explicantem, & quidem apertius, quam fecerint quidam Scholastici. Petit infra S. Pater à Donatista, ut ostendat sibi, habere illum Sacramentum Christi; & ait, id Donatistam commonstrare profitendo fidem Trinitatis: non quod fides Trinitatis sit ipsum baptismatis Sacramentum; sed quia exponit *formam*, qua confertur Christi baptisma. *Et certe;* (expende Augustini verba) *videamus quod habes. Habeo, inquit, Sacramentum, habeo baptismum. Si dicam tibi, Proba: ostendis mihi quod acceperis, dicis quid confessus fueris, dicis quid teneas. Agnosco, non muto, non exsuffio. Absit, ut cum quæro salutem desertoris faciam injuriam imperatori. Ergo probasti mihi quod habeas Sacramentum, exponendo Sacramentum.* Quod supra Augustinus dixit de *charactere*, repetit modo, iisdemque fere verbis de Sacramento. Atqui juxta Augustinum ideo ex confessione fidei dignoscimus aliquem verum accepisse baptismum, quia istiusmodi confessio exponit *formam*, qua verus baptismus confertur. Igitur eatenus ex fide Trinitatis cognoscimus *characterem*, quatenus fides ipsa exprimit Trinitatem, cujus invocatione datus baptismus *characterem* figit & imprimit. Redeas modo ad verba, quæ opponebantur: *Attendo fidem in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, præcepit dicens, Ite baptizate gentes in nomine Patris, &c.* Ita ex fide cognoscis *characterem*, quemadmodum ex fide cognoscis Sacramentum; quoniam scilicet fides exponit quibus verbis & consecratur baptismus, & *character* imprimitur. Is mihi videtur verborum Augustini sensus obvius, atque perspicuus. Nam quod sequitur de *charactere* baptismatis in nomine Donati, *hypothetice* ab Augustino, non *absolute* profertur; quasi dicat, Si baptismus daretur in nomine Donati, iterandus esset, nec imprimeret *characterem* indelebilem, quoniam esset *character* desertoris: contra vero dum confertur in nomine Trinitatis, baptismus iterandus non est, figitque perenne signaculum, quoniam est signaculum Imperatoris. In hoc autem asserendo Augustinus quemadmodum non ait baptismum à desertore collatum in nomine desertoris esse verum baptismum; ita non credidit *characterem* Donati futurum in ea hypothesi verum *characterem*: neque hypothesim ipsam approbat; sed ex ea urget & vellicat Donatistas iterantes collatum *extra unitatem* in Christi nomine Sacramentum.

Ad 3. In diluendis iis, quæ postremo loco objiciuntur, non ero verbosus: quippe ubi de rebus obscurissimis disputatur, irrefragabili auctoritati debet subjici ingenioli nostri imbecillitas. Asserimus itaque opinionem eorum, qui in Tridentina Synodo dixerunt Tonsuram quoque, non quamlibet, sed sacro ritu ab Episcopo datam, Sacramentum esse, & imprimere *characterem*, non esse omnino improbabilem, ac propugnari à multis, maxime Canonistis. Enimvero Tonsuræ σφραγίδα canon 33. Trullanus, & 14. Synodi 11. Nicænæ commemorarunt. Ast quoniam vetus fuit consuetudo in collatione Lectoratus tondere comam, ut solet fieri etiam-

num

num apud Græcos & Syros; probabilius existimamus appellari *characterem* tonsuræ, aut significatione ampliori, aut comparate ad Ordinem, in quo simul initiati tondebantur; ita, ut fuerit olim *tonsura* ceremonia quædam annexa collationi minorum Ordinum, & quæ proinde gratiâ puerorum Ecclesiis inservientium etiam absque ullo Ordine conferatur. Fuit etiam tonsura aliquando apud veteres iterata, &, auctore Morino p. 111. Sacr. Ordinat. Exerc. xv. pag. 272. in cujusvis Ordinis collatione; unde, ut modo non reiteretur, facit sola Catholicæ Ecclesiæ consuetudo. Corruit ergo ratio priori loco producta. Nec melioris notæ est altera: siquidem non est *vitiosus circulus* dialecticorum probare existentiam causæ ex effectu, & vicissim; quando unum eorum certo dignoscitur. Cum ergo nobis compertum sit, baptismum, etiam confessione hæreticorum, non esse iterandum; inde opinamur id evenire ex peculiari quodam, ac permanente effectu ejusdem baptismi. Neque enim cur baptismus non iteretur, facit aut quod institutum sit ad delendum peccatum originale, quod semel remissum non redit; aut quod sit Sacramentorum janua, aut quod certam habeat promissionem æternæ vitæ; quod reponere solent heterodoxi. Etenim ille, qui ficte baptizatur, non consequitur originalis peccati remissionem, nec tamen iterum tingendus est. Apostata etiam & hæreticus foras exiit; nec iterum per lavacrum baptismatis eidem janua aperitur. Eucharistiæ insuper, quamvis frequentissime repetatur, conjuncta est æternæ vitæ promissio. Ineptas itaque hæretici causas afferunt, cur non iteretur baptismus, ut *characterem* eliminent. Hunc vero cur cætera Sacramenta non imprimant, præter Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, dixi in secunda propositione. A postrema denique argumentatione facile me expediam: placuit quippe Domino fideles suos obsignare, ut dignoscerentur ab Angelis, ut electi in cœlis Sacramentorum Christi decora præseferrent, ut in gehenna cum signaculo Imperatoris vehementius desertores confunderentur: quod licet Omnipotens potuerit alia ratione perficere, placuit ei præstare impressa spiritali notâ, quæ per comparationem ad insculptam, vel inscriptam formam, recte appellatur χαράκτηρ, *figura, insigne, lineamentum, signaculum.*

# CAPUT XXIII.

## Agitur de Sacramentorum ceremoniis, & nonnulla circa Sacramentalia annotantur.

### *SUMMARIUM.*

1. De ceremoniæ vocabulo.
2. Quotuplicis generis?
3. Quid sint?
4. Ecclesia ceremonias instituendo non est abusa suo Jure.
5. Sed providè & prudenter id fecit.
6. Ceremoniæ habent significationem mysticam, & symbolicam.
7. Sunt sedulò observandæ.
8. Catholici non putant (prout fingunt hæretici) per ceremonias conferri remissionem peccatorum, & gratiam.
9. Qualiter peccet eas omittens.
10. & 11. Solvuntur objectiones hæreticorum.
12. Usus sacrarum vestium est pius, & justus.
13. Psalmodiæ & canticorum usus in Ecclesia, est vetustus, & utilis.
14. Cur Ecclesia in suis canticis, & ritibus utatur linguâ latinâ?
15. Usus candelarum &c. est condecens.
16. cur Ecclesia utatur thure, & incenso.
17. Solvitur objectio hæreticorum.
18. Cur utamur aqua lustrali?
19. De Eulogiis, & pane Benedicto.
20. De Benedictionibus, præsertim cinerum.
21. De Benedictione palmarum.
22. De Benedictione cerei Paschalis.
23. De Agnis Dei.
24. De Benedictione candelarum in Festo Purificationis B. V. M. De Theologicis Disciplinis liber 31. &c. &c. &c.

1. Ceremoniæ quid nominis.

DE *ceremoniæ* vocabulo, ejusque significatione non pertractant viri Theologi. Strabo, Valerius Maximus, Livius apud Vossium in Etymologico *ceremoniam* dici putant à *Cære* Thusciæ oppido, ubi quo tempore Galli Romam tenebant asservatum putant æternum ignem, commoratasque Vestales: unde Livius *Cæremonia* lib. VII. appellavit *Receptaculum Romanorum Sacrorum.* Scaliger derivat *ceremoniam*, à perantiqua dictione *cerus*, id est, *justus*,

*stus*, *bonus;* quemadmodum à *castus* castimonia derivata est, & à *sanctus* sanctimonia. Hinc multi *ceremonias* scribunt absque diphthongo: ita hi, qui *à Cerere* hoc nomen repetunt, ut Philoxenus; nec aliter qui cum S.P. Augustino lib. 2. Retract. cap. 37. & Isidor. lib. VI. Etymolog. cap. ultimo, *ceremonias* deducunt *à carendo*, eoquod observantes careant his rebus, à quibus abstinent. Nonnulli repetunt *à cælo*, L. in R. commutato, ut in *cæruleus:* perplacetque Vicecomiti, aliisque de hoc argumento pertractantibus prior etymologia; nobis tradita ab Augustino. Sunt autem ceremoniæ *sacra omnia*, *quæ apud Græcos Orgia vocantur*, inquit eo loci Isidorus; quamvis *Orgia* proprie essent sacra Liberi Patris, id est, Bacchi. At de nomine satis.

2. Quotuplicis generis?

Quæcunque ad cultum Dei pertinent possunt generali appellatione dici *ceremoniæ*, easque recte partitur Bellarminus lib. 2. de Sacr. in gen. cap. 29. juxta quatuor genera causarum. In sacris enim actionibus quædam à Christo, quædam ab Apostolis, quædam ab Ecclesia fuerunt præscripta; quædam etiam indita à natura, ut cœlum respicere, manus tollere, tundere pectus. Atque hæc à causa efficiente, sive ab Institutore distinguuntur. Ea quoque, si rem, vel causam materialem inspiciamus, aut personam spectant, aut tempus, aut modum, aut rem ipsam, puta oleum, panem, aquam, vestes, &c. A causa *formali* dividit Bellarminus ceremonias in eas, quæ vel immediate sunt Dei cultus, ut sacrificium, oratio, adoratio: vel ad Dei cultum disponunt, ut jejunium, & cælibatus; vel divini cultus sunt instrumenta, ut templa, calices, aræ. Sumitur denique ceremoniarum partitio ab effectu, vel fine: nam aliquæ institutæ sunt ad sanctificandum hominem, ut Sacramenta; aliquæ ad quosdam spiritales effectus, ut exorcismus, & aquæ lustralis asperso; aliquæ ad ornatum, & mysticam significationem, ut cereorum lumina, alba Neophytorum vestis, Sacerdotum, clericorumque indumenta.

3. Quid sint?

Hoc tamen loco ceremoniarum nomine intelligimus *Ecclesiasticos ritus vel à Christo*, *vel ab Apostolis*, *vel ab Ecclesia institutos*, *ut sacra decentius*, *& cum majori solemnitate peragantur*, ita, ut ceremonias non Sacramenta, aliaque sacra dicamus, sed modum, ordinemque res sacras decenter, accurate, magnifice, certis servatis regulis, rebusque adhibitis tractandi, atque perficiendi. Quæ vero ceremoniæ in unoquoque Sacramento serventur, singillatim suis in locis tradentur: nunc enim universim inquirendum est, num ceremoniæ recte sint institutæ, serventur utiliter, & inculpate possint omitti, adjectis quibusdam annotationibus circa ea, quæ in pluribus ac fere omnibus Ecclesiasticis functionibus assumuntur in usum, id est, sacris vestibus, Clericorum cantu, accensis cereis, thurisque suffitu: nam hæc omnia hæretici vellicant, damnantque superstitionis. Perpauca etiam dicemus de Sacramentalibus, quæ à recentioribus sex numerantur, comprehensa vulgato carmine, *Orans*, *tinctus*, *edens*, *confessus*, *dans*, *benedicens*, id est, Dominica oratio, aqua benedicta, eulogiæ, scilicet panes sancti fidelibus distributi, confessio pœnitentium, quæ, ut diximus pag. 57. olim feria V. in Cœna Domini fiebat, eleemosyna, & elargitio benedictionum. At improprie inter Sacramentalia connumerantur oratio & eleemosyna; quæ potius opera moralia sunt, quam ritus ab Ecclesia instituti, habentes aliquam cum Sacramentis *analogiam*, quod est proprium *Sacramentalium.* Confessio pariter peccatorum, & beneficium absolutionis, sive privatim, sive in conventu Ecclesiæ impendatur, pertinet ad Pœnitentiæ Sacramentum: ideoque inter Sacramentalia locum habet illa tantum confessio generatim facta, antequam à Sacerdote, vel Episcopo benedictio percipiatur. Benedictionis quoque vocabulum cum amplum nimis sit, à nobis coarctabitur ad sacros cineres, ad ramos palmarum, ad cereum Paschalem, ad sacras imagines cereas, quas *Agnus Dei* communiter appellamus, & ad candelas, quas Romana Ecclesia solet in Purificatione beatæ M. V. benedicere. His enim potissimum, tanquam superstitiosis ritibus, heterodoxi indignantur.

4. Propositio I. Ecclesia instituendo ceremonias non abutitur jure suo; sed prudenter agit. Prob. 1ma Pars 1. ex Apost. & Aug.

Propositio I. Ecclesia ceremonias instituendo jure suo minime abusa est, illasque recte, prudenterque præscripsit.

Demonstratur pars 1. Habere Ecclesiam auctoritatem ceremonias, ritusque instituendi, complura momenta suadent. Principio id evincunt Theologi ex Apostolo ad Corinthios scribente, Epist. 1. cap. XI. 34. *Cætera autem cum venero disponam:* quem in locum S. P. Augustinus epist. 54. aliàs 118. ad Januarium

nuarium ait institutos ab Apostolis quosdam ritus toto terrarum orbe servandos: cujus generis sunt anniversaria solemnitas Dominicæ passionis, resurrectionis, & ascensionis ad cœlum, & quidquid custoditur *ab universa quacunque se diffundit Ecclesia:* deinde inquit S. Pater, etiam post Apostolorum ætatem quædam instituta, *quæ per loca terrarum, regionesque variantur*; cujusmodi sunt sabbati jejunium, & divinæ Eucharistiæ facta certis diebus frequentatio, productis etiam ad hoc stabiliendum verbis Apostoli. Ex quibus Augustini præceptionibus tria adversus hæreticos consequuntur; unum scilicet, præter Sacramentorum institutionem, quam Scriptura sacra commendat, plura saluberrime retineri ad ipsorum Sacramentorum usum, dignitatemque spectantia: alterum, ex horum genere quædam esse, quæ ubique terrarum ab Ecclesia tenentur, nec variantur ulla morum diversitate, atque hæc tradita per Apostolos, & à nemine prorsus violanda: tertium denique, complura in particularibus tantum Ecclesiis vigere, quæ etsi comparate ad universam fidelium multitudinem liberas habeant observationes, servanda sunt tamen *pro eorum, inter quos vivitur, societate.*

2. Ex traditione veterum.

II. Sacrarum ceremoniarum institutionem comprobat traditio veterum. Martyr enim Justinus prope finem Apologiæ ad Antoninum Pium commemorat sacros diei Solis conventus, concionum precumque ordinem, benedictionem Antistitum, Diaconorum ministerium, aquæ vinique oblationes, præscriptamque Eucharistiæ consecrandæ rationem. Tertullianus pariter de Corona milit. cap. 3. abrenuntiationes, quæ fiunt in baptismo, exhibitas Deo flexis genibus adorationes, signum Crucis fronti sæpissime impressum, standi à Paschate ad Pentecosten usque consuetudinem, aliaque permulta ex veterum disciplina recenset. Exorcismos baptismi laudant in Epistola ad Magnum Cyprianus, in priori Catechesi Cyrillus Jerosolymitanus, & in sermone ad Catechumenos 1. §. 2. atque in libris adversus Pelagianos præstantissimus Augustinus. De ceremoniis in Missæ sacrificio usurpatis laudatus Cyrillus Catechesi V. Magnus Basilius de Sp. sancto cap. 27. aliique veteres pertractarunt. At peculiares ritus suis in locis curabimus vindicare.

3. Ex consuetudine perpetua.

III. Omni prorsus ætate, naturæ instinctu, legis mandato, atque auctoritate majorum certa sacrorum mysteriorum ratio ad cultum Dei promovendum recepta est. Et quidem nondum lata lege, post pium Abelem Noe constructo altari Domino pecudes volucresque mactavit. Jacob non solum lapidem erexit in titulum, verum etiam sacrâ ceremoniâ fudit desuper oleum. Jethro Exodi XVIII. 20. Moysi suadebat, ut populo ceremonias, ritumque colendi Deum præmonstraret. Quæ verò idem Moyses Domino præcipiente constituit, non opus est describamus. Rituum autem veterum observationem ipsemet Moyses Deut. IV. populum alloquens, & Rex David acturus animam Salomonem exhortans III. Regum 2. summopere commendaverunt. Synagoga quoque Judæorum nova addidit festa, Judithæ, Estheris, & Machabæorum temporibus. In Evangelica demum lege statuerunt Apostoli quæ videbantur opportuna, abstinentiam à suffocato & à sanguine, solemnitates sabbati in diem Dominicum commutationem, Matthiæ electionem per sortes, institutionem septem Diaconorum, aliaque bene multa.

4. Ex Confessionibus hæreticorum.

IV. Hæretici ipsi quamquam rebelles lumini; aliquando coacti sunt veritatem hanc profiteri: siquidem in præfatione Confess. Helveticæ legitur, *Semper in ritibus & ceremoniis Christi Ecclesiæ usæ sunt libertate: id quod in historia Ecclesiastica videre licet;* quibus verbis saltem *Reformati* concedunt dari ritus, qui à Christo instituti non sunt, & possunt pro libitu Ecclesiæ, temporumque opportunitate immutari. In Confessione pariter Augustana art. XV. etsi impie asseritur complures Ecclesiasticos ritus servari non posse sine peccato, habetur nihilominus ritus plures, *qui sunt humana auctoritate instituti, servandos esse, ut certæ feriæ, certæ cantiones piæ: & alii similes ritus.* Bullingerus Decade V. serm. 8. fatetur ritus: qui observantur in Ecclesia Romana, esse vetustissimos; idque de Baptismo comprobat exquisitissimis Augustini testimoniis, nec aliter Calvinus, tametsi impudentissime eosdem ritus *incantationes* appellitet. Vide Joannis Georgii *Conversionem* pag. 38. Adiaphoristæ etiam, de quibus Hosius lib. 1. de hæres. & Prateolus de Sectis, id est, Lipsienses & Witthembergenses, ut dicuntur, Reformati, Sacramentorum ceremonias res indifferentes existimant: ideoque poterat illas Ecclesia præscribere, & recipere in usum, salva veritate Evangelii, & legitima Sacramentorum administratione.

5. Ex Trid. V. Apparet ex dictis omni prorsus jure Oecumenicam Synodum Tridentinam sess. XXI. cap. 2. declarasse, *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

5. Prob. 2da Pars. Quod verò Ecclesia in ceremoniarum institutione providè, prudenterque se gesserit, idem Tridentinum Concilium sess. XXII. cap. V. demonstrat, ex quo exterioribus ritibus commendatur divinorum mysteriorum majestas, & mentes fidelium per visibilia religionis, & pietatis signa excitantur ad rerum altissimarum contemplationem. Insinuat eandem rationem Catechismus Rom. de Sacram. in gen. num. 18. illamque corroborant quæ sæpe diximus, rationalem animam insertam corpori corporalibus imaginibus ad rerum spiritalium intelligentiam elevari; quemadmodum Hom. 25. in Matth. docet Græcorum eloquentissimus Joannes Chrysostomus.

6. Ceremoniæ habent significationem mysticam & symbolicam. Hinc nos subscribimus iis, qui sacras ceremonias, non ob ministrorum commodum, regionumque consuetudinem institutas pronuntiaverunt, sed qui in illis mystcam & symbolicam significationem agnoscunt. Pronuntiavit utique priorem sententiam bipartito Opere Gallica lingua conscripto Claudius de Vert Monachus Cluniacensis: quem ab errore vindicat illustris Tournelius, propterea quod profiteatur ille se nequaquam rejicere mysticam ceremoniarum rationem; idque ulterius testatur in Epistola ad Jurium ipsemet Vertius. Hunc tamen errore magno deceptum censuit in Pastorali Epistola anno 1720. Joseph Episcopus Augustæ Suessionum; prodiitque adversus Claudium anno proximo egregium Opusculum apud Parisios materna Gallorum lingua. Nimiùm scriptorem illum fuisse ausum censet quoque in eruditissimis Annotationibus de Sabbato sancto num. 393. & de Purificat. B. M. V. n. 22. Purpuratorum Patrum, Romanorumque Pontificum decus, BENEDICTUS XIV. Arbitror ego Claudium de Vert rationes quidem symbolicas in ceremoniis sacris agnoscere, sed quæ ipsarum institutionem sint consecutæ, ita, ut primitus naturalem habuerint causam, postea ob mysticum symbolum in ills excogitatum retentæ fuerint in usu. Quæ si vera sunt, de Vert à priori temperamento descivit, & immerito à Tournelio excusatur; nam in priori sacrorum rituum institutione spectasse Ecclesiam rerum spiritualium mysteria, certa nobis argumenta suadent, nec ad respondendum Novatoribus superstitionis crimen objicientibus, necessum est ritus sacros, & mysticos ad seriem rerum naturalium, humanarumque deprimere.

Revera in sacris ritibus spiritalem significationem esse attendendam, constat ex quo Deus inspirat quomodo colendus sit non solum ob sui gloriam, verum etiam ob nostram maximam utilitatem, ideoque non sine occultæ rei significatione inspiravit Abeli, ut ei offerret primogenita gregis, horumque adipes; ut quæst. 3. ad Deogratias, ep. 49. aliàs 102. docet S. Pater: quod repetit de omnibus aliis oblationibus, scribens adversus Faustum lib. VI. cap. 5. In Sacrificio etiam Abraham, de quo Gen. XV. liquet Deum præscripsisse victimarum conditionem, easque immolandi ritum, jubens ut sumeret *vaccam triennem, capram trimam, turturem atque columbam*, & universa hæc per medium divideret, partesque statueret *altrinsecus*; quod divini fœderis esse symbolum constat ex Jeremiæ XXXIV. 18. Quod etiam fecit Jacob erigens lapidem, & oleum fundens, non fuit duntaxat monumentum visionis, sed propheticum signum, pietatisque, ac *spiritalis pinguedinis* argumentum, teste Augustino de Civit. Dei lib. XVI. cap. 32. & Auct. libri de Unct. Chrism. inter Op. Cypriani. Præterea in lege scripta ceremoniarum omnium Deum fuisse auctorem, & sub illis latitasse futurarum rerum figuras, demonstrat liber Levitici, & in 1. ad Corinthios cap. 16. affirmat eximium Vas electionis. In lege quoque Evangelica in ritibus singulis latere mysteria comprobant quæ de expurgatione fermenti scripsit Apostolus eadem Epist. cap. 5. & de participatione ejusdem panis, cap. 10. Nec mysterio caret, quod Christus insufflando dederit Spiritum Sanctum hujus à se processionem commonstrans, ut docuerunt Augustinus Tract. CXXI. in Joannem, & Cyrillus Alex. lib. XII. cap. 5. Incensum symbolum esse orationis, altare throni Dei, candidumque byssinum justificationis & gratiæ, legimus cap. VIII. & XIX. Apocalypseos. His ergo constat sacrarum ceremoniarum institutionem symbolicam esse, mysticam, spiritalem. Prob. 1. ex Scripturis.

Persua-

Prob. 2. ex more gentium.

Persuasum id & Gentibus, quæ juxta præformatam profanorum Numinum ideam, diversis ea ritibus coluerunt. Templis principio idololatræ caruerunt, quod nondum immensi Numinis exuti penitus contemplatione, noscerent Deum nullo concludi loco: postmodum opinantes Jovem alto Olympi vertice considere, ei primum in montibus Bithyniæ, juxta Arrianum, ædes construxerunt; quemadmodum in montibus Moab erectas Beelphegor divinæ testantur literæ. Adhibuerunt & ipsi lustrationes religionis causa, pie sacrificasse opinantes, *si cutem lavissent*, inquit Lactantius. Cecinit sat. 3. Persius:

*Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis.*

Non soli Moyses & Josue calceos reverentiâ Numinis detraxere; sed & colentes idola Cybelis, & ingressuræ templum Vestæ mulieres. Solent idem præstare dantes operam magicis incantationibus. Eam ob rem dæmones his, aliisque ritibus delectantur, quoniam æmulantur *ipsas res divinorum Sacramentorum*, ut inquit cap. 40. de Præscript. Tertullianus. Hinc illiciuntur variis generibus lapidum, herbarum, carminum, rituum, *non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis*, juxta Augustini sententiam lib. XXI. de Civit. D. cap. 6. quia nimirum dæmones ipsos non latet, externis ritibus religionis symbola contineri.

7. Propositio 2. Ceremoniæ Ecclesiasticæ sunt sedulò observandæ.

Propositio II. Sacræ ceremoniæ ab Ecclesia præscriptæ sedulo sunt observandæ.

Definit id Tridentina Synodus sess. VII. can. 13. his verbis: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Hujus definitionis æquitas hisce monimentis probatur.

Prob. 1.

I. Veteri in lege ceremonias transgredi adeo grave scelus erat, ut Nadab, & Abiu ignem non sacrum in oblationibus adhibentes fuerint Levit. 10. cœlesti ab igne consumpti, & Oza tangens Dei arcam 11. Regum, 6. *Levitis Dei*, ut inquit Salvianus in VI. de Provid. *inofficiosus*, repentina morte corruerit. At non minori sanctitate pollent novæ legis mysteria: quorum proinde ritus contemnere irritat ultricem supremi Numinis indignationem.

2.

II. Deinde aut ceremoiæ in universa Ecclesia receptæ sunt, aut pro locorum, temporumque circumstantia variantur. Si ubique sint receptæ, eas parvipendere *insolentissimæ insaniæ est*, inquit Augustinus laudata ad Januarium Epistola. Si verò in peculiaribus Ecclesiis obtineant, in eisdem Ecclesiis commorantes earum ritus, consuetudinemque servare debent *pro eorum, inter quos vivitur, societate.* Hinc Stanislaus Hosius in Confut. Prolegomenum Brentii pag. edit. Antuerp. 143. recte contendit pro schismatico eum habendum, qui solemnes probatosque Ecclesiæ ritus rejicit & aspernatur.

3.

III. Non ausi sunt id negare vel Novatorum pestilentissimi. In Confess. namque Augustana juxta Reformationem anni 1540. de ceremoniis art. XV. legitur: *Sed illi peccant, qui eas cum scandalo violant, aut qui suarum Ecclesiarum tranquillitatem temere perturbant.* Ipse Melanchthon in cap. XIV. Ep. ad Rom. *Non probo*, inquit, *petulantiam illorum, qui ritus & traditiones sine probabili causa ubique violant, seu studio novitatis, seu quadam contumacia. In his enim non solum pietas, sed etiam humanitas desiderari potest. Quid enim est inhumanius, quam aspernari publicos mores, præsertim si videantur disciplinæ causa instituti?* In Epistolam etiam ad Colossenses appellat veterum ceremoniarum contemptores *stultos ac seditiosos.* Similia scripsit Oecolampadius in Epistola ad Erasmum Ritterium, de qua legendus Jo: Hoffmeisterus in Harmonia Conf. Aug. pag. 325. In Confessione pariter Saxonica reprehenduntur qui ceremonias, quæ prosunt ad disciplinam & ordinem regiminis in Ecclesia, contumaciter, superbeque contemnunt, ut refert Consultatione XV. Cassander. Grotius quoque in Annot. ad Cassandrum Tom. IV. pag. 622. scribit illos, qui constituendi ceremonias *Ecclesiis singulis, aut universo corpori adimunt potestatem, adimere ei quod cognatum est omnibus societatibus.* Addit talia Deo esse grata, *quia ordo & pax ipsi placent: partim etiam, quia in iis si non virtutes sunt sitæ, at certe præparatus quidam ad virtutem.*

IV. Ecclesiæ, in iis præsertim quæ spectant ad divinum cultum, omnino obsequendum esse, summa illius potestas, Ecclesiasticiæ disciplinæ ratio, vinculum communionis, & jura quæque suadent. At ceremoniæ ad divini cultus dignitatem, regulam, uniformitatem, majestatemque plurimum conducunt. Sunt ergo, ut præcipit in Bulla, quæ Rituali Romano præfigitur, Paulus V. & in ea, quæ legitur in fronte Missalis ac Breviarii, Pius V. *inviolatè* observandæ.

8. Hæretici calumniosè affingunt Catholicis, quasi hi putarent per ceremonias conferri gratiam, & remissionem peccatorum.

Nota tamen consulto Tridentinum Consilium mandasse sacrorum rituum observationem, *in solenni Sacramentorum administratione*, quoniam necessitate urgente, sat est, si materia ac forma eorundem Sacramentorum adhibeantur. Unde exploditur solemnis calumnia hæreticorum, qui eo nomine ceremonias aspernantur, quod à nobis serventur, quia existimamus promoveri illis gratiam & remissionem peccatorum. Ipsi quidem hæretici, cum asserant hominem sola fide justificari, necessaria consecutione docent nec observatione rituum, neque operibus satisfactionis conscientias esse onerandas; sed nos diversas justificationis causas statuentes, Sacramentis quidem hoc tribuimus, ut justificantem gratiam in nobis efficiant; nostris conatibus divino præventis adjutorio ad illam gratiam nos disponi affirmamus; & sacris ritibus id ineesse credimus, ut nos facilius in studio religionis contineant, ut in nobis excitent reverentiam divinorum mysteriorum, ut exterioribus symbolis spiritalia nobis proponant, ut demum pædagogia quadam ad arcana & mystica accedere valeamus. Quod non obscure innuit sess. XXII. cap. v. Synodus Tridentina, demonstratque citato loco ex consensione Theologorum Cassander, nec ignoravit, ut ex dictis constat, Hugo Grotius. Recte Philippica XIV. Alphonsus Virvesius: *Nemo est inter Catholicos tam stupidus, & superstitiosus, qui eredat vestium colorem aut formam, & ceremonias alias hujuscemodi justificare.*

9. Qualiter peccetur eas omittendo?

Affirmamus etiam non omnem sacrorum rituum transgressionem esse lethale peccatum, sed attendendam esse ceremoniarum, quæ prætermittuntur, conditionem: si enim plurimum sint conspicuæ, ut est in Missa sacras vestes, lumina, oblationem Hostiæ, aut Calicis elevationem, & adorationem, aliaque id genus adhibere; nequeunt absque gravissimo scelere prætermitti. Si verò accidentales sint, ut manus ante sacrificium abluere, & cætera hujusmodi, nisi adsit contemptus, plebisque scandalum, erit levis culpa duntaxat. Verum de hac re legenda dissertatio edita jussu Benedicti XIII. ab amplissimo Cardinali Gregorio Sellari Ordinis FF. Prædicatorum.

### Ad objecta Hæreticorum.

Opponunt hæretici primò, plures Romanæ Ecclesiæ ceremonias derivasse à legibus Judæorum, quibus si obtemperemus, teste Paulo ad Galat. v. 2. *Christus nihil proderit:* permultas alias desumptas à paganorum superstitione, quæ proinde nequeant absque idololatriæ crimine retineri. 10. Objectiones 1.

II. Inquiunt unicuique fas esse sacras ceremonias aut immutare, aut omittere, quoniam Augustinus citata ad Januarium Epistola scribit *habere liberas observationes*; ac pessime se gerere, qui Religionem, *quam Deus paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt.* 2.

III. Ajunt etiam Papistas veterum rituum se contemptores ostendere, dum baptismum absque degustatione lactis & mellis, absque igne, & absque Eucharistia nunc ministrant: quæ si fas sit aspernari, cur non exorcismos, cereos, & ejuscemodi cætera? 3.

IV. In ceremoniis Ecclesiæ videtur Satanas, inquit cum Calvino Vedrosius rat. 3. Exam. docum. 9. post receptas impostruras suas, ad crassiora prorupisse ludibria, *qualia sunt sputum, & similes nugæ*, quarum nec apud veteres vestigium ullum. 4.

V. Argutari possunt ex jactis à Claudio de Vert fundamentis; cum enim vestes, ritus, cerei, aliaque id genus vel ex consuetudine locorum, vel ex necessitate fuerint primum usurpata; alia modo consuetudine vigente, & diurno duntaxat tempore convenientibus ad Ecclesiam fidelibus, abjici possunt antiquæ vestes, lumina, & cætera hujusce generis, 5.

Respondetur ad primum, retinendas fore ceremonias, etiamsi à Judæis, vel Paganis essent derivatæ; quoniam quæ 11. Responsiones.

Judæi

Judæi carnaliter servarunt, nos spiritualiter usurparemus, & quæ Ethnici adhibuerunt sacrilege, converterentur à nobis in Dei cultum. Numquid enim detestanda erant sacrificia Patrum, quia & sacrificia offerebant Gentiles? Numquid contemnenda sanctimonialium virginitas, quia & virgines fuerunt Vestales? Numquid destruenda templa, quoniam & extiterunt templa idolorum? Vide Augustinum libo 20. contra Faustum cap. 21. Sane superstitio vel attenditur ex objecto; & est, quando Dei cultus exhibetur creaturæ: vel ex humanorum actuum institutione, atque directione; sitque dum exteriori ritu, aut pravis opinationibus instruimur, aut improbis obscœnisque rebus religionis officia labefactamus. Superstitio ergo, quæ est in ceremoniis Gentilium, procul abest à nostris; quoniam illi idola, nos colimus Deum verum: illi absurdissimis fœdissimisque moribus, nos saluberrimis optimisque institutis usu externorum signorum formamur. Deinde respondemus aliter de ceremoniis Judaicis, aliter de Ethnicis judicandum. Judaici ritus, quidam prænuntiabant Evangelicæ legis mysteria, ut circumcisio, sacrificia cruenta, esus Agni, baptismi, mortis Christi, & Eucharistiæ typi ac figuræ; & hi ritus merito sublati sunt, quoniam res præfiguratæ advenerunt. Ritus alii, ut vestes sacræ, lumina, thymiamata, cantica, ad decentiam exterioris cultus, & devotionis excitationem spectabant; ideoque etiamnum ritus istiusmodi jure servamus, cum teneamur animo & corpore Deo cultum exhibere; maxime quod à legis abrogatæ mysticis ceremoniis plurimum nostræ discrepant. Apostolum vero scribentem ad Galatas legalia primi generis, & quidem adversus eos, qui ex circumcisione justitiam salutemque repetebant, quasi lex Christi infirmior sit, quam quæ sola possit justificare, manifestum est ex proximis verbis: *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini.* Ad Paganos quod attinet; omnes fere eorum ritus diabolus divinorum honorum cupidissimus mutuavit ex nostris, *æmulatus res Sacramentorum divinorum, & sibi arrogans, quo tanquam Deus haberetur*, ut citatis in locis docent Afrorum sapientissimi Tertullianus, & Augustinus. Si quosdam Ecclesia Christi, ut plebem à superstitione, idolorumque cultu removeret, ex contaminatis & profanis sacros reddidit & religiosos; id non est idololatras imitari, sed idololatriæ adminicula in religionis incrementa convertere. Hactenus ad primum.

Ad 2. Ad secundum dicimus Augustinum, cujus verba sensumque audacter hæreticus Vedrosius pevertit, in illa ad Januarium Epistola cap. 1. præter divinas Scripturas admittere Apostolicas traditiones in iis, quæ servantur ab Ecclesia ubique diffusa; cujus generis dicimus esse ritus Sacramentorum *essentiales.* Neque eo loci ait Sanctus Pater retinenda Sacramenta pauciſſima ceremoniis rejectis, sed, *exceptis iis, quæ servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & prophetici temporis onerabant.* Pertractat deinde Augustinus de variis consuetudinibus Ecclesiæ, ritibusque accessoriis, de quibus ait quidem cap. 2. habere *liberas observationes*, quatenus nisi ubique recepti sint, universos utique fideles non obligant; sed docet tamen servandos in Ecclesia, à qua fuerunt probati, & ab iis, qui ad Ecclesiam illam accedunt, scribens: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum est.* Idque Augustinus explicat exemplo jejunii sabbati, cujus alia Romæ, alia Mediolani vigebat consuetudo: & quod auctoritate Ambrosii asserit de jejunio, repetit postea cap. 5. de ritibus *Eucharistiæ*, dicens: *Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.* Merito itaque id, quod contra Ecclesiæ ceremonias Vedrosius objicit, illas firmare ac stabilire supra affirmavimus.

Ad 3. Tertia vero objectio nihil aliud probat, quàm in ritibus Sacramentorum accidentariis fieri variationem aliquam: quod nos ultro fatemur, dicturi de veteribus baptismi ritibus, eorumque abolitione libro proximiori. Neque ex illa variatione sequitur posse unumquemque aspernari Ecclesiasticas ceremonias; quoniam non privata auctoritate sed Ecclesiæ aut definitione, sicut parvulorum communio, aut desuetudine, sicut mellis lactisque degustatio, ritus quidam sunt antiquati.

Ad 4. In quarta mirari satis non possumus impudentiam hæreticorum; siquidem etiam Christus sputo surdum & mutum

sanavit, Marci VII. 33. eodemque sputo lutum fecit, quo linivit cæcum à nativitate, Joannis IX. 6. ideoque liniuntur saliva aures, nareſque baptizandorum, *ut quemadmodum cæcus ille Evangelicus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligamus sacræ ablutionis eam vim esse, ut menti ad cælestem veritatem percipiendam lumen afferat.* Ita Catech. Rom. de Baptis. num. 68. & Gratianus cap. *Postea tanguntur*, de Consecr. dist. IV. cap. 68. qui canon desumptus est ex libro I. de Sacram. cap. I. n. 3. inter Ambrosii Opera. Calvinus itaque, & Vedrosius mysticas quoque actiones Christi existimabunt ridiculas & nugatorias.

Ad 5. Ad ultimum constat ex dictis non probari à nobis systema Claudii de Vert: quamquam etsi ceremoniæ aliquæ necessitate fuissent inductæ, minime sequeretur esse abolendas, postquam probavit illas Ecclesiæ usus, in eisque præter res sensibiles nobis symbola rerum spiritalium exhibuit.

## De iis, quae in solemnioribus ecclesiae ritibus solent adhiberi.

12. Usus sacrarum vestium est pius & justus. Prob. multis contra sectarios. Utimur in solemni Sacramentorum administratione primum sacris vestibus, quarum usum temere damnant Novatorum quamplurimi. Etiam Aaron veste sancta *in gloriam & decorem* exornatum legimus Exodi XXVIII. 2. Samuelem quoque in templo deservisse accinctum *ephod lineo*, constat ex I. Regum 2. 18. Sacræ itaque vestes cum ad gloriam decoremque spectent, habeantque præterea mysticam significationem, jure, meritoque adhibentur. Præter hæc Scripturarum exempla revincuntur Sectarii auctoritate Nazianzeni commemorantis Orat. 2. *Sacerdotalem stolam*, & vetustissimi Laodiceni Concilii, præscribentis ne Clericus psallat, legatque in templo absque *Orario*. Expende hujus Synodi canonem 23. Tom. 2. pag. 1499. Insuper usum sacrarum vestium qui de Ecclesiæ ritibus pertractant stabiliunt antiquissimis monumentis. Mitto quæ ex ambiguis Anacleti Epistolis profert. pag. 186. J. B. Casalius. Stephanus ad summum Pontificatum evectus tertio Ecclesiæ sæculo constituit, ut in Ecclesia tantum *vestibus sacris* Sacerdotes & Levitæ uterentur: quod confirmat vetustissimum illarum usum. Joannem Evangelistam adhibuisse Pontificale πέταλον, laminam scilicet, aut vittam, refert in V. H. E. cap. 24. ex Polycrate Ephesino Eusebius. Sigebertus in Chronico ad annum 451. eo nomine notat Vandalos, quod vestes sibi fecissent *ex sacris palliis & vestibus:* traditque similia de Genserico Vandalorum rege Victor Vitensis. Sacra insuper vestimenta laudant apud eximium Lupum P. v. pag. vet. edit. 262. Remensis Hincmarus in I. Capitularium, Ratherius Veronensis Episcopus Epist. Synodica 17. Cyrillus Hierosolymitanus apud Hermiam Sozomenum lib. IV. cap. 24. Etiam vetus pictura in *cœmeterio* Prisillæ repræsentat S. Pii I. & Pastoris presbyteri sacra indumenta. Adeas Aringhum Rom. subter. Tom. 2. pag. 305. & Blanchinum in notis ad Anastas. pag. 128. II. Vol. Ciampinus quoque in disquisit. de duobus emblematibus sacras vestes delineat ex vitreo orbiculo ætatis, ut conjectat, duorum Philipporum, qui Consules prodiere anno 247. Fabiano in Cathedra Petri sedente. Ait Ciampinus ipse asservari in oppido S. Eliæ Nepesinæ Diœcesis sacra vestimenta sexcentorum saltem annorum. Eadem probat ratio: quoniam exterior apparatus & devotionem excitat, & suadet, ut munda conscientia atque virtutum ornatu divinæ res peragantur. Ajebat propterea Innocentius I. de Myst. Missæ cap. 64. *Attendat Sacerdos studiose, ut signum sine significato non ferat.* Hæc tantum de sacris indumentis dicta sint universim, ne hoc in loco tractentur peculiaria.

## II.

13. Psalmodiæ & Canticorum in Ecclesia usus est vetustus & utilis. Carpunt Novatorum quidam etiam Psalmodiam, & cantica, quibus utimur in solemnioribus ritibus, officiisque Ecclesiasticis. Damnent, necessum est, eadem ratione psallentem Davidem, Levitarum choros, Salomonici templi innumeros fere cantores. Quod si à nobis petant Evangelicæ legis exempla; proferemus hortamentum Apostoli ad Ephes. v. 19. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* In quem locum Hieronymus, *Si cantet*, inquit, *servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur.* Facile insuper demonstrabimus cantandi morem esse in Christi Ecclesia antiquissimum. Ignatium Martyrem tradidisse Ecclesiæ Antiochenæ formam alternatim canendi demonstrat in Actib. Martyrum pag. 8. Ruinartius, literisque id olim mandaverat

daverat Socrates capite libri VI. Auctor Qq. ad Orth. inter Opera Justini pag. edit. Perionii 60. ait retentum in Ecclesia cantum, *quoniam movet animum ad ardentem cupiditatem ejus rei, quæ in cantibus delectat: sedat motus, qui ex carne excitantur, &c.* Confirmat id suimet exemplo Augustinus in IV. Confess. cap. 6. ita Deum alloquens: *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter!* Tali experimento S. Pater edoctus laudat libro nono ejusdem Op. cap. 7. Ambrosium, quod secundum morem Orientalium instituerit, ut psalmi & hymni canerentur, *ne populus mœroris tædio contabesceret.* Libro etiam X cap. 33. fatetur se acquiescere in sonis, quos animant eloquia Dei, *cum suavi & artificiosa voce cantantur*, commendatque plurimum instituti hujus utilitatem, præsertim si cantetur *liquida; & convenientissima modulatione*, qualem ait placuisse Athanasio. Vide & sæpe laudatam ad Januarium Epistolam cap. 18. Adhæc perantiquam cantandi in Ecclesia consuetudinem ostendit Cardinalis Bona in Harmonia Psallent. Eccl. pag. 21. profanorum Scriptorum testimonio, Philonis, Plinii II. Luciani. Philo quippe de Christianis Alexandrinis scribit: *Hymnos canunt in Dei laudem, vel recens à se factos, vel pridem ab aliquo priscorum vatum*: cujus testimonii meminit etiam Eusebius libro II. H. E. cap. 17. Lucianus in Philopatre conviciatur Christianis *ad hymnos tota nocte decantandos vigilantibus.* C. Plinius in Epistola ad Trajanum Cæsarem, de qua Tertullianus cap. 2. Apologetici, Eusebius lib. III. cap. 33. & Hieronymus in Chronico Eusebiano, refert. de Christianis, *Quod soliti essent ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Si perlegas Vossii in Plinianam Epistolam Commentarium Tom. IV. pag. 59. videbis quam belle, annuente eodem hæretico, hinc firmetur vetus Romanæ Ecclesiæ consetudo. Ex his vero liquet canticorum, hymnorumque usus firmari vetustate, utilitate, auctoritate.

14. Cur Ecclesia in suis canticis & ritibus utatur linguâ latina? Dantur rationes.

Sed illud ægre ferunt hæretici nos in canticis, cæterisque ritibus, uti latina lingua, quam plebs Christiana non percipit. Quam inique indignentur, ostendendum ubi disputabitur de Scripturarum sanctarum lectione. Ut interim compendio agamus: non una ratio Ecclesiam permovit, ut sola apud nos latina lingua administrentur Sacramenta & divina celebrentur officia. Prima 1. ratio est Ecclesiæ unitas; quæ postulat ut ad Romanam Ecclesiam cæterarum Caput & Magistram venientibus eadem forma, & communiori idiomate societatis symbola præbeantur: alioqui tot linguæ adhibendæ forent, quot sunt Ecclesiæ membra, quod profecto non communionis servaret vinculum, sed induceret potius confusionem Babelis. Altera ratio est, quod in vulgari lingua 2. decursu temporis, incursione barbarorum, populorumque mixtione frequens occurrit mutatio: decet autem in sacris ritibus à novitate, qua perturbari possunt simpliciores, quantum fieri potest abstineri. Rationem tertiam sup- 3. peditat Ecclesiæ praxis: quippe non solum Judæis, quando in captivitate vernaculæ linguæ obliti sunt, Esdras legem proposuit antiquo, Hebræoque idiomate; verum etiam Græci una semper in Liturgiis lingua usi sunt, quamvis ipsi pro regionum varietate variis dialectis loquantur, & in præsentia saltem popularis sermo plurimum discrepet à literali: ac Latini pariter nunquam latinam linguam deseruerunt, irrumpentibus in Latium barbaris, & lingua Itala adolente, atque ad hanc tandem venustatem progressa. Tandem injustissima est hæreticorum expostulatio: quod enim inquiunt, latinam linguam à populo minimè intelligi, non una ratione diluitur. Principio nec Syri, nec Aethiopes, nec Armeni, nec Aegyptii vulgari idiomate utuntur suis in Liturgiis, ut demonstrat pag. 259. Casalius: ideoque omnes fere Ecclesias impetit prædicta accusatio: quin & urget calumniatores ipsos, siquidem Calvinista Gallus, si Germaniam petat, aut Angliam, frequentat propriæ sectæ conventus, quamvis ignota sibi & peregrina lingua ibidem peragantur officia. Supponunt deinde hæretici verba in Sacramentis excitare duntaxat fidem, ideoque ab omnibus esse percipienda: cum vim habeant consecrandi materiam; devotionem vero ac reverentiam excitare valeant, etiamsi non percipiantur, ut docent Origines hom. 20. in Josue, Chrysostomus hom. 3. de Lazaro, & S. Pater contra Epistolam Fundam. cap. 4. Insuper Apostolus Corinthios æmulantes loqui diversis linguis Epistola prima cap. IV. commonet oriri potius ex linguis confusionem, neque prodesse loqui, nisi aliquis interpretetur. At in Ecclesia Romana sunt Pastores, & Parochi mysteria

Coercentur hæretici.

steria exponentes, prout sess. XXII. cap. 8. mandavit Synodus Tridentina, & absque illorum interpretamentis sacræ literæ vernacula lingua prolatæ adhuc ignaris essent obscurissimæ, pluribusque mysteria non assequentibus offendiculo: præstat ergo unam latinam linguam cum Sacerdotum explicatione adhibere, quam vernaculas multas cum privati spiritus præsumptione. Tandem aliud de publicis, aliud de privatis orationibus est asserendum. Si de privatis loquimur, utamur, si lubet, proprio unusquisque idiomate: at si de publicis; utamur publico, ut loquamur ore & spiritu Ecclesiæ, quam certo scimus nobiliori intentione dirigi, verbisque sublimioribus loqui, quàm possit excogitare, vel promere universorum hominum ingenium & eloquentia.

## III.

15. Usus Candelarum &c est condecens, Prob. multis.

Quid verò dicendum de candelis, cereisque ad officiorum divinorum condecentiam accensis? Si ad vetus testamentum convertimur lucernas in Sanctuario splendentes legimus Exodi XXV. 37. XXVII. 20. Levit XXIV. 2. ac III. Regum VII. 49. Diximus autem supra in iis, quæ ad cultus divini majestatem pertinent, eandem quolibet tempore habendam esse rationem. Sed cereorum, lampadumque usum in Christi etiam Ecclesia vetustissimum ostendunt momenta quamplurima. Primò probant usum illum testimonia Patrum, quos inter Gregorius Nazianzenus Orat. IV. seu invectiva 2. in Julian. pap. edit. More. 118. miratur ab illo reprehensos *cereorum ignes*. S. Hieronymus lib. 2. adversus Vigilantium, *Quicunque*, ait, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem*: & infra, *Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & Virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, &c.* Obiter nota non solum ad expellendas nocturnas tenebras, sed etiam in typum spiritalis luminis, ex mente Hieronymi accendi cereos, & ad hunc præsertim finem in Ecclesia adhiberi. Prudentius in Hymno de S. Laurentio cecinit,

*Auroque nocturnis sacris*
*Adstare fixos cereos.*

Agit de cereis afferri solitis ad reliquias sancti Stephani Evodius, Uzalensis, aut qui Evodii jussu edidit Commentarium in Append. Tom. VII. Operum S. P. Aug. Paulinus cereos, lampadesque describit Nat. III. & IX. de S. Felice. Venantius etiam Fortunatus lib. IV. de Judæis conversis, scribens:

*Undique rapta manu lux cerea provocat astra.*

Vide eundem ubi describit loculum Sancti Martini. Constat deinde id muneris antiquo more Clericis demandari, ut accendant Ecclesiæ cereos & luminaria; ut liquet ex Concilio Carthag. IV. celebrato anno 398. can. 6. *Ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari:* quod & habetur in Sacrament. Gregorii de Acolythi Ordinat. & apud Isidorum lib. VII. Orig. cap. 12. ut mittam Innocentium III. lib. 1. de Myst. Missæ cap. 3. Alcuinum, Rabanum, Rupertum, Gerardum Cameracensem, aliosque recentiores. Insuper nonne pro cereis candelabra præparata fuerunt? Priscum itaque cereorum usum commonstrat *Pharus* Adriani, de quo Baronius ad an. 795. num. 15. & Anastasius item in Adriano, & *phari* alii, de quibus Walafridus Strabo, & Leo Ostiensis apud Altaserram in notis ad Silvestrum; necnon candelabra connumerata ab Anast. item in Silvestro sect. 36. Prætermitto cereorum, ac luminarium usum in mortuorum vigiliis: quorum vetustatem comprobant Acta Proconsularia S. Cyp. apud Ruinartium pag. 190. Sepulchrales lucernæ cum Christi monogrammate apud Bellorium, & Begerum num. 22. & seqq. Tandem etiam miracula ritus istiusmodi confirmarunt; nam Narcissum ut sacræ lucernæ arderent signo crucis aquam vertisse in olei pinguedinem refert Eusebius lib. VI. H. Ec., cap. 9. arsisse cereos in Pictavensi templo sine olei diminutione narrat Gregorius Turonensis in lib. de Glor. Mart. cap. 5. accensas lampades Romæ in Templo S. Agathæ lumine divinitus illato scribit M. Georgius in III. Dialog. cap. 30. At de iis plura Silvester Petrasancta Tom. II. de Sacris Rit. cap. 8. & in libro de Benedict. eruditus Gretserus.

## IV.

16. Cur Ecclesia utatur thure & incenso?

Nonnulla dicamus & de thuris usu. Exempla ex veteri testamento deprompta occurrunt Exodi XXV. 1. XXX. 1.

XL. 24. 1. Reg. II. 27. & ex novo Lucæ I. 8. Apocal. VIII. 5. quamquam eo non utamur tanquam ceremonia Judaica, sed quatenus orationis symbolum est, ex Ps. CXL. 2. earumque virtutum, quarum gratiâ *Christi bonus odor fumus*, ex II. ad Corinth. II. 15. Significatum præterea in thure cultum Numinis quod ultimo spectat religionis quilibet actus, vidimus lib. XXIX. disputantes de Magis. Antiquum verò in Ecclesia usum thus adolendi pertractantes de rebus Liturgicis demonstrant ex canone III. inter Apostolicos, ex Auctore Operis de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. ex Act. III. Chalcedonensis Synodi, & monumentis aliis, quæ legi poterunt apud Card. Bona lib. I. cap. 25. & Menardum in Sacramentarium Gregorii pag. 195. Digna est, quæ non prætermittatur, sententia beati Ambrosii lib. I. in Lucam num. 28. *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus adsistat Angelus, imo præbeat se videndum.* En apertum sacrificii nostri, ritusque hujus testimonium. Addo perantiqua thymiamateria, seu thuribula, quæ monstrant antiquissimum esse thurificationis usum. Inter vasa argentea tertio sæculo à S. Urbano comparata extitisse cochleare ad ingerendum thuribulo incensum, ostendit ex opere anaglyptico in not. ad Anast. Tom. 2. pag. 179. Blanchinus. Laudatus Anastasius in Silvestro sect. 36. inter dona facta à Constantino Lateranensi Basilicæ recenset *Thimiamateria duo ex auro purissimo pensantia libras triginta: donum aromaticum ante altaria annis singulis libras* 150. & sect. 38. scribit dono datum Basilicæ S. Petri *Thimiamaterium ex auro purissimo cum gemmis undique ornatum.* Meminit *thimiamaterii* & Helgaudus in Roberto Francorum Rege. *Thuribulum argenteum* commemorat Leo Ostiensis lib. I. cap. 58. De illo Alcuinus Poemate III.

*Hic quoque thuribulum capitellis undique cinctum,*
*Pendit de summo fumosa foramina pandens;*
*De quibus ambrosia spirabunt thura Sabæa,*
*Quando Sacerdotes Missas offerre jubentur.*

17. Argutiuncula hæreticorum excutitur.

Nec audiendi sunt hæretici opponentes quod I. Isaiæ 15. inquit Dominus, *Incensum abominatio est mihi:* aut quod ait Tertull. Apolog. XXX. mandasse nobis Deum orationem ac pudicitiam, *non grana thuris unius assis, non Arabicæ arboris lacrymas.* Siquidem per Isaiam testatur Dominus se oblationes & sacrificia aspernari, si manus offerentium *plenæ* sint *sanguine*, nec quiescant *perverse agere*; quemadmodum ibidem inquit Propheta, explicatque in Orat. III. contra Julianum Nazianzenus. Tertullianus quoque de iis agit, qui conscientiæ non curant inquinamenta, ac sola oblatione externa se purgari confidunt, eodem ritu odorem Arabiæ incendentes, quo à Gentibus immolatur idolis. Frustra itaque nituntur hæretici subvertere hisce argutiunculis inveteratas Romanæ Ecclesiæ consuetudines.

## V.

18. Cur utamur aqua lustralî

Loquamur perpauca & de usu lustralis aquæ, de qua cap. 5. opp. 6. diximus quo sensu ab Hugone appelletur *Sacramentum*, & quo pacto vim habeat ad venialia peccata abluenda. Itaque dicta eo loci non repetam: nec dicam de lustrationibus veterum, aut Gentilium, aut Judæorum; cum non horum intuitu aqua aspergamur, nec insit nobis opinio hac aspersione castimoniam præstari: sed id exequamur, quoniam & interioris ablutionis est symbolum, & per Ecclesiæ preces sanctificata plurimum valet ad dæmonen expellendum, obtinendamque supernam benedictionem. Ergo aspersionem istam institutionis esse Apostolicæ demonstrarunt viri doctissimi, Baronius ad annum Christi 132. num 3. Bona de Reb. Liturg. lib. I. cap. 20. Bellarm. lib. III. de cult. SS. cap. 7. Blanchinus & Altaserra in notis ad Alex. Tom. 2. Anast. pag. 83. Atque id quidem tradit Auctor Constit. Apostolic. lib. VII. cap. 44. Idem nos asserimus, quoniam comperimus sacram hanc aspersionem semper obtinuisse, nec primam institutionem invenimus. Nam Alexandri inter Romanos Pontifices septimi decretum non omnes putant genuinum, amandantque nonnulli inter supposita ab Isidoro Mercatore; & qui illud recipiunt, ita exponunt, ut Alexander non primus auctor fuerit hujus ritus, sed confirmator: quamquam revera auctorem faciant Scriptor libri Pontificalis, & Walafridus Strabo de Rebus Eccles. cap. 29. At lustralis aquæ meminêre Synesius epist. 121. apud Menardum pag. 95. in Sacramentarium Gregorii, canon. IV. Synodi Namneten-

sis, Theodoretus lib. v. cap. 21. Hist. Eccl. ubi etiam refert, à Marcello Apamenorum Episcopo sparsâ aquâ benedictâ fugatos dæmones. Hieronymus in Hilarione 2. p. Tomi IV. pag. 80. narrat dissipatas ejusdem aquæ aspersione Ethnici aurigæ præstigias. Plura hujus generis mirabilia collegerunt citatis in locis Altaserra, Petrasancta, Gretserus. At Scriptorum nemo commemoravit ritum illum, tanquam sua ætate receptum, aut novum; ideoque ad nos ex Apostolorum traditione descendit. Mitto quæ de vasculis vitreis, & fictilibus ad usum lustralis aquæ repertis in cœmeteriis, cryptisque referunt Durantes, & Casalius; nam ea perpessi potius martyrii indicia esse, verisimilius existimavit Aringhus lib. 1. cap. XXVII. num. 13.

## VI.

19. De Eulogiis & pane benedicto.

Consequitur, ut dicamus de Eulogiis, aut Pane benedicto. De iis complures afferunt decretum Miltiadis, qui præcepit, ut oblationes consecratæ distribuerentur per Ecclesias, eas appellans *Fermentum*: sed probabilius est hic sacram Eucharistiam designari, *fermentum* dicta, non quod Ecclesia Romana consecraret fermentatum, ut persuasum permultis; sed quod fermenti præstaret vicem, & esset quasi vinculum unionis, sive quod ad occultanda mysteria extraneo, & obscuro vocabulo appellaretur. Verum de hoc fermento alibi. Consueviſſe olim fideles in symbolum communionis invicem mittere Eulogias, constat ex XIV. canone Concilii Laodiceni, quo inhibetur, *ne sancta, instar Eulogiorum, in festo Paschæ ad alias Parochias transmittantur.* Illas etiam Catechumenis distributas haud obscure innuit Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis & remiss. cap. 26. S. Paulinum pro Eulogiis misisse panem siligineum, & *buccellatum* Sulpitio Severo, Alipio, & Romaniano, ejusdem Paulini epistolæ 1. XXX. & XXXVI. commonstrant. Hincmarus in Capitulis pro Presbyteris Parochiæ suæ conscriptis an. 752. jussit cap. 7. ut singulis Dominicis diebus post Missarum solemnia Eulogias acciperet quisquis communicare non esset paratus. Græci etiamnum his utuntur. Adeas Sirmondum de Azymo cap. 6. Albaspinæum lib. 1. Observat. cap. 8. Cangium in Glossario, aliosque ibidem laudatos.

## VII.

20. De Benedictionibus

Restat, ut breviter pertractemus de Benedictionibus, quæ Hugo Victorinus inter Sacramentalia connumerat, ac primo de Benedictione cinerum. Significari iis contritionem, humilitatem, pœnitentiam, dictum supra; quare ut Deumplacarent, conspersisse se cinere David, Esther, Judith, Ninivitæ. Hieremiæ hæc verba sunt cap. VI. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere.* Excitatur & cinere mortis recordatio, unde ajebat Rupertus lib. IV. de divinis Offic. cap. 10. *Cinere capita nostra aspergimus, ut nostra nobis calamitas ad memoriam revocetur.* Cur ergo Hospinianus etiam in sacros cineres indignetur, eique plaudant Refractarii cæteri, causam ignoramus. Queritur Hospinianus inductum hunc ritum à Gregorio Magno, qui jejunio Quadragesimali addidit dies quatuor. Negat id Gretserus lib. 2. de Bened. cap. 39. quod sacrorum cinerum meminerit ante Gregorium Maximus Taurinensis, qui floruit circa annum 420. Honorio, & Theodosio juniore imperantibus. Addat qui cum Gretsero sentit, Sacramentarium Gelasii editum à Thomasio. Verum non sunt hæc auctoritatis omnino explorata: nam Maximo sermones aliqui fuerunt suppositi; Thomasius edidit Sacramentarium Gelasii quidem, sed exaratum paulo ante septingentesimum annum, ac Missâ *in capite jejunii* fortasis adauctum. Faciliori ergo via occurremus Hospiniano, si cum Cajetano Merati Tom. 1. p. 2. pag. 879. in Gavantum dixerimus, antiquitus publicos pœnitentes conspersos cinere, & hanc pœnitentium consuetudinem postea in communem esse transactam. Confirmat hanc sententiam canon 63. Concilii Agathensis, qui jubet, ut initio Quadragesimæ recipiantur pœnitentes cinerum conspersione. Requirunt istiusmodi pœnitentiæ symbolum Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, quorum testimonia profert cap. 61. Casalius. Quid denique consequeretur absurdi, si ætate nostra ritus idem primum obtinuisset? præsertim *Cinerum.*

## VIII.

21. De Benedictione Palmarum.

Vetustior videtur esse benedictio palmarum, etsi Martene vicesimo capite de Antiq. Eccl. disciplı. obtinuisse scribat post octavum duntaxat sæculum. Sed revincitur Martenius, ut docti viri observarunt, ex Sacramentario Gregorii ejusque perantiquo Codice Reginæ Suecorum, in quo hujus ceremoniæ

niæ fit mentio, necnon ex vetustissimo Calendario edito ab ipso Martenio v. vol. Anecd. ejusdemque sententiâ ante quintum sæculum exarato: in quo pag. 72. notatur *Dominica in Palmas*, & statio *ad S. Joban. in Lateranis.* Plura sane ejusdem ceremoniæ mysteria: quorum primum est commemoratio triumphalis ingressus Salvatoris nostri in urbem Jerosolymam enarrati capite XXI. Matth. alterum vero pacis, & gratiæ, ad quam Dominica Pascha præcedenti pœnitentes, & baptizandi festinabant; unde ea dies in Ordine Romano appellata est *Dominica indulgentiæ*, & apud Alcuinum, aliosque, *Pascha Competentium.* Illius triumphi palmæ signa sunt, hujus autem pacis rami olivarum. Isidorus lib. XVII. Etym. cap. 7. appellat oleam *pacis insigne*: hujusque arboris ramusculum columbam portasse ad arcam narratur cap. VIII. 11. Geneseos. De civibus triumphantis Jerusalem legitur Apoc. VII. 9. *Et palmæ in manibus eorum.*

## IX.

22. De Benedictione cerei Paschalis.

Commemorat deinde Hugo Cereum Paschalem, cujus benedicendi ritum à Zosimo anno Chr. 417. ad Pontificatum evecto fuisse statutum inquiunt Sigebertus in Chronico, Leo Ostiensis lib. III. Chr. Cassin. cap. 31. qui de Ecclesiæ ritibus erudite scripserunt, Amalarius, Rupertus, & alii. Sed optime observatum à Baronio ad an. 418. num. 17. & postea à permultis benedictionem Cerei Paschalis esse in Ecclesia Zosimo antiquiorem. Anastasius quippe, & liber Pontificalis tradunt constituisse Zosimum, ut Cerus, qui accendi tantum solebat in præcipuis Basilicis, benediceretur in singulis quoque Parochiis: quod non est novum instituere ritum, sed veterem ampliare. Necessum ergo non est ad vetustatem ritus hujus vindicandam recurrere ad suppositam Hieronymo Epistolam ad Præsidium, alterius sane, & fortassis non unius hominis fœtum, ac modo rejectam in Appendicem Tomi V. Incertum quoque an de hoc cereo, an de ceremonia alia pertractet Prudentius in hymno, qui inscribitur, *Ad accensum lucernæ*, & videtur oppositum suadere idem titulus, judiciumque recentiorum. His fluxæ fidei monimentis omissis, confugimus ad ea quæ diximus de Zosimo, & ad Benedictiones Cerei hujus, quas Opusculo 9. & 10. profert Ennodius emortuus anno 521. & ad Hymnum de Paschali Cereo, quem hymnum V. sæculo conscripsit Drepanius Florus. Hi, aliique pertractant de hoc ritu, tamquam in Ecclesiæ consuetudinem recepto ætate majorum. Nec receptus est nocturnorum officiorum necessitate, ut visum Tom. I. pag. 275. Claudio de Vert: quoniam ad hunc finem cæteris quoque per annum solemnitatibus Cereus ille fuisset accensus, nec luceret tantum à Paschate ad Ascensionem. Jure Vertius propterea vapulat ab Auctore Gallo §. 27. & à sapientissimo Pontifice notatione in Sabbatum sanctum 393. Accenditur itaque Paschalis Cereus ob mysterium Resurrectionis Christi quemadmodum legitur cap. 9. Concilii Toletani IV. in quinto Labæanæ Collectionis volumine, necnon ob Evangelicæ fidei, & gratiæ splendorem: quæ omnia venuste exprimit decantatum à Diacono *Paschale præconium.*

## X.

23. De Agnis Dei.

Proxime sequitur, ut differamus de cereis imaginibus, quas vulgo dicimus *Agnos Dei*; nam improbus Hospinianus inquit in Apophoretis derivasse à sigillariis, quæ sibi invicem mittebant Romani Saturnaliorum festo; & apostata Vergerus nares corrugat, quoniam Romanus Pontifex pronuntiat ceram cum agno impresso (inquit ille prope finem Tomi I.) delere peccata, *ut sanguinem Christi.* Egit de Ritu ceras consecrandi etiam noster Panvinius: in quo refutant recentiorum doctissimi, quod ait invaluisse posteaquam desiit usus administrandi in Paschate solemnem baptismum, ideoque post nonum sæculum. At videtur mihi Panvinius asserere, quod *remansit* ritus iste sublato antiquiori, quo baptizatis dabatur *cera candidissima cum imagine Agni, confecta ex chrismate, oleo sancto, cereis Paschalibus*, & de solemniori ritu benedictionis pertractare, non de antiquiori institutione, quæ sæculo saltem V. vigebat. Ad id comprobandum protulit olim Vincentius Bonardus in Opusculo Itala lingua conscripto pag. 32. ceram sacram, sive *Agnum Dei*, repertam anno 1544. in sarcophago Mariæ Augustæ conjugis Honorii Imperat., quæ fatis cessit ante medium sæculum quintum. Utitur & hoc argumento BENEDICTUS XIV. in absolutissimo Opere de Canon. SS. Tom. IV. p. 2. cap. 20. num. 12. Hinc tamen hæreticus Munsterus in Cosmographia occasionem arri-

arripuit cereas has icunculas explodendi; quod adinventa in eo sarcophago scriptum haberet in peripheria, *Maria nostra omnium pulcherrima*. Gretserus lib. 2. de Bened. cap. 36. respondet Munsterum decipi, nec imaginem fuisse ceream, sed auream, quæ à Surio *Agnus Dei* dicta sit ob figuræ similitudinem. Corrueret, si ita foret, argumentum Bonardi, probatum à sapientissimo, eruditissimoque Pontifice; nisi ex Bonardo ipso, necnon ex Raynaldo ad annum 1544. num. 43. constaret auream laminam inscriptam quorumdam Angelorum nominibus fuisse distinctam ab imagine cerea, & inscriptionem non ceræ, sed torqui incisam, *Maria nostra clementissima*, non, ut scribit Munsterus, *pulcherrima*. Refutatur hoc pacto hæreticus, & persistit argumentum nuper productum de istius ritus antiquitate: de quo plura eo loci Bonardus, & Orat. 1. Joannes Molanus. Porro imagines *agni* factæ ex cera pura & virginea symbolum sunt agni immaculati Christi Jesu absque ulla contagione ex Virgine procreati, quemadmodum ait in litteris ad Paschalem Ciconiam Ducem Venetiarum Romanus Pontifex Sixtus V. Pertractarunt de miraculis per *Agnos* istos patratis Casalius, Gretserus, Petrasancta, Carolus Dufresne, præsertim vero IV. Vol. præcitato p. 1. cap. 5. Summus Pontifex BENEDICTUS, collectis undique Scriptorum testimoniis, egregiisque carminibus: nec aliquid ego subjiciam, memor veteris adagii, *In sylvam ne ligna feras*. Respondendum tantummodo Hospiniano, & Vergerio, idque brevissime. Baronii sententia est, *Christianos ex Bullis Ethnicorum, quas parvulis suis fascini avertendi causa appendebant, occasionem sumpsisse ut recens baptizatos Bullis, sed sacris insignirent, superstitione in religionem mutata*. His ergo *agnis* abolita est juxta Baronium, non confirmata superstitio Gentilium amuleta bullasque gestantium: nec nobis tantum, sed primorum quoque sæculorum fidelibus perperam superstitionis crimen objicitur. Vergerus autem splendidissime mentitur: *agnos* enim, de quibus sermo est, symbolum esse Christi, qui nos proprio redemit sanguine, recte nos cum Romano Pontifice asserimus: at *agnis* iisdem virtutem sanctificandi nequaquam tribuimus, non solum *meritoriam* illam, ac summam, quæ est in Christi morte, sed nec *instrumentalem*, quam propugnavimus in Sacramentis.

## XI.

24. De Benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. V. M.

Dicam tandem de benedictione candelarum in festo Purificationis B. M. Virginis; nam de ceremoniis reliquis ad calcem consequentium librorum est pertractandum. Repetunt quidam hunc ritum à Sergio Romano Pontifice, qui Cononi successit anno 687. sed Sergius tantum statuit, ut ea die haberentur Litaniæ: ante Sergium verò de hoc ritu ac festo sermonem instituerunt Sophronius Jerosolymitanus, Idelphonsus Toletanus, & Eligius Noviomensis Episcopus. Quidam cum Baronio in Notis ad Martyr. Romanum hujus ceremoniæ auctorem faciunt Gelasium, qui successit Felici III. anno 492. ac ducuntur ea ratione quod Gelasius sustulerit Lupercalia, ut constat ex erudito ipsius Commentario adversus Andromachum tom. IV. Conciliorum. Et quidem Lupercalia facta Februario mense consentiunt omnes: imo ab his dici *Februarium* scribit S. Pater Augustinus lib. XVIII. contra Faustum cap. 5. est enim *februare* idem, ac *lustrare*, *expiare*, *purum reddere*: Lupercalia verò idem, ac lustrationes, quibus pelle hirci, vel capræ dissecta urbs lustrabatur, lorisque inde factis cæsæ mulieres, opem ferente Junone, facilius concipere, & parere credebantur. Sed quamquam Baronio subscribant cum Sandino in Hist. Fam. Sacræ viri alii litteratissimi: refellitur hæc sententia ex quo Gelasius scribat quidem adversus Lupercalia, sed de Purificatione Virginis, candelarumque benedictione nullam mentionem faciat: ex quo Lupercalia die Februarii decimaquinta celebrarentur: ex quo denique nihil sit in sacra ceremonia, de qua loquimur, respondens ritibus Lupercalium. Addit Menardus pag. 42. in Sacramentarium Gregorii, non à *Februis Lupercorum* dici Februarium, quemadmodum ait Augustinus; sed à *Februo*, id est, Plutone, in cujus cultum Ethnici accensis cereis lustrabant urbem. Verum hac in re animadvertendum erat viro doctissimo Plutonem appellatum *Februum*, quatenus præesse credebatur *februationibus*, ideoque posse cum Isidoro repetente nomen Februarii à *Februo* lib. V. Orig. cap. 32. conciliari Augustinum scribentem adversus Faustum dici Februarium *à Februis sacris Lupercorum*. Quod si discrimen inter Isidorum & Augustinum est aliquod; certe potior est Augustini sententia: quam tradiderat Festus apud Rosinum lib. IV. Antiq. cap. 6. necnon Ovidius in II. Fastorum:

*Mensis*

*Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci*
*Omne solum lustrant, idque piamen habent.*

Non evertit ergo sententiam Baronii, nec forte corroborat, mensis Februarii vocabulum. Tandem Menardus ipse, noster Angelus Rocca Tom. 1. pag. 214. aliique permulti, à quibus non dissentit Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. Not. in Festum Purific. 26. verisimilius putant institutam ceremoniam hanc adversus lustrationes *Amburbales*, eas scilicet, quibus Ethnici ut justa persolverent Diis Manibus urbem accensis facibus februabant. His subscribo, primum quia hæ lustrationes, quamvis non haberent præstitutum diem, quod opponit Sandinus, fiebant tamen initio mensis, & Lupercalia, ut diximus, die tantum XV. Deinde quia apparet inter sacram hanc ceremoniam, & lustrationes illas *amburbales* oppositio, quæ non dignoscitur in februis Lupercorum. Præterea quia id affirmant Rabanus lib. 2. de Instit. Clericorum cap. 33. & Innocentius III. serm. 1. de Purif. Rabanus quidem scribit institutam hanc ceremoniam adversus lustrationes Februo sacras, & Innocentius adversus cultum Cereris, quæ fertur accensis facibus quæsisse raptam à Plutone Proserpinam: sed adverti paulo supra Plutonem, Februum, Deumque lustrationum esse unum eundemque, ut observat Rabanus ipse, traditque Servius in primum Georgicorum. Sed de ritus institutione satis dixi. Candelas accensas ferimus, ut sicut Simeon accepit in ulnis suis puerum Jesum, agnovitque superna illustratione latentem in eo majestatem; ita nos cereum gestantes, carnis fragilis ac labentis symbolum, supernum gratiæ lumen imploremus; atque ut imitemur prudentes Virgines, & lampade castitatis accensa advenienti Sponso occurramus. Attulit priorem hujus ritus rationem Ivo Carnotensis serm. de Purif. & Rupertus lib. 111. de Div. Off. cap. 25. alteram cap. 81. Joannes Belethus. Explicui tricesimum librum. A Puero, quem præsentavit in templo impetret mihi Deipara sapientiæ lumen flammamque charitatis, ut digne & caste prosequar, absolvamque libros proximos de SACRAMENTIS.

# DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

## LIBER TRIGESIMUS PRIMUS

*In quo pertractatur de Sacramento* BAPTISMI.

FELIX SACRAMENTUM AQUAE NOSTRAE, ajebat Tertullianus de Baptismo adversus Quintillam pertractaturus. Et revera ab ipsa rerum creatarum origine prænuntiata fuere Sacramenti hujus præstantia, necessitas, effectus, utilitas: nec elementum est ullum, quod ampliorıbus divinorum beneficiorum symbolis fuerit cumulatum. Principio enim temporum Spiritus Dei *in aurigæ modum* ferebatur super aquas, & nascentem mundum *in figura baptismatis* parturiebat, inquit scribens ad Oceanum Hieronymus. Cœli deinde ab aquis sortiti vocabulum; aves, quæ ex aqua egressæ de terra levantur in aerem, fons è Paradiso in quatuor flumina erumpens, & amaras aquas mortuasque vivificans; purgatus mundus diluvio, expulsoque alite teterrimo volitans super aquas columba, orbique pacem annuntians; Naaman aquarum fluctibus mundatus à lepra; Bersabee civitas juramenti, regnumque Salomonis, quod nomen sumpsit à fontibus; inventa ad puteum Rebecca; Rachel propter aquas Supplantatoris osculo salutata; Præcursor Domini juxta Salim, fontesque aquarum præparans plebem Domino; Salvator lavacro suo sanctificans fluenta Jordanis; patratum ab illo primum signum ex aquis ad nuptias; Samaritana ad puteum vocata; colloquium cum Nicodemo de nova *ex aqua & Spiritu sancto* nativitate; latus Christi percussum lancea, & baptismi mysteria fundens: hæc, inquam, aliaque innumera commonstrant satis hujusce Sacramenti virtutem, confirmantque brevem illam, gravissimamque laudationem, *Felix Sacramentum Aquæ nostræ.* De hoc itaque Sacramento, quo renascimur, abluimur, divini Spiritus participatione donamur, & de antiqua peccati propagine in novam generationem transimus, facti nova creatura novumque figmentum, aggredior Theologicam dissertationem argumenti dignitate, rerumque amplitudine perutilem, ac perjucundam: in qua exornanda quid operis studiique insumpserim, non ego fastidiose recenseam, facile tamen dignoscet lector: quem illam non modo patienti, sed etiam libenti animo excepturum fore confido.

CAPUT

# CAPUT I.

## De *Baptismatis* vocabulo, significatione, definitione atque origine.

## *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Baptismus græcè quid;
3. Aliæ tres significationes
4. Præcipuè significat Sacramentum regenerationis per aquam.
5. Baptismus significat quid distinctum à Doctrina.
6. 7. Id ipsum solidè roboratur.
8. Solvitur objectio Socini
9. Baptismi definitiones ab hæreticis traditæ rejiciuntur, & assignatur vera definitio.
10. 11. 12. 13. De origine Baptismi.
14. Corollarium.

1. Notantur hîc disquirenda.

PRimum ergo Sacramentorum novæ Legis est *Baptismus:* cujus etymologiam, ac significationem nominis primum investigabimus: atque ut pervulgatis disquisitionibus non solum pertenuis eruditionis nostræ lacinias assuere, verùm etiam prætermissas à Scholasticis quæstiones curemus intexere, expendemus etiam scitum Socini contendentis baptismo nihil significari præter institutionem atque doctrinam. Videbimus præterea an Baptismi origo, quatenus est Sacramentum, quoEthnici in novam religionem, Ecclesiamque deducuntur, derivatum sit ex Hebræorum statutis, sive num etiam apud Judæos proselyti mystico quodam lavacro initiarentur, ut post Maimonidem tradidere complures Hebraicarum antiquitatum Scrutatores; inter quos Joseph de Voisin de Lege Divina cap. 6. pag. 23. Lightfootus in Harmon. Evang. pag. 447. & in Horis Hebr. 265. & lib. III. de Ingen. moderat. cap. 2. omnigena eruditione excultus Lamindus Pritanius.

2. *Baptisma* græcè quid;

Itaque *Baptisma* Græcum vocabulum est à Βαπτίζειν, quod idem est, ac *mergere*, signatque medium aliquid inter ἐπιπολάζειν, *leviter innatare*, ac δύνειν, *pessum ire*, sive ad exitium sui fundum petere, ut ex Vett. Glossis ad calcem Cyrilli tradunt Henricus Stephanus, Vulcanius, & Vossius. Ampla ergo, & lata significatione *baptizare* idem notat, ac *lavare*; & quemadmodum apud Hebræos טבל *mergere* frequenter accipitur pro רחץ *lavare*, ita apud Græcos τὸ βαπτίζειν idem significat, ac *abluere*. Occurrunt exempla Judith. XII. 7. *Baptizabat se In fonte aquæ.* IV. Reg. V. 14. *Descendit, & lavit* (ἐβαπτίσατο) *in Jordane septies.* Lucæ XI. 38. *Quare non baptizatus esset ante prandium.* Nec aliter accipiendum est verbum βαπτίζειν, ubi in sacris literis fit mentio ablutionum legalium, ac *baptismatis*, id est, lotionis *calicum, urceorum, æramentorum, lectorum,* Marci VII. 4. & ad Hebr. IX. 10. Hinc Pharisæi, qui crebris utebantur mersionibus, sectam, aut hæresin constituebant, quam in Dialogo cum Tryphone pag. 307. appellat Justinus Φαρισσαίων βαπτίσων, *Pharisæorum Baptistarum.* Ab his Epiphanius h. XVII. distinguit hæresin Ἡμεροβαπτιστῶν, *Hemerobaptistarum*, qui quotidie lavabant, ac sese aquis abluebant, ut se ab omni crimine purgarent. De his etiam in Constit. Apost. lib. IV. cap. 6. pag. 333. Ἡμεροβαπτισαὶ οἵ τινες καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσιν, ἀλλὰ ἢ τὰς κλίνας, ἢ τοὺς πίνακας ἤτοι κρατῆρας, καὶ ποτήρια, κἂν καθίσματα ἐὰν μὴ καθάρωσιν ὕδατι, οὐδενὶ χρῶνται. *Hemerobaptistæ, qui quotidie, nisi abluant se, non comedunt, imo & lectis, catinis, crateribus, poculis, & sedilibus, nisi aqua purgaverint, nullatenus utuntur.* Cæterum liquet ex præcitato cap. VII. Marci etiam Pharisæos omnes has lotiones adhibuisse, imo nonnullos, ut puriores viderentur, sæpius, non singulis tantum diebus, sed etiam noctibus: quod suis in Marcum Comment. ex Josepho notavit Grotius.

3. Significat varia, ut *calamitates, martyrium, pœnitentiam* &c.

A significatione verbi βαπτίζειν, quatenus idem est *ac mergere*, promanarunt tres aliæ significationes, *plurimum affligi, pœnitere, martyrio affici:* unde apud veteres *baptismus* appellantur calamitas, pœnitentia, martyrium, ducta inde comparatione, quod sicuti corpus aqua, ita animus mergitur pœnarum gurgite; aut quemadmodum in baptismate aquis, ita in pœnitentia lacrymis, atque in martyrio sanguine perfundimur. De afflictionum & martyrii baptismate inquit Dominus Lucæ

XII.

XII. 50. *Baptismo autem habeo baptizari*, id est, pati, affligi, omnique suppliciorum genere affici: unde in hunc locum Theophylactus pag. 419. Βάπτισμα δὲ τ θάνατον ἑαυτὸ λέγει, *Baptisma autem mortem suam dixit.* Et Marci x. 38. ait Christus: *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* quo item in loco omnes teterrimam trucemque mortem intelligunt. Calamitates sibi ab hostibus invidisque illatas comparat aquarum gurgitibus sanctus David Psal. XVII. 17. & LXVIII. 2. Hunc postremum locum Augustinus n. 3. egregie exponit de Christi acerbissimis cruciatibus. Præsertim verò martyrium baptismati comparatur ob similitudinem, quæ est inter aquam & sanguinem, & ob virtutem, quam etiam baptismus habet remittendi peccata. De comparatione inter baptismum aquæ, & baptismum sanguinis agit in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 61. in Appendice Tom. VIII. Operum Augustini, Gennadius Massilienſis: de virtute autem baptismatis, ac martyrii nos etiam hoc in libro. Audiatur tantum hic Prosper Epigrammate 87. Tom. VIII. Biblioth. PP. pag. 95.

*Fraudati non sunt sacro baptismate Christi*
*Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit.*
*Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,*
*Id totum implevit gloria martyrii.*

Pœnitentia pariter à Nazianzeno Orat. XXXIX. sive, *in sancta Lumina*, pag. 643. appellatur, τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα, *lacrymarum baptisma*, quoniam & hæc, si vehemens sit, & conjuncta flagrantissimæ charitati, eluit peccati sordes. Quare de Magdalena cecinit lib. IV. vers. 79. Sedulius presbyter:

*Ex polluta diu, modicum purgata recessit*
*Per gemitum, propriique lavans in gurgite fletus,*
*Munda suis lacrymis redit, & detersa capillis.*

Adhibetur præterea *Baptismi* vocabulum ad significandam remissionem peccati, donationem Spiritus sancti; divinorumque donorum affluentiam: quo sensu non tantum dicimur mundari aqua, verum etiam baptizari Spiritu sancto, & igni, Act. I. 5. & Matth. III. 11. Comparatur autem virtus Spiritus sancti *igni*, ob vim purgandi efficacissimam, veterumque noxarum consumptricem, necnon ob figuram linguarum ignearum, quibus in die Pentecostes Apostolis illapsus est. Vide vaticinium Isaiæ IV. 4. Chrysostomum Hom. XI. in Matth. pag. edit. Commel. 103. Augustinum serm. LXXI. de verbis Evang. num. 19. alias XI. de Verbis Dom. cap. 12. nec non Barthium lib. V. Adversariorum cap. 2. Præclara est etiam similitudo Panis, qui aqua & igne perficitur, quam protulit Dux Catholicus Sebastianus, dum Gothorum Rex Gensericus eundem solicitaret, ut unam secum religionem iniret. *Quemadmodum*, inquit, *hic panis, ut ad tantum honorem ascenderet aquæ & ignis beneficio consecutus est; sic ego aqua sancti baptismatis, & igne Spiritus sancti ad decus hominis Christiani perveni. Quod si effeceris, ut panis hic contritus, iterumque mollitus, atque recoctus melior evadat, tum ipse faciam quod hortaris.* Vide Sigonium prope finem libri XII. de Occidentali Imp. pag. edit. Francf. 208.

4. Præcipuè significat Sacramentum regenerationis per aquam.

Præter has verò significationes, præcipuè *baptismus* significat *Sacramentum regenerationis per aquam*, sive lavacrum, quo à peccatis abluimur, & renovamur spiritu: de quo Christus Joannis III. 5. ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* ac Paulus ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* Hujus autem baptismatis, cujus typum præfetulit diluvium Noeticum, in quo perierunt peccatores, ac mare rubrum, per quod pertransiit populus Israel, id nos docentibus Apostolorum principibus, Petro I. Epist. III. 21. & Paulo I. ad Corinth. X. 2., tanta est dignitas & excellentia, ut illud præclarissimis titulis Scriptura, Patresque insignierint. Nam quod in baptismate fidem sanctæ Trinitatis profiteamur, consepeliamur Christo, mundemur; hunc Baptismum appellamus *Sacramentum fidei, sepulturam veteris hominis cum Christo in mortem, ablutionem peccatorum;* quæ nomina passim occurrunt in Paulinis Epistolis: necnon *Illuminationem, unctionem Spiritus sancti, indumentum incorruptionis, sigillum; & arrham hæreditatis;* quorum nominum rationem paucis complexus est oratione *in sanctum lavacrum*, Tom. I. pag. 638. Nazianzenus scribens:

Ka

Καλεῖται ὥσπερ Χρισὸς ὁ τούτε δοτὴρ, πολλοῖς καὶ διαφόροις ὀνόμασι. δῶρον μεὺ ὡς μηδὲν προεισευεγκοῦσι διδόμενον. χάρισμα δὲ, ὡς καὶ ὀφειλόμενον. βάπτισμα δὲ, ὡς συνδαπτομένης τῷ ὕδατι τῆς ἁμαρτίας. χρισμα δὲ, ὡς, ἱερὸν καὶ βασιλικὸν, ταῦτα γὰρ ἦν τὰ χριόμενα. φώτισμα δὲ, ὡς λαμπρότης. ἐνδυμα δὲ, ὡσπερ αἰσχύνης κάλυμμα. λυτρὸν δὲ, ὡς ἐκπλυσις. σφραγὶς δὲ, ὡς συντήρησις, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσις. Videlicet, *Appellatur autem, quemadmodum Christus ejus dator, multis diversisque nominibus. Dicitur donum, quia iis qui nihil prius contulerunt, datur: Gratia, quia etiam debentibus: Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur: Unctio, quia sacer & regius; hujusmodi enim erant, quæ ungebantur; Illuminatio, quia splendor, & claritas: Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est: Lavacrum, quia abluit; Sigillum, quia conservatio est, ac donationis significatio.*

6. Rejicitur turpis error Socini &c. ac Probatur Baptismum significare quid distinctum à doctrina.

Ex quo Baptismus dicatur ob protestationem fidei in Christum *Sacramentum fidei*, & ob charismata Spiritus sancti *Illuminatio*; ausi sunt Socinus, & Ostorodius comminisci nomine *baptismi* in sacris literis significari institutionem doctrinamque Evangelicam, ita, ut baptisma Joannis nihil fuerit aliud, quam ipsius prædicatio; & præceptum Domini Matt. XXVIII. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes, &c.* nihil sonet aliud, quàm, *Ite prædicate, docete, imbuite fide*: hac enim interpretatione præmissa facilius viam sibi sterni prævidit Socinus ad negandam baptismi necessitatem, atque ad asserendum, quod *baptizari aqua* idem sit, ac *fidem Christi palam testari*, quod vel usitata baptismatis ceremonia fieri potest, vel alia qualicunque ratione. Ne itaque hunc errorem, unde promanant pestifera alia dogmata, absque infixo *theta* prætermittamus; hoc in loco demonstrandum est turpiter Socinum hallucinari, dum absurdo, ac plane inusitato sensu unum idemque esse contendit doctrinam, atque baptismum. Ac primum cedo, qui profanorum, sacrorumque Scriptorum acceperit *baptismi* vocabulum in alio sensu, quàm ad immersionem, intinctionem, ablutionemque signandam, ac *baptisterium*, quàm ad commonstrandum tinctorium in cellis frigidariis, aut caldariis constructum, vel locum illum, in quo regenerationis lavacrum administratur. Cum vero nos passim Socinus objurget; propterea quod interdum spreto literali sensu ex Patrum testimoniis requirimus Scripturarum intelligentiam; cur modo ipse cudit e proprio cerebro tam absurdam significationem vocabulorum, communi planissimaque rejecta? Deinde si baptismus Joannis idem erat, ac illius doctrina; quomodo Jerosolymitæ *baptizabantur ab illo in Jordanis flumine?* Marci I. 5. Quomodo idem Joannes ait ib. 8. *Ego baptizavi vos aqua?* Præterea Joannem ipsum baptizasse *in Aennon, juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & baptizabantur*, legitur Joan. cap. III. 23. Quamvis ergo Joannes prædicaret pœnitentiam, & hæc etiam culpam abluat, habeatque cum exteriori lavacro quamdam *analogiam*; baptismum tamen Joannis non fuisse ritum ac cæremoniam ab ejus prædicatione distinctam nemo dicet, qui audacter negare velit aquam esse aquam, Jordanem Jordanem, rivos rivos, id est, qui insanus non sit, ac delirus.

Idem evincitur ex persona Christi, qui Matth. III. 13. Marci I. 9. Lucæ III. 21. *baptizatus est à Joanne*: neque idem dici potest eo sensu *baptizatus*, quasi imbutus doctrina, non tinctus aqua; enimvero Marcus eo loci inquit, *Baptizatus est à Joanne in Jordane, & statim ascendens de aqua, &c.* ac Matthæus notat principio Joannem obstitisse ne Dominum tingeret, mirabundus, ac dicens, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* sed tamen ad Christi responsionem acquievisse: quare non Baptista Dominum, sed Dominus Baptistam docuit. Quis enim dixerit Unigenitum, *qui est in sinu Patris*, à famulo rudimenta accepisse? Baptismus ergo non est doctrina; quoniam etiam Salvator, qui doctrinam habet à Patre, Joan. VII. 16. baptismum accepit à servo. Præterea dicitur quidem Christus baptizasse, Joannis III. 22. sed non per se id, communiter saltem, peregit, scribente eodem Evangelista proximo cap. IV. 2. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus:* quo demonstratum est Apostolos fuisse ministros Christi, & hunc longe præstantiorem Joanne, qui propria manu tingebat, ut in libro de Baptismo animadvertit Tertullianus. At Jesum omnes proprio ore docuisse testatur historia Evangeliorum universa: ac ideo *baptizare, ac docere* diversum sonant; cum per se non baptizet, qui per se docet. Ad hæc nisi baptismus aliquid sit à doctrina distinctum, cum Dominus ait discipulis Mat. XXVIII. 19. *Euntes*

6. Probatur idem.

*Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos*, & Marci XVI. 16.. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, non rhetoricam locutionem adhibuisset, ut inquit Socinus, sed insulsam, ac puerilem ταυτολογίαν: dixisset enim, *docete, & docete; qui crediderit, & crediderit.* Ex iisdem quoque locis constat gentes prius docendas, postea crediturus, deinde tingendas baptismate; & consequenter doctrina præcedens fidem non est baptismus, qui fidem subsequitur.

7. Confirmatur idem.

Confirmatur eadem veritas ex doctrina, gestisque Apostolorum. Etenim Paulus I. ad Corinth. I. 16. 17. ait, *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*; & cum plurimos docuerit, affirmat se baptizasse tantum Crispum, Cajum, & Stephanæ domum: quod sane falsum esset, si inter baptizare & evangelizare nullum interesset discrimen. In Actis quoque Apostolicis II. 38. dictum à Petro quibusdam jam credentibus, & compunctis corde, *Baptizetur unusquisque vestrum*: & VIII. 12. legitur, *Cum ergo credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* En aperte baptismus fidem, ideoque Evangelii doctrinam ac prædicationem subsequitur. Eodem capite versu 36. Eunuchus, cui Philippus evangelizaverat Jesum, cùm venissent ad quamdam aquam, ait: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* His forte reponet Socinus in Baptismo aquæ profiteri Neophytos fidem Christi. Verissimum id est; symbolum enim recitant, ipsaque baptismi *forma* continet sanctæ Trinitatis invocationem: verum nec baptizare est in Christi fide aliquem instituere, nec baptizari est fidem utcunque profiteri, sed aqua tingi, vel mergi in remissionem peccatorum.

Hinc Socinianorum permulti tenent præcipi revera in sacris literis baptismum verum ac proprium, & hunc retinendum esse, & perpetuo in Ecclesia servandum. Slichtingius enim in I. ad Corinth. ad ea verba, *Aut in nomine Pauli baptizati estis*, inquit: *Docemur etiam hoc Apostoli loco, Baptismi ritum in Ecclesia retinendum esse, quo sciant omnes in cujus nomen initiati sint.* Wolchelius lib. VI. de vera Rel. cap. 6. ait utique baptismum esse publicum Christianæ professionis symbolum, sed, *per intinctionem in aquam*: & Ludovicus Wolzogenius in cap. XXVIII. Matth. v. 19. scribit, *Baptismum esse medium, quo Apostoli uti debebant ad faciendos discipulos: inter Judæos quoque fuisse receptum, ut qui ex Paganismo in Judaicam religionem transibant, aqua baptizarentur, quo signo profitebantur, quod sicut sordes corporis aqua abluuntur, ita ipsi quoque conversi ad Deum velint omnem idololatriam abjicere: hunc ritum præcepto Christi servandum in omnibus fidem in ipsum suscipientibus: Baptismi nomen per synecdochen partis prædicationem quidem Evangelii complecti, sed signare etiam ritum illum à Christo præscriptum, & qui prædicationem Evangelii consequi debet.* Hæc Wolzogenius: in quibus licet illud absurdissimum sit, quod cum Socino asserit baptismum aquæ esse nudam cæremoniam, qua palam fidem Christi testamur, agnoscit tamen cæremoniam ipsam ab Evangelica doctrina distinctam, & in Ecclesia Christi institutione servandam.

8. Objectio Sociniana.

At opponit Socinus: Apostolus ad Galatas III. 27. ait: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ad Hebr. VI. 1. 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis manuum, &c.* Petrus etiam Epist. I. cap. III. 21. *Quod vos*, inquit, *nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum resurrectionem JEsu Christi.* Ex quibus verbis perspicuum est Petrum *baptismatis* nomine, non aquæ baptismum intellexisse, sed aliud omnino baptismi genus, doctrinam scilicet Evangelicam.

Solutio.

Verum nescio quid sibi velit hisce testimoniis Socinus. Nam prioris loci apertissima est expositio, eos scilicet, qui baptizantur, exuere veterem hominem, & induere novum, *qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, ut ait idem Apostolus ad Ephes. IV. 24. quare citata verba commonstrant salutarem effectum baptismi, id est, abolitionem peccati, & spiritus renovationem. Christum enim *induere*, juxta Paulinam phrasim, est Christo sanctitate & justitia conformem fieri, ad Rom. XIII. 14. Recte Chrysostomus Tom. 2. in Paulum pag. 1006. *Etenim si Christus est Filius Dei, tu verò illum induisti, in illum per similitudinem*

*dinem transformatus es, &c.* εἰ γὰρ χριστὸς υἱὸς τοῦ δεοῦ, σὺ ᾗ αὐτὸν ἐνδέδυσαι τὸν υἱὸν, πρὸς αὐτὸν ἀφομοιωθεὶς, *&c.* Hinc nos recte de Sacramentorum efficacia sentientes, baptismum supra cum Patribus appellavimus, *Indumentum justitiæ, & ignominiæ velamen.*

In Epistola autem ad Hebræos non ait Apostolus baptismum esse doctrinam, sed non opus esse, ut jam Christiana fide imbutis tradat catechumenorum rudimenta, inter quæ est doctrina baptismatum. Quod autem *baptismatum* plurali numero dictum sit, parum refert; nec est cur Socinus oggerat baptismum aquæ esse unum: nam & una est doctrina, quam ipse putat esse baptismum; quamquam vel cum Theodoreto dicimus Apostolum *baptismata* dixisse numero multitudinis, quia plures baptismi gratiam consequuntur; vel quia non solum aquæ baptismus datur, sed etiam sanguinis, & flaminis; vel quia cum exteriori mersione conjuncta est interior animæ purgatio, vel ob alias causas, de quibus Estius in Paulum.

Petrus denique, ut dictum est præcedenti libro cap. 19. ait nos salvos fieri per baptismum, non quatenus corpus tangit, sed quatenus virtutem habet abluendi peccatum, removetque animi bene sibi conscii trepidationem; vel quatenus baptizati fide, & abrenuntiatione Satanæ, de qua in baptismate interrogantur, disponuntur ad gratiam, æternamque salutem adipiscuntur. Audiamus, quæso, Jonam Slichtingium Socinianum in hunc locum, apud Antonium Van-Dale in Hist. Baptismi pag. 371. *Utitur autem Apostolus interrogationis voce, qua alludit ad interrogationem in Baptismo fieri solitam qua baptizati interrogabantur an peccatis omnibus renuntiarent.* Et infra: *Conscientia bona est benè sibi conscire, nullius sibi mali conscium esse. Hæc in baptizatis erat. Nam præteritorum omnium criminum reatu per baptismum erant soluti, eodem & baptismi Sacramento semet ad omnem in posterum justitiam, ac vitæ puritatem obstrinxerant.* Postremo missis exterorum interpretationibus, *bonæ conscientiæ interrogatio*, de qua Petrus, est contractus ille; quem baptizati cum Deo ineunt, & quem sincero cordè ad salutem capessendam servare debent; habent enim Græci pro interrogatione, ἐπερώτημα, *stipulationem*: & præclare quadrat in hunc locum illud Ambrosii de Myst. cap. 11. n. 5. *Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti Diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.*

Hæc postrema responsio expeditior est ad evitandam illam fiduciam hæreticorum, quam Slichtingius citato loco appellat Græco vocabulo παῤῥησιαν, *parrhesiam*, id est, libertatem loquendi ex rei evidentia fluentem, & ob quam hæretici alii putant baptizatum quemque teneri ad credendum sibi remissa esse peccata, ea firmitudine, qua credimus articulos fidei; autumantes ob hanc specialem fiduciam, quam vocant *fidem divinarum promissionum*, dici baptismum à Patribus *sigillum fidei*, sive *fidei obsignationem.* Verùm, præterquam quod dictum alibi fidem, per quam justificamur, non esse confidentiam hanc à Novatoribus temere, impudenterque jactatam; etiam Catholici appellant Baptismum cum Tridentinis Patribus sess. VI. cap. 7. *Sacramentum fidei, sine qua nulla unquam contingit justificatio:* sed docent fidem istam, quæ justificationis exordium est, illam esse, quæ concipitur ex auditu, & qua credimus vera esse quæ divinitus revelata atque promissa sunt. Atque hoc sensu inquit Tertull. de Pœnit. cap. 6. *Lavacrum istud obsignatio est fidei*; quem locum perperam heterodoxi objectant; cum Tertullianus ibidem fidem istam cum salutari timore conjungat, subjiciens, *Audientis intinctio est metus integer.* Et infra: *Itaque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat; qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Illa satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic invadit. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem, quem emendatiorem, nisi timidiorem?* At contra specialis illa hæreticorum fides nequit Deum timere tanquam judicem, ut fatentur Monhemius, aliique hæretici solum timorem, quo Deus honoratur ut Pater, non quo timetur tanquam peccatorum vindex, probantes, à nobis alibi refutati, & in Opere de hoc argumento cap. V. à Joanne Hesselio Lovaniensi. Basilius quoque vocat baptismum *sigillum fidei*; sed statim addit, hanc fidem esse confessionem Deitatis; ait enim:

τὸ βάπτισμα σφραγὶς τῆς πίστεως, ἡ δὲ πίστις δεύτητος συνκαταθεσις πιστεῦσαι γὰρ δεῖ προότερον ἵνα τῷ βαπτίσματι ἐπισφραγίσωθαι. τὸ δὲ βάπτισμα ἡμῶν ἐστὶ κατὰ τὸν κυρίου παράδοσιν, εἰς ὄνομα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, Tom. 2. pag. 84. id est, *Baptismus est sigillum fidei, fides verò Deitatis confessio. Nam recedere prius oportet, ac postea baptismate obsignari. Baptismus verò noster est secundum Domini traditionem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Idem tradunt antiquiores Patres; inter quos Martyr Justinus ait illos duci ad aquam & regenerari, ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι ἵνας δύνασθαι ὑπισχνέονται: *Quicunque persuasi fuerint & crediderint vera esse quæ à nobis docentur ac prædicantur.* Imo ex Actis Apostolicis cap. 11. 41. ubi legitur baptizatos, qui Petro evangelizanti crediderunt, *Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt*, & cap. VIII. 37. ubi Eunucho petenti baptismum ait Philippus, *Si credis ex toto corde*, & ille respondit, *Credo filium Dei esse Jesum Christum;* necnon ex præmissis baptismati catechesibus, symbolique formulis, de quibus loquitur universa Ecclesiasticarum rerum historia, constat non alia ratione baptismum dictum *Sacramentum fidei*, nisi ob Trinitatis & Incarnationis Dominicæ professionem. Consentientem habeo Hugonem Grotium, qui in cap. 28. Matth. pag. 289. scribit: *Et tales quidem fuere fidei interrogationes, aut primis temporibus, aut proximè primis: quarum respectu βάπτισμα Basilio & aliis dicitur σφραγὶς τῆς πίστεως. Fidei obsignatio Tertulliano de Pœnitentia.* Facessant ergo Novatores alii, qui Tertulliani & Basilii auctoritate contendunt baptismum esse Sacramentum *fidei* illius *specialis*, in cerebro hæreticorum conflctæ.

9. Definitiones hæreticæ baptismi.

Ex his omnibus constat rejiciendas esse traditas ab hæreticis definitiones baptismatis, sive dixeris cum Calvino, *Baptismum esse signum initiationis, quo cooptamur in Ecclesiæ societatem*, sive cum Melanchthone, *signum quo Deus nobiscum agit, & recipit in gratiam*, sive cum Episcopio, & Wolchelio, *publicum Christianæ professionis signum & tesseram:* quæ definitiones omnes eo collineant, ut vel negent Sacramenti novæ legis efficientiam, vel inhærentem gratiam & spiritalem regenerationem, vel ipsius baptismatis necessitatem; adeoque satis superque ex primo, & decimonono capite præcedentis libri latens in hisce flosculis venenum deprehenditur. Nos itaque Baptismum definiendum existimamus cum Catechismo Romano P. II. cap. 2. §. *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo:* quæ definitio cum baptismi proprietatem, tum materiam formamque demonstrat. Etenim baptismum *Sacramentum* esse, & spiritalis gratiæ signum sensibile, quæ ratio unicuique Sacramento inest, nobiscum consentiunt hæretici. Esse autem Sacramentum *regenerationis*, id est, quo consepulti cum Christo in mortem, renascimur, & innovamur, constat ex verbis Christi Joan. III. 5. & Pauli ad Tit. superius recitatis, nec non ex Augustino, qui baptismum appellat *Sacramentum regenerationis spiritualis, & salutis æternæ*, Tract. XV. in Joan. lib. 1. de Peccat. merit. & remis. cap. 24. in II. adversus Cresconium cap. 13. & in VI. contra Julian. cap. 2. & 4. *Aquam* verò esse baptismatis *materiam* constat ex sacris literis, & Patribus, ex dictis contra Socinum; & in sequentibus confirmabitur. *In verbo* pariter sitam Sacramenti *formam* diximus præcedenti libro cap. 9. quod singillatim de baptismo affirmat Apostolus ad Ephes. v. 26. & Augustinus Tract. LXXX. in Joan. num. 3. Verba, quæ baptismi constituunt *formam*, sunt sanctæ Trinitatis invocatio: unde nonnulli id etiam exprimunt in definitione baptismi, perspicuitatis gratia; sed non opus est, ut singula in rerum definitionibus accuratissime describantur, modo innotescat ipsarum rerum, quæ definiuntur, natura. Tenenda est igitur allata baptismatis definitio.

Definitio vera Baptismi.

10. Hæretici fe-runt baptismi originem ex moribus & lustrationibus gentium

Restat, ut de origine baptismi nonnulla dicantur. Profanarum quoque Gentium antiquam fuisse consuetudinem, ut initiandi toto corpore abluerentur, contendit Grotius in Matth. pag. 286. ex Libanio, Lampridio, ex Comœdia Eupolidis, ex Horatii Scholiaste, necnon ex Clemente Alexandrino, ac Tertulliano. Certum est per lavacrum initiatos Isidis ac Mithræ cultores, tinctosque Ethnicos ludis Apollinaribus, & Pelusiis. Addit plura Spencerus Volumine 2. de legibus Hebr. differt. 3. sect. 1. cap. 2. ubi etiam probare nititur lustrationes Judaicas è Gentium ritibus fuisse traductas. Atque ex Hebræorum more derivasse baptismum Christianorum opinantur præcitati hæretici, Grotius, Wolzogenius, Lightfootus, haud dissentientibus aliquibus Catholicorum.

Alii ex moribus & mersionibus Judæorum,

Mo-

Lightfootus cum aliis affert rationes seqq.

1. Momenta horum sunt, quod etiam Hebræis baptismus fuerit symbolum initiationis, quo Ethnici in Judæorum Ecclesiam adsciscebantur; idque probant primò, ex quo Jacob Patriarcha Gen. xxxv. priusquam Bethel conscenderet, convocata domo sua ait: *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra:* quo in loco Abenezra verbum והטהרו, *& mundamini*, interpretatur de ablutione corporis.

2. Afferunt deinde testimonium Maimonidis, qui lib. Issure Biah, parech 13. scribit triplici ritu Israelitas in fœdus intrasse, circumcisione, baptismo, & oblatione: circumcisionis usum fuisse in Aegyto, Exod. xii. 48. Baptismum in deserto ante datam legem, Exodi xix. 10. oblationem postea, Exodi xxiv. 5. addit pro masculis necessariam fuisse cum baptismo circumcisionem, pro fœminis verò baptismum tantum, ac sacrificium: neminem factum proselytum, receptumque in fœdus, nisi circumcisus esset, & baptizatus; circumcisum verò, & non baptizatum, ex proselytorum expunctum numero.

3. Producunt & Thalmud Babylonicum in lib. Jevamoth, ubi legitur baptizandos duntaxat Ethnicos, nec tingendum filium Ethnicæ mulieris, si gravida facta fuerit jam proselyta.

4. Denique animadvertunt Pharisæos ita interrogasse Baptistam, *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Joan. i. 25. non quærentes de usu baptismatis, sed de auctoritate. Cum itaque apud Judæos consuetum fuerit, ut Gentes mersione initiarentur; ex Hebræorum ritibus, inquiunt, promanavit Christianorum baptismus.

11. Resp. primò ad mores gentium.

Ut dicam de his quod sentio, negari non potest etiam apud idololatras fuisse in usu baptismata, ac lustrationes, de quibus Plutarchus in Iside, Virgilius Aeneid. iv. Tacitus Annalium xv. 44. Scacchus noster in Myrotheciis p. 2. cap. 75. aliique à Joanne Spencero collecti. At cum Gentiles non solum corpora abluerent, verum etiam templa, simulacra, mactandas pecudes, vestes, idque non semel, sed frequentissime, & quotiescunque sacra instituerent; Gentilium lustrationes non erant eo sensu initiationes, quasi his profanæ religioni nomen darent; sed purificationes quædam superstitiosis quandoque peractæ ritibus, quibus arbitrabantur se digniores esse, qui ad aras accederent, & sacris operarentur. Atque hinc Tibullus lib. ii. Eleg. i. cecinit,

*Casta placent superis: pura cum veste venite,*
*Et manibus puris sumite fontis aquam:*

& Livius lib. xli. *Omnis præfatio sacrorum*, inquit, *eos, qui non sunt puri manus, sacris arcet.* Fuerunt ergo apud Ethnicos baptismata ac mersiones ritus potius, & ceremoniæ, quàm initiationes mysteriorum.

Resp. secundo ad mersiones Judæorum.

Apud Judæos verò per circumcisionem, non per baptismum, Ethnici in fœdus deducebantur; vereorque, ne oppositum hæretici quidam commenti sint, ut inde facilius persuadeant, baptismum necessarium quidem esse tanquam symbolum professionis Christianæ venientibus è cœtu Gentilium, non autem procreatis è Christianis parentibus, quemadmodum necessarius erat apud Judæos, sed non ex Hebræorum gente, aut è proselytis, generatis: quare opinionem illam, quæ & baptismi necessitatem evertit, & hunc in sola fidei professione constituit, opportune in rem suam amplexatus est cum heterodoxis aliis callidus Wolzogenius. At Judæos sola circumcisione, non baptismo, deductos in fœdus, liquet ex eo, quod nullibi legatur fuisse olim lustrationem *signum fœderis*; ut de præcisione præputii xvii. Genesis. Constat præterea apud Judæos lustrationes non fuisse singulare quoddam initiationis symbolum, sed ritum, ac ceremoniam communem, qua utebantur Pontifices, Levitæ, profani, seminflui, leprosi, aliique omnes, vel ob contractam immunditiem, vel ob reverentiam sacrorum. Non est autem mysterium initiationis id, quod alium ab initiatione, & communem, frequentissimumque habet usum. Addo sententiam Rabbinorum esse in Gemara tit. Jabimoth. cap. 4. *eum, qui circumcisus fuerit, nec baptizatus, tanquam proselytum habendum esse, quoniam circumcisi quidem, at non baptizati fuerunt Patres*: idem dicit Rab. Eliezer ab ipsomet Lightfooto laudatus in Horis Hebr. pag. 266. Addo etiam inverisimile non esse, quod baptismus superadditus fuerit à quibusdam Hebræis circumcisioni, ut discriminarentur

tur à Samaritanis, ut ex Raf Alphes demonstrat Wilhelmus Schichardus apud Anton. Vandale, Hist. Baptism. pag. 342. Josephus insuper lib. XIII. Antiq. cap. 9. aliàs 17. narrans quomodo in expeditione Hircani Idumæorum gens adscita fuerit inter Judæos, ait admisisse circumcisionem, ac spopondisse se in cæteris servaturam Hebræorum leges, nulla facta mentione baptismatis: *Illi verò*, inquit, *patriæ amore tam circumcisionem admiserunt, tum vitam in cæteris similiter ac Judæi agere sustinuerunt.* Rursus lustrationes Judæorum institutas, non ad initiationem & in symbolum fœderis, sed *ad emundationem carnis*, & purgationem labis, quæ vel contactu cadaverum, vel aliis modis, etiam ab initiatis contrahitur, haud obscure innuit Apostolus ad Hebr. IX. 13. Postremo circumcisio, quæ signum fœderis est, non solum necessaria erat Judæis genere, sed etiam emptitiis, alienigenis, ac proselytis omnibus. Si ergo ex traditione Rabbinorum baptismus ortis ex Judæis, aut ex proselytis necessarius non erat; nec erat signum fœderis, ac mysterium initiationis.

13. Resp. tertio ad rationes Lightfooti. Ad 1. Ex his soluta manent argumenta Lightfooti, aliorumque. Ad primum enim dicimus præcepisse Jacobum domui suæ, ut mundaretur, non quod ablutio esset initiationis Sacramentum, sed ob reverentiam loci, ad quem debebat ascendere, sive *ob pollutionem occisorum, quæ contrectaverat*, ut inquiunt Rabbi Samuel, & Jonathan.

Ad 2. Ad alterum dicimus aut Maimonidem errare, aut intelligendum de ritu superaddito baptismati à Judæis, ut discriminarentur ab allis gentibus, quæ pariter circumcidebantur.

Ad 3. Ad tertium liquet ex dictis, Gemaram ineptiis, oppositisque sententiis scatere, nec alia de causa Ethnicos baptizatos à Judæis, quàm ob immunditiei expiationem.

Ad 4. Ad ultimum constat eos, qui confluebant ad baptismum Joannis, fuisse jam initiatos, & in Ecclesiam Judæorum adscitos; ideoque non erat baptismus ipse initiationis mysterium, sed ceremonialis purgatio; de qua mirari non poterant pharisæi, qui optime noverant à Judæis lustrationes quamsæpissime adhiberi, & qui eas præ cæteris repetebant.

14. Corollarium. Consequitur tandem ex dictis, Baptismum Christianorum nihil habere commune, præter aquæ elementum, cum mersionibus Judæorum, eoquod apud nos Baptismus est Sacramentum, quo cooptamur in Christi Ecclesiam: unus est, non multiplex: eoque non tantum tinguntur Gentes, quæ ex cultu idolorum convertuntur ad Christum, sed etiam filii baptizatorum. Præterea nec in baptismate nostro præscriptum est tempus; nec aqua conspersa cineribus vitulæ; qualem in asperfionibus suis adhibuisse Judæos constat ex libro Num. XIX. 9. Aqua denique Christiani baptismatis nullam vim habet, nisi consecrata sit verbo: consecrata autem non ad emundationem carnis ex sui institutione valet, sed ad spiritus innovationem. Falluntur ergo, qui ex Hebræorum lustrationibus baptismum nostrum derivant.

# CAPUT II.

## De Baptismate Joannis.

## *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Baptismus Joannis fuit cælestis, & excellentior mersionibus Mosaicis.
3 4 5 Discrimen inter baptisma Ioannis, & Christi.
6. Usque ad 12. Baptismus Christi valet ad ablutionem culpæ: non verò id per se præstat baptismus Ioannis.
12. & 13. solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis. POsteaquam dixi de lustrationibus Gentium & purificationibus Hebræorum, & ostendi ab iis plurimum discrepare Baptismum Christi; pertractandum mihi est de lavacro Joannis, & inquirendum an saltem istud sit

sit cum Christiano baptismate confundendum. Joannis ergo baptismum hæreticorum quidam nimis deprimunt, alii nimium extollunt, reliqui perversè explicant. Deprimunt Sociniani, ac præsertim in Institutione Germ. cap. 30. Orostodius, nullum in eo divinum mandatum agnoscens: quod nos etiam sentire, falso scribit disp. VIII. de Baptismo Gerardus Vossius. Nimium verò baptisma Joannis attollunt, qui ei tribuunt eandem, ac baptismo Christi efficaciam, ex eo, ut opinor, capite, quod putent Sacramenta nihil esse aliud, quàm Dei oppignorationem, & sigilla doctrinæ, nullumque excepta fide agnoscant instrumentum justitiæ: idque de mersione Joannis sentiunt Melanchthon contra Anabaptistas, Calvinus in IV. Instit. XV. 17. Brentius in III. Lucæ, Magdeburgenses Centur. I. lib. I. cap. 4. Theodorus Beza in Acta, XIX. 4. Vossius præcitata disput. & alii. Perversè denique de Baptismate Joannis loquuntur, qui cum illud à baptismo Christi distinguant, nullam tamen differentiæ rationem tradunt, præter accidentariam temporis, personarum, mersionis, ac fidei, nulla facta effectus mentione. Gerit se in hunc modum Joannes Lightfootus in cap. 3. Matth. ubi ait, Baptismo Joannis nullum ab una religione in aliam traductum, Judæosque illo imbutos doctrina Evangelica, ut fide in Messiam, & pœnitentia, ad Christum recipiendum essent paratiores; cum Apostoli Judæos baptizantes, Christi, qui advenerat, fidem promoverent, Gentibus verò etiam Trinitatem annuntiarent: quæ omnia, utut specioſa videantur, baptismi nostri differentiam, quæ in vi regenerationis sita est, silentio prætereunt alto. Vindicanda ergo mihi est baptismi Joannis dignitas, demonstrandum illius à baptismate Christi discrimen: istiusque discriminis potissima ratio assignanda.

2. Propositio I. Baptismus Ioannis fuit cælestis, & excellentior mersionibus moysaicis. Prob. prima Pars. ex Scriptura.

Prop. I. Baptismus Joannis cœlestis fuit, id est, institutus divino instinctu, & Mosaicis etiam mersionibus excellentior.

Id primum non obscure indicat historia Evangelica; Matthæi quippe XXI. 25. Christus interrogavit principes Sacerdotum: *Baptismus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus?* Ut si respondissent, *De cælo*, quod veritas postulabat, cur ergo, Dominus intulisset, ei non credidistis, qui de me tam apertum, præclarumque perhibuit testimonium? Idque optimè versuti homines sunt assecuti, tacite ad Christi interrogationem submurmurantes, *Si dixerimus è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi?* Cœlestis ergo erat, Domini testimonio, Joannis tinctio. II. Lucas III. 2. testatur tunc Joannem venisse prædicando baptismum in regionem Jordanis, cum super illum *factum est verbum Domini*: quibus verbis, inquit Theophylactus, innuitur *illum non temere, neque citra vocationem ad testificandum de Christo profiliisse, sed divino motum spiritu*; pag. 323. οὐκ αὐτόκλητος ἦλθε μαρτυρῆσαι περὶ χριστοῦ, ἀλλὰ θείῳ κινούμενος πνεύματι. III. Idem Joannes sic loquitur apud cognominem Evangelistam, I. 33 *Qui misit me baptizare in aqua*, satis commonstrans se divino mandato baptizandi munus obiisse.

Prob. secunda Pars ex SS. Patribus.

Fuisse autem baptismum Joannis præstantiorem purificationibus Legalibus probat egregie Cyrillus lib. I. in Joannem cap. I. p. 157. ex quo cum veteres cæremoniæ Christum prænuntiarent, & mersiones legis gratiam promitterent futuro quidem, sed incomperto tempore conferendam; baptisma Joannis Christo *proximum erat, docebatque præparationem quamdam, & rudimentum perfectionis.* Animadvertit eo loci Doctor eximius contentionem ortam inter discipulos Joannis cum Judæis nonnullis, de qua Joan. II. 25. in hoc versatam, quod illi baptisma suscipientes magistri sui, purificationes legales oppugnare viderentur. II. Sanctus Basilius lib. de Baptismo Tom. I. pag. 647. his verbis baptismum Joannis præfert purificationibus legis: *Baptismus itaque per Moysen traditus, primum peccatorum differentiam observavit: non enim quævis peccata remissionis gratiam assequebantur. Deindè verò & differentia sacrificia exigebat. Purificationem studiosè petebat. Impurum & maculatum aliquando à reliquis separabat: dierum & horarum observantiam statuebat; & tunc baptismus illis, à quibus accipiebatur, quasi quædam purificationis erat obsignatio. Joannis verò baptisma multis modis excelluit. Nullam enim prorsus faciebat peccatorum differentiam: nullum exigebat sacrificiorum discrimen. Purificationem studiosè non efflagitabat, nec dierum aut horarum habebat observantiam, nec ulla prorsus facta dilatione, per gratiam Dei & Christi ipsius, simul ac accesserat quis;*

*quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat.* At de hoc loco; quo abutuntur hæretici hunc baptismum æquiparantes baptismo Christi, dicam iterum: nam hæc tantum ad confutationem Orostodii.

3. Propositio 2. Multiplex discrimen inter baptisma Joannis, & Christi. Primum Baptisma Joannis non fuit Sacramentum.

Prop. II. Multiplici titulo Joannis baptisma discrepabat à baptismate Redemptoris.

Primam autem rationem discriminis quidam in eo statuunt, quod revera baptismus Joannis non fuerit Sacramentum, nisi quatenus *Sacramenti* nomen ampla significatione accipitur pro signo quolibet mystico: in qua sententia est S. Thomas 3. p. q. 38. art. 1. Nititur verò hæc opinio duplici momento, quorum unum est, Sacramentum esse signum permanens, cum baptismus Joannis exiguo temporis perduraverit intervallo: alterum, vi sua mundasse duntaxat corpus, ut S. Thomas inquit art. proximo ad 1. Sed dilutæ videntur hæ rationes; prior namque è temporis diuturnitate petita, omnino Sacramento extranea est: altera probat tantum, baptisma Joannis fuisse, ut erant veteres ritus, egenum, infirmumque elementum. Nec inverisimile est beatum Thomam appellasse baptismum illum *Sacramentale* potius, quam *Sacramentum*, habita ratione effectus, qui erat *parare viam Domino*, & ad baptismum Christi disponere, non spectata ratione generica Sacramentorum. Quare posse illud baptisma dici Sacramentum, non repugnant Thomistæ duo hujus ævi percelebres, Auctor de Re Sacram. lib. 2. q. v. cap. 1. §. 4. & Thomas Vincentius Monelia dissert. de Annis Christi cap. v. num. 13. Verum, sive *Sacramentum* dicas, sive *Sacramentale*, in hoc differt à baptismate Christi: quod *sicut legis vetera Sacramenta, præcursorio quodam, & præfiguratorio fungebatur officio*, ut inquit S. Pater de unico baptismo contra Petil. cap. 7. num. 9. ac præterea, quod Joannes baptisma ipsum accepit *certæ dispensationis gratia, non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino*, ut idem Augustinus scribit contra Donatistas lib. v. cap. 9. num. 10. Ex quo autem baptisma Joannis haud diu perseveraverit, *quod non sivit Dominus, ne hoc unum, quo ipse baptizat, indigere præcedenti altero videretur*, ut in sequenti num. 11. ait Oppugnator Donatistarum, consequitur etiam baptismum Joannis propriè ad hanc Legem minime pertinuisse, sed fuisse medium quoddam inter novam, & veterem, unius finem, alteriusque initia commonstrans.

4. Secundum fuit sine forma verborum.

Petitur alia differentiæ ratio à formula baptismi: baptismus quippe Joannis verborum expers fuit, inquiunt Ludovicus Habert de Baptismo cap. 1. q. 9. & Cardinalis Gotti dub. 1. §. 2. post Bellarminum lib. 1. de Baptismo cap. 20. Reponit Vossius cit. disp. num. 8. verisimiliorem esse sententiam eorum, qui dicunt Joannem usum hac, similive forma, *Baptizo te in nomine venturi Messiæ*, & hanc esse sententiam Ambrosii lib. 1. de Spir. S. cap. 2. Hieronymi in cap. 3. Joelis, Scholasticorum quorumdam, & quæ colligitur ex Act. xix. 4. At fallitur Vossius. Nam Ambrosius ibidem num. 41. eo sensu docet Joannem baptizasse *in advenientis Jesu nomine*, quatenus *Christum prædicabat*; negatque eos, qui ignorabant esse Spiritum sanctum, sed baptismo Joannis tincti fuerant, de quibus Act. xix. 2. *baptismum in Christi nomine* accepisse, cum non credidissent in Spiritum Christi, quem prædicabat Baptista. Idem scribit Hieronymus in Joelem Tom. III. pag. 1359. ubi de fide in Spiritum sanctum instituit sermonem. Ex Actis verò colliges tantum, Joannem baptizasse baptismo pœnitentiæ, *in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent:* quæ verba ad Joannis prædicationem spectant, non ad formulam elementum aquæ determinantem. Salvà ergo Marsilii, Paludani, Alensis, aliorumque sententia, subscribo Suaresio Tom. 2. in 3. p. disp. 25. Lorino in Acta pag. 773. aliisque negantibus Joannem usum in baptismate verborum *forma*. Ducor autem momentis hujusmodi, Primum Scriptura de hac formula silet, ac Patres, ut diximus, in alio loquuntur sensu: nec est, cur opponas cum laudato Suaresio Augustinum in libro quæst. novi Testam. q. 29. spurio, & jure in appendicem 2. p. Tom. III. ablegato. Deinde in baptismate collato Jesu adhibitam formulam negant Paludanus ipse, ac Marsilius, imo & Gerardus Vossius; tametsi nescio quam aliam formulam excogitaverit in IV. dist. 2. Palacius. Præterea necessum non erat verba consecrari *materiam* nullius in ordine ad gratiam producendam efficientiæ. Addunt quidam, etiam tincto Domino baptis-

baptismum Joannis perduravisse, quod inferunt ex Joannis IV. 2. At puto eo loci sermonem esse de baptismate Christi, primò quia S. Pater lib. v. de Baptismo num. 11. scribit, *Dominus*, postquam Joannis baptismate tinctus est, *ultra illud perseverare non sivit:* adhæc, quia apud Joannem cap. 4. legitur Jesum baptizasse, *quamquam non baptizaret ipse, sed discipuli ejus*; quod recte Augustinus Tract. XV. in Joannem num. 3. ita conciliat, *Baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat quia non ipse tingebat.* At baptismus datus discipulorum Christi ministerio, & cui ipse, Christus, ut Augustinus ait, *præbebat adjutorium majestatis*, regenerationis Sacramentum est. Imbelle est itaque argumentum postremum, petitum ex duratione baptismi Joannis; qui sane si perstitisset baptizato Domino, debebat mutari ea formula, *Baptizo te in nomine venturi Messiæ.* Cæterum hac etiam *forma* concessa baptismati Præcursoris, adhuc consequitur ex ea maximum à baptismo Christi discrimen. Enimverò lavacrum administratum *in nomine Messiæ venturi* pollicebatur gratiam, non eam conferebat; datum verò *in nomine Christi advenientis*, proximam redemptionem; non consummatam perfectamque præferebat: hi autem, qui baptizantur *in Christi nomine*, quem jam mortuum, sepultumque, ac redivivum firmissime credunt, completæ redemptionis fructum, ac præsentem regenerationis percipiunt gratiam. Tandem non in Christi nomine tantum, sed sub sanctæ Trinitatis invocatione Dominicum baptisma confertur; mentiturque splendidissime Vossius, scribens etiam Joannem *in nomine Trinitatis* baptizasse. Si id enim verum est, quomodo nonnulli tincti Joannis baptismate ignorabant Spiritum Sanctum. Act. XIX. 2.? Præclare Hieronymus in Joelem loco cit. *In actibus Apostolorum, qui baptizati erant baptismate Joannis in eum qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Jesu: quia respondent Paulo interroganti, Sed ne si sit quidem Spiritus sanctus novimus, iterum baptizantur, imo verum baptisma accipiunt: quia sine Spirtu sancto, & mysterio Trinitatis, quidquid in unam, aut alteram personam accipitur, imperfectum est.* Sive ergo baptismus Joannis fuerit in aqua, & non in verbo, sive non fuerit in verbo *fidei*, id est, cum Sanctæ Trinitatis invocatione; à baptismate Christi plurimum discrepavit, fuitque in hujus comparatione admodum imperfectus.

Probo denique differentiarum rationes, quas attulit Lightfootus; non enim sum talis ingenii, qui erumpentem ex ore impiorum veritatem, tanquam margaritam in stercore, audeam pedibus conculcare. Joannis baptismus se se circa Jordanis regionem continuit, ac neminem ex falsa religione deduxit in veram: at baptismus Christi etiam ad Gentes pertransiit, easque de regione umbræ mortis in lucem Evangelicæ veritatis pertraxit. Habuit etiam Præcursoris lavacrum speciem pristinæ severitatis, cum præscriberet immersionem illam, quam Judæorum quidam tollere studuerunt gratiâ fæminarum Galilæarum; intinctio autem Christi id genus immersionis necessario non exigat. In his homini hæretico assentior. In eo etiam assero præstare baptismum Domini baptismo Joannis, quod hic tingeret propriis manibus, ille ministerio discipulorum; unus adultos, ac pœnitentia expiandos, alter & parvulos originaria tantum labe pollutos: ad Christi demum baptisma accessit multitudo populorum frequentior, ita, ut ea res zelotypiæ causa fuerit discipulis Joannis, Joan. III. 26. atque invidentiæ Pharisæis Joan. IV. 1. Insuper & istud, quod discipuli Joannis turbati sint, & Pharisæi populos confluentes ad baptisma Christi invidis, lividisque suspexerint oculis, argumento est baptismum Domini esse baptismate famuli longè præstantiorem: ut Tract. in Joannem XIII. num. 8. vidit Augustinus, & in Comment. pag. 175. Alexandriæ antistes Cyrillus.

5. Approbantur etiam quædam rationes ab hæreticis allatæ.

6. Propositio 3. Baptismus Christi etiam in hoc præstat baptismô Joannis, quod ille sit efficacior, & abluat culpam &c.

Prop. III. In hoc etiam baptismus Christi præstat baptismo Joannis, quod ille majorem habeat efficaciam, valeatque ad ablutionem culpæ; cum iste vi sua conferret legalem tantum, corporeamque munditiam, remissionem verò peccatorum nonnisi ratione pœnitentiæ, fideique suscipientium.

Prob. 1. ex verbis Baptistæ.

Hanc utriusque baptismatis differentiam, quam negant hæretici, ne cogantur Sacramento Christi tribuere virtutem producendi gratiam, & ejurare male feriatum de justificatione systema, probant argumenta prorsus invicta. I. Joannes Matth. III. 11. inquit: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior*

*me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Hoc in loco Joannes discrimen istud statuit inter suum, & Christi baptismum, quod suus corpus tantum ablueret, & ad pœnitentiam excitaret: baptismus autem Christi pertingat animum, eumque gratia Spiritus sancti perfundat. Respondent hæretici baptismum Christi in Spiritu sancto fuisse cum in die Pentecostes *apparuerunt* in Apostolis *dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque Spiritus sanctus supra singulos eorum,* Act. 11. 3. Id verò probant ex quo Matthæus ibi, necnon Lucas 111. 16. *Spiritum* simul, & *ignem* commemorant: & ex quo Dominus priusquam cœlum ascenderet, ita Act. 1. 5. Apostolos allocutus est, *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies:* idem ait Petrus Act. xi. 16. Verum hæc responsio nullatenus vim præmissæ argumentationis infringit. Nam primò fatemur Joannem etiam ad effusionem Spiritus in linguis igneis intendisse animum; negamus de baptismo aquæ non esse pariter accipiendum, cum utrumque innuat dicens, *In Spiritu sancto & igni.* Deinde si contendas *Spiritum sanctum* & *ignem* ad unam effusionem Spiritus pertinere, ut sensus sit, *Ille baptizabit vos Spiritu sancto in linguis ignis elapso,* quod non ignoro contendere in hunc locum Hugonem Grotium: igitur etiam Joannis 111 5. ea verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* in unum baptisma quadrabunt; & quemadmodum non sejungis energiam Spiritus à linguis igneis, ita separare non debes energiam ipsam à baptismate aquæ. Rursus de hoc etiam baptismo tradidere Patres, quod sit *in Spiritu sancto, & igni,* quatenus sicut aqua lebeti infusa & ad ignem apposita comburendi vim induit, ita, inquit Cyrillus in Joannem pag. 147. διὰ τῆς τῦ πνεύματος ἐνεργίας τὸ αἰσθητὸν ὕδρως πρὸς θείαν τινὰ καὶ ἄῤῥητον ἀναζοιχεῖνται δύναμιν. *Per Spiritus efficacitatem sensibilis aqua ad divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur:* quod pariter tradiderunt Theodorus Heracleotes, Macarius, aliique apud Corderium in Catena Volum. 2. pag. 80. Insuper Joannis scopus est humiliter significare suam à Christo discrepantiam: quam comprobat ex comparatione utriusque baptismatis, quasi dicat, quemadmodum in aqua, qua ego baptizo, est sola exterior ablutio, & in aqua baptismatis Christi latet Spiritus sancti energia: ita in me nuda humanitas est, & præcursoris officium; in illo autem subest vestimento carnis majestas divinitatis, & Reparatoris auctoritas; ideoque *professetur baptismatis simplicitatem sui,* inquit Chrysostomus Hom. xi. in Matth. pag. 104. *nec illud quidquam amplius habere demonstrat, quam ut eos ad pœnitentiam duceret: non enim dicit in aqua remissionis, sed pœnitentiæ: tum demum ponit Christi baptisma ineffabilium donorum liberalitate cumulatum:* τὸ εὐτελὲς τοῦ παπτίσματος τοῦ αὐτὸ θεὶς, καὶ δείξας ὡς οὐδὲν πλέον ἔχει ἢ ὕδωρ μετάνοιαν αὐτοὺς ἀγαγεῖν. ἃ γὰρ εἶπεν, ὅτι ὕδατι ἀφέσεως, ἀλλὰ μετανοίας. τίθησι καὶ τὸ αὐτοῦ, τὸ τῆς ἄφατ δωρεᾶς γέμον. Præterea, cum eo loci Joannes commonstret Messiæ dignitatem, dum ait hunc baptizaturum *in Spiritu sancto, & igni;* videtur *ignis* nomine designare Messiæ auctoritatem, qua in futuro sæculo probaturus est uniuscujusque opus, & nomine *Spiritus sancti* tum energiam baptismalis aquæ, tum alia gratiarum charismata: ideoque imperitè contendunt hæretici ex vocabulo *ignis* locutum Joannem tantummodo de linguis igneis super Apostolos dispertitis: id verò animadvertit ingeniose citato loco Macarius, mihique videtur quadrare subjectis verbis, *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quare possunt verba Joannis ad varia baptismatum genera accomodari, nullo tamen excluso, non baptismo aquæ, non effusionis Spiritus, non postremæ conflagrationis. Tandem Joannis 111. 5. illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* quæ vis regenerativa tribuitur, quam sane habere nequit absque Spiritus sancti virtute: unde Augustinus epist. 23. ad Bonifac. nunc. 98. num 2. de regeneratione scribit: *Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum.* Et Ammonius, Catena Græc. in Joan. pag. 89. *Aqua quidem corpus emundat, sed animam inaspectabilem Spiritus sanctificat. Et aqua matricis loco sumitur, Spiritus verò vice Dei effectoris. Aqua illa, quæ sensu percipitur, ad divinam quamdam virtutem elevatur, omnesque quos contigerit sanctificat, utpote solo connotato à Spiritu*

Hæreticorum responsio.

Convellitur multis.

*ritu diversa, cum sit eadem operatione.* τὸ ὕδωρ καταρίζει τὸ σῶμα, ϗ τὸ πνεῦμα τ ἀοράτον ἀγιάζει φυχήν. τὸ ὕδωρ ἐν ταξει μητρὸς λαμβάνεται, τὸ δὲ πνεῦμα ἐν τάξει τοῦ διαπλαττοντὸς θεὸ τὸ αἰσθητον ὕδωρ πρὸθεῖαν ἀναδοιχεῖται δύναμιν, ϗ ἁγιάζει τοὺς ἐν οἷς ἂν γένηται. τὸ ὕδωρ ἐπινοίᾳ μόνον διαφορὸν ἔχει πρὸς τὸ πνεῦμα, ἐπεὶ ταῦτον ἐστι τῇ ἐνεργίᾳ. Similia Chrysostomus hom. XXIV. in Joan. pag. 127. & Cyrillus Alexandrinus supralaudatus. Vide præcedentis libri caput XIX. prop. 5. Nullibi tam magnifica de baptismate Joannis scripta leguntur.

7. Prob. 2. item ex Scriptura.

II. Præcitata verba, *Nisi quis renatus, &c.* probationem aliam suppeditant. Iis enim respondit Dominus Nicodemo interroganti quomodo potest homo iterato introire in matris uterum, & renasci; quod mirum non esse inquit Salvator, cum ipse locutus sit de regeneratione spiritus, non carnis: ac propterea addit, *Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est.* Animum advertas. Homo semel gignitur carne in utero matris, & idcirco nequit carne renasci, atque una est carnis nativitas ex Adam: ergo semel regeneratur homo baptismate, & ideo baptisma repeti nequit, sed unum est Sacramentum regenerationis in Christo. Istud vero non est baptismus Joannis, quo tingi semel, iterumque Judæi poterant, & post quem novimus plures tinctos fuisse baptismo Christi: non erat ergo baptismus Joannis Sacramentum regenerationis, uti est baptismus Domini. *Jam natus sum de Adam,* inquit, Augustinus Tract. IX. in Joan. num. 6. *non me potest iterum generare Adam: jam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, ita nec baptismus.*

8. Prob. 3. ex Act. Ap.

III. Validum petitur argumentum ex Act. XIX. ubi legimus Paulum iterum baptizasse baptismo Christi quosdam discipulos Ephesi, *qui dixerunt* se baptizatos, *in Joannis baptismate,* versu 3. Si uterque baptismus idem est, cur illum Apostolus iteravit, maxime cum nefas sit baptismum rite collatum repetere? *Quæro itaque,* ait Augustinus lib. V. contra Donatistas cap. X. num. 12. *quæro itaque, si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis voluit baptizari?* & seq. num. 13. *Quæ igitur causa est, nisi quia baptisma, quod illos jussit Paulus accipere, non hoc erat quod per Joannem dabatur?* Non una est ad hanc decretoriam argumentationem hæreticorum responsio. Calvinus lib. IV. Instit. XV. 18. ait, *Quid sibi volunt ea verba, Baptizati sunt in nomine Jesu; Quidam interpretantur tantum sincera doctrina eruditos à Paulo fuisse: sed simplicius intelligere malim, baptismum Spiritus sancti, hoc est gratias Spiritus visibiles per manuum impositionem datas: quas baptismi nomine significari non novum est.* At inepta supra quam dici potest hæc responsio Calvini. Et quantum ad aliorum opinionem *de doctrina,* liquet ex præced. cap. id olere purum putum Socinianismum. Quod vero addit *baptismi* nomine designari in Actis impositionem manuum, principio auctore etiam Vossio num. 29. adversatur sententiæ omnium antiquorum, si excipias Optatum, & Interpretem Ambrosiastem in Paulum; cum veteres scripserint vere ab Apostolis rebaptizatos, qui antea rite à Joanne baptizati fuerant. Deinde eo loci narrat Lucas Paulum denuo baptizatis imposuisse manus, actionem hanc à tingendi ministerio sejungens: *Baptizati sunt,* inquit: *in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Constat quoque ex Act. cap. VIII. 17. manuum impositionem fuisse munus Apostolicum longe à baptismo diversum. Præter hæc, cum nomen *Pauli* occurrat versu 6. *Cum imposuisset illis manus Paulus,* non versu præcedenti, *Baptizati sunt;* atque aliunde constet non fuisse consuetudinem Pauli baptizare, probabile admodum est, alium baptizasse, ac Paulum manus imposuisse. *Baptizati erant ab alio Christiano,* inquit Grotius pag. 637. Quomodo ergo baptismus, & collatio Spiritus sancti per manuum impositionem idem sunt, si hæc duo sejunctis ministeriis distinctis viri perfecerunt? Repudiata responsione Calvini aliam excogitavit Philippus Marnixius, laudatus à Theodoro Beza in Acta pag. 353. eaque utuntur idem Beza, Schmidius pag. 913. Drusius Tom. VII. Crit. Sacr. pag. 349. & alii. Inquiunt ergo, illa verba, *His auditis baptizati sunt,* non esse Lucæ narrantis rebaptizationem eorum, qui baptizati fuerunt à Joanne. sed esse verba Pauli significantis, quod etiam Joannes baptizabat in nomine Christi: etenim, ajunt, extat Græce ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν, ubi particula δὲ *adversativa est;* & respondens par-

Calvini responsio repudiatur ut inepta.

Marnixii & aliorum hæreticorum responsio resicitur tanquam commentum, &c.

particulæ μὲν, in versu 4. Ἰωάννης μὲν ἐπάπτισε βάπτισμα μετανοίας. *Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ.* Verum hæc responsio præmissâ Calviniana deterior est. Ac primo consentiunt hæretici illam antiquis omnibus adversari; unde rejicienda est, tanquam commentum Marnixii. Inquit Vossius num. xxxiii. pag. 288. *Nam sententia illa, quæ μὲν, & δὲ, ad Pauli sententiam refert, atque inde statuit semel duntaxat fuisse baptizatos, admodum novella est; quippe nata me nato.* Præterea infirmum est admodum argumentum depromptum ex duabus illis particulis, quas certum est perraro adversativas esse, & à Græcis *euphoniæ* gratia cuilibet fere periodo inseri; neque opus est afferamus exempla, cum in ipso Actorum libro à primo versu, ac deinceps, frequenter se prodant. Insuper Versiones omnes, quas vide in Polyglottis Walt. Tom. V. pag. 592. dum illarum particularum interpretationem omittunt, aperte refellunt singularem Marnixii commentationem. Rursus si præcitata verba sunt Pauli, cum ipse baptizatos à Joanne alloqueretur, uti dixerat, *In quo baptizati estis*, ita prosecutus fuisset, *His auditis baptizati fuistis*, non in tertia persona, *Baptizati sunt.* Tandem Grotius hæc de ea opinione scribit: *His auditis, nempe illi ad quos Paulus loquebatur: sunt enim hæc Lucæ verba. Sic accepere Latinus, Syrus, Arabs, & veteres omnes ante Marnixium.* Hujus repudiata responsione, aliam excogitavit Gerardus Vossius num. 27. quam puto subtiliorem. Ait litteratus ille, post institutum à Domino baptismum Joannis fuisse antiquatum & illegitimum, eos autem, qui baptizati iterum sunt apud Ephesum, suscepisse baptismum Joannis ab aliquo ejus discipulo, *post introductum baptisma Domini, & exclusum baptisma servi*, quæ est sententia Optati Milevitani lib. v. de Schism. Donatist. num. v. pag. 85. Verum neque hæc sententia præsidio esse potest hæreticis. Enimvero Optatus ibidem præmiserat, *Quamvis alterum fuerat baptisma Joannis, & alterum sit Christi. Baptisma Joannis ante legem pro pleno voluit esse, quod non erat plenum.* Rursus Optatus oppugnat Donatistas rebaptizantes, & opponentes quod iterum baptizati sint jam baptizati à Joanne Act. xix. quem locum urgent quoque posteriores Anabaptistæ: quos contra efficax est argumentum Optati docentis non esse comparandos rebaptizatos post baptismum Joannis cum rebaptizatis post baptismum Christi, sive dicas baptisma Joannis & baptismum Christi fuisse diversos; sive dicas baptismum Joannis exclusum instituto Christiano. Quidquid præterea sit de mente Optati; incredibile est Joannem ministrasse baptismum jam exclusum, & eliminatum, atque inter tot millia, quæ baptizavit Petrus Act. ii. 41. nullum fuisse tinctum à Joanne, ad quem veniisse, ut baptizaretur, omnem Judæam, etiam publicanos, narrant Matthæus, iii. 5. Marcus, i. 5. Lucas iii. 12. Ad hæc Paulus ibidem docuit, cur necessum foret baptismum repeti: nec ait, Ideo baptizemini, quia recepistis baptismum jam exclusum, sed ideo, quia Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, *ostendens parvi momenti fuisse baptisma Joannis, neque enim dixit, remissionis fuisse, sed pœnitentiæ*, inquit pag. 144. Oecumenius, ἐντεῦθεν δὲ δείκνυται ὅτι ἀτέλες ἦν τὸ βάπτισμα Ἰωάννε. ἐ γὰρ εἶπον ἀφέσεως, ἀλλὰ μετανοίας: & cum cæteris Latinorum Tertullianus de Baptismo cap. x. *In Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Joannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem noverant: ergo non erat cæleste quod cælestia non exhibebat, &c.* Explosis itaque commentationibus hæreticorum, concludendum est cum Augustino lib. de Unit. Eccles. cap. xxi. num. 58. *Non erat unus baptismus qui dabatur à Joanne, & qui dabatur à Paulo.*

9. Deinde probatur thesis ex canone primo de Baptismo Conc. Trid. sess. vii. *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Subirascitur Vossius n. 23. Tridentinis Patribus, dicens longe alium eis fuisse spiritum, quam Augustino, qui non anathema dicit iis, qui dissentirent, sed negat se cum iis velle pugnaciter contendere; vidit enim sanctissimus Antistes, etsi hic erret aliquis, non periclitari salutem, non convelli fidem, non lædi pietatem. Papæ, quam insigniter! Ubinam illud asserit Augustinus? In v. libro de Baptismo cap. x. num. 12. ubi ait: *Tamen ne quisque contendat, etiam in baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus denuo baptizari, per baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.* Atqui hæc, Vossj, nequaquam canoni Tridentino adversantur; non enim sacrosancta Tridentina Synodus dixit

Prob. 4. ex Trid.

Vindicatur Augustinus contra Vossium.

*ana-*

*anathema* iis, qui assererent etiam baptismo Joannis peccata fuisse dimissa: minime; anathema in eos intorsit, qui baptismum Joannis, & Christi unum dicunt, sive utrique eandem attribuunt efficaciam. At sive dixeris Baptismo Joannis non dimissa peccata, quod non inficiaberis eodem loco asserere absque hæsitatione Augustinum; sive dixeris aliquam ampliorem sanctificationem per baptismum Christi collatam, negas baptismum Christi & Joannis esse unum, eandemque habere efficaciam. Igitur sive unum, sive alterum affirmes, id est, sive quod Augustinus tenet, sive quod non vult in disputationem pugnaciter trahere, probare debes Tridentinæ Synodi definitionem. Rursus in hoc etiam Tridentinorum Patrum debes commendare prudentiam, quod id, de quo Augustinus agere noluit pugnaciter, præcitato canone non expresserint, rati id tantum ad fidem pertinere, quod maximum sit inter utrumque baptismum, Joannis, & Christi, discrimen. Fatentur enim Catholici quidam Theologi fidem non convelli, si dicatur Joannis baptismate dimissa fuisse peccata, modò statuatur baptismatum differentia; quamquam verissime teneant ferme omnes baptisma Præcursoris aut non diluisse peccata, aut si diluit, id non præstitisse baptismatis energiâ, *ex opere operato*. Postremo miserrimum hæretici hominis subterfugium censendum est, quod dum Augustinus gratis illud concedit, quo etiam admisso causa cadunt Donatistæ ibidem exagitati, arripit inde occasionem oppugnandi quod Augustinus absolute pronuntiat, *Baptismo Joannis non dimittebantur peccata, dimittebantur vero Domini baptismo.*

10. Prob. 5. Traditione Patrum.

Jam vero ad Patrum traditionem progrediar, qua in re brevis ero, tum quia permulti hactenus fuerunt producti, tum quia ingenue Vossius num. 16. pag. 285. scribit, *Multos Patrum ejus, ac Bellarminus voluit, sententiæ fuisse agnoscimus.* Itaque præter Tertullianum, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, & Oecumenium prælaudatos, Auctor qq. ad Orthodoxos inter Opera Justini, quæst. XXXVII. pag. 413. ait, τὸ βάπτισμα Ἰωάννε προοίμιον ἦν εὐαγγελίκε χάριτος, *Baptismus Joannis proœmium fuit Evangelii gratiæ*; paucisque interjectis scribit *dimissa peccata* non vi hujus baptismatis, sed, διὰ μετανοίας τε καὶ πίστεως τοῦ Χριστοῦ, *per pœnitentiam, & per fidem Christi.* Idem scribit Cyrillus Hierosoly. Catech. 3. Basilius de Spiritu sancto cap. XV. Tom. 2. pag. 178. *Illinc cognoscitur*, inquit, *quantum inter eam gratiam, quæ à Spiritu proficiscitur, & baptismum eum, qui aqua tantum constabat, sit discriminis, quod Joannes quidem baptizavit aqua, Dominus autem meus, Jesus Christus in Spiritu sancto*: ἐπὶ κἀκεῖθεν τῆς ἀπὸ τοῦ πνεύματος χάριτος, πρὸς τὸ ἐν ὕδατι βάπτισμα γνώριμον τὸ διάφορον. ὅτι Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ἐν ὕδατι. ὁδὲ κύριος μοῦ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Vide quæ de hoc libro scripsi Vol. II. pag. 119. Gregorius Nazianzenus Orat. in sancta lumina XXXIX. pag, 634. *Baptizavit* (inquit) *etiam Joannes, non jam ille quidem Judaico more, sed etiam ad pœnitentiam, nondum tamen prorsus spiritualiter. Nec enim addit, in Spiritu. Baptizat quoque Jesus, sed in Spiritu. Quod quidem perfectum numerisque omnibus absolutum baptismum reddit.* Ἐβαπτισε καὶ Ἰωάννης ἀυκ ἔτι μὲν Ἰωδαικῶς. οὐ λαρ ἐν ὕδατι μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς μετανοίαν. οὔπω δὲ ὅλον πνευματικῶς, οὐ γαρ προσέθηκε τὸ ἐν πνεύματι. βαπτίζει καὶ Ἰησοῦς, ἀλλα ἐν πνεύματι. τοῦτο ἡ τελειότης, &c. Hieronymus adversus Luciferianos Tom. IV. pag. 293. *Audi quid Scripturæ doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam pœnitentiæ baptisma fuit, in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.* Gregorius M. libr. I. in Evang. Hom. VII. num. 3. *Joannes* inquit, *non Spiritu, sed aqua baptizat; quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non lavat.* Denique Theophylactus in Evang. ita loquitur Joannis ore, pag. 19. *Meum baptisma non dat spiritualem gratiam, sed neque peccatorum remissionem.* τὸ μὲν ἐμὸν βάπτισμα ὐ δίδωσι πνευματικὴν χάριν, ὐδὲ γαρ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

11. Prob. 6. Testimoniis exterorum.

Producam postremo loco & exterorum testimonia. Primum, cum Dominus baptismum instituit, Judæorum ali- qui cum discipulis Joannis disceptantes, *præter sententiam, atque inviti fateri coacti sunt longe præstantius esse Christi baptisma*, inquit Cyrillus in Joan. Tom. IV. pag. 175. expendens quæ narrantur Joan. III. 25. & IV. 1. ἐπὶ τὸ γνώμην χωρεσι, καὶ ἄκοντες πολὺ δὲ κάλλιον εἶναι λέγοντες τὸ διὰ Χριστοῦ λεγόμενον βαπτισμα.

2. II. Josephus lib. XVIII. Antiq. cap. VII. nunc V. num. 2. de Joanne, ejusque baptismate scribit: *Deo enim ita acceptum iri lavacrum ajebat, cum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiem*, ἔτο γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεικτην αὐτῳ παρεῖθαι, μὴ ἐπί τινον ἁμαρτάδων παραιτησει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνεία τοῦ σώματος. Citatur hoc testimonium Josephi ab Origene lib. 1. contra Celsum pag. edit. Cantab. 35. & ab Euseb. H. E. lib. 1. cap. XI. pag. 29. nec est, qui illud in dubium ha-
3. ctenus revocaverit. III. Etiam hæretici veritatem hanc agnovere. De Vossio dictum supra, fateri multos Patres sentire nobiscum: adde in proxima quæst. contra Anabaptistas num. XXIX. hæc subjicere: *Plurimi aqua tantum baptizasse Joannem putant.* Grotius aperte amplectitur Catholicorum sententiam in Act. cap. XIX. v. 4. Tom. 2. pag. 637. Quid? Ipse Lutherus in disputatione habita anno 1520. art. 3. ait: *Baptisma legis membra, vestes, vasa lavabat, figurante spiritu externorum operum sanctitatem, & legis velamen: baptisma Joannis, revelata facie legis, omnes peccato immergit, & avidos gratiæ facit: baptisma Christi peccato mersos, & avidos gratiæ educit, & novas creaturas facit. Ut baptisma legis pœnitentiam non præstabat, sed magis præsumptionem, donec in baptisma Joannis desinebat: ita Joannis baptisma gratiam non præstabat, sed magis desperationem, donec ad baptismum Christi pertingebat.* Idem tradidisse Melanchthonem in primis locis communibus animadvertit Cassander in Consult. ad art. IX. Confess. Augustanæ Tom. IV. Op. Grot. pag. 571. Cur ergo postea Melanchthon, ejusque Sectatores à sententia discesserunt? Nempe quoniam devexa est mendaciorum via, ac tumidorum hæreticorum sapientia per viam eandem incedit,

*Commentisque suis ludificata ruit,*

inquit Prosper.

12. Obiciunt hæretici. 1. Diluenda remanent perpauca Acatholicorum objecta, videor enim mihi præcipua non præcidisse tantum, sed & evulsisse radicitus. Principio, inquiunt, satis liquet baptismum Joannis & Christi convenire in causa efficiente principali, cum propositione prima dictum sit, illum quoque fuisse cœlestem. Nec dici potest, quod reponunt Bellarminus de Baptismo cap. 20. & Maldonatus de Sacram. disp. 2. q. 3. baptismum Joannis fuisse cœlestem quantum ad institutionem, non quantum spectat ad effectum & ritum: oportet enim ritum & effectum Deo tribuere, si ipse Joannem miserat ad tingendum aqua in remissionem peccatorum, ut legimus Joann. 1. 33. Convenit præterea uterque baptismus materia, quia utrobique tinctio facta est aquâ. Conveniunt & in ratione *formæ*; nam videtur parum probabile Joannem muta ceremonia fuisse contentum, si autem formula hac usus est, *Baptizo in nomine Messiæ venturi*, aut duntaxat, *In nomine Christi*; hæc forma non est diversa ab ea, quam adhibuerunt discipuli ante passionem, atque, ut nonnulli è Schola docuere, etiam post passionem in baptizandis Judæis. Tandem etiam in effectu convenit utrumque baptisma, aut effectus accipiatur pro obsignatione doctrinæ, aut pro remissione peccati. Nam si de doctrina sermo sit, etiam Joannes annuntiabat Christum, dicens Joan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, &c.* imo & Trinitas in ejus baptismate innotuit, cum baptizato Domino *vox Patris audita est, & Spiritus sanctus in columbæ specie descendit*, Matth. III. 16. & Lucæ III. 22. De remissione autem peccati, sicuti Act. II. 28. de baptismate Christi ait Petrus, *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*, ita Marci 1. 4. de baptismo Joannis legitur: *Fuit Joannes in deserto baptizans: & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Eadem ergo ratione uterque baptismus peccata abluit.

2. Maximè de Remissione peccatorum. ex P. P. Basilio. Revera baptismo Joannis remissa fuisse peccata docent nonnulli Patres. Tenet primum locum Basilius, qui Orat. superius laudata de baptismo Tom. 1. pag. 648. inquit: *Simul itaque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat; in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim, peccatorum remissionem accipiebat.* Ἅματε προσῆλθετις ἐξομολογέμονος τὰς ἁμαρτίας, ὅσας δήποτ' ἦν, καὶ ἐβαπτίζετο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, ἢ ἐνδὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν ἁμαραντιμάτων. Accedit Ambrosius, qui lib. de Spiritu Ambrosio. sancto cap. 3. num. 41. ait: *Joannes in remissionem peccatorum in adventientis Jesu, non in suo baptizabat nomine.* Ex quo loco Mag. sent. in IV. dist. 2. infert baptizatos à Joanne non fuisse rebaptizatos, si in Trini-

Trinitatem crediderant, nec in ipso baptismo Joannis spem collocaverant, ac rebaptizatos tantum, qui Spiritum sanctum nesciebant, suamque spem in Joannis lavacro posuerant. Opponit Vossius & Prudentium, quem Cathemer. hymno VII. tribuisse baptismo Joannis remissionem peccatorum, affirmat quoque Jansenius Gandavensis in Concordia cap. XIII. pag. 99. Prudentii autem verba ista sunt:

Prudentio.

*Hoc ex lavacro labe dempta criminum*
*Ibant renati; non secus, quam si rudis*
*Auri recocta vena pulchrum splendeat,*
*Micet metalli sive lux argentei,*
*Sudum polito prænitens purgamine.*

3. Quædam sunt alia, sed levioris momenti; ut unum esse baptisma, auctore Apostolo ad Ephesios IV. 5. nec Joannem, nec ejus discipulos, nec Apostolos certe tinctos fuisse baptismo Christi: istum denique baptizatum, nobisque fore maximum solamen, ac decus, si eadem cum Redemptore nostro mersione abluamur; sed de his plura Bellarminus de Baptis. cap. 23.

13. Resp. Ad 1. Hæc tamen nullam ad catholicum dogma labefactandum vim habent. Ad primum enim respondemus duo in institutione aliqua spectari, instinctum, sive inspirationem atque mandatum, & potestatem virtutemque rei collatam. Si primum attendas, baptismus Joannis cœlestis erat, quod nos adversus Orostadium statuimus: si spectes alterum, non cœlestis erat, sed elementaris, corpus tantummodo tinguens; & hanc tingendi vim habet utique Jordanis flumen à Deo, sed non primum collatam, dum misit Joannem baptizare; tunc inditam, cum initio temporis aquam fluidæ naturæ produxit. Id ante Bellarminum, & Maldonatum tradiderat S. Thomas 3. p. q. 38. art. 2. *Dicendum, quod in baptismo Joannis duo possunt considerari, scilicet ipse ritus baptizandi, & effectus baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ex hominibus, sed à Deo, qui familiari Spiritus sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine; quia nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo facere non posset: unde non fuit à solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur.* Ante beatum Thomam idem tradiderat Tertull. scribens lib. de Baptismo cap. 10. *divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen non potestate, quod & Joannem à Domino missum legimus in hoc munus; cæterum humanum conditione. Nihil enim cæleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus.* Perperam ergo Vossius impetit Bellarmini & Maldonati responsa. In baptismo Joannis fuisse tinctionem nemo ignorat: defuisse *formam* supra ostendimus; quam si detrahas, *quid est aqua, nisi aqua?* inquit Augustinus Tract. 80. in Joan. n. 3. Nec proinde asserimus Joannem muta usum ceremonia, cum Christum annuntiasse, & ad pœnitentiam hortatum fuisse quos tingebat, sit certum: negamus hanc prædicationem, hortationemque appellandam Sacramenti *formam*, quam in doctrina sitam esse aliud est hæreticorum figmentum jam altero libro dispunctum. Atque ut liberalis sim, & concedam Joannem adhibuisse *formam* fundendo elementum; baptizasse tamen sub invocatione Trinitatis falsum est penitus. Ridendus hic mihi est Vossius, qui id ex uno Magistro sent. in IV. dist. 3. probare nititur. Hucne confugiunt, qui non solum Lombardum, verum & Scholasticos omnes, imo & Patrum traditiones rejiciunt? Sed & Magister eo loci discipulos ante passionem *baptizasse in nomine Trinitatis*, scribit; baptismo Joannis baptizasse, non scribit: quinimo eo loci complectitur opinionem eorum, qui ajunt Christum instituisse baptismum in Jordane, quando baptizatus est à Joanne, ac propterea haud inverisimile putat Apostolos ante passionem baptizasse *in nomine Trinitatis*. Unus ergo eximendus est scrupulus de remissione peccatorum.

Ad 2. Responsio ma communis. Solet responderi, baptismo Joannis non dimissa peccata virtute baptismi, sed virtute pœnitentiæ; cum baptismus Christi eadem diluat propria vi, atque energia: quare baptismus Joannis dicitur *baptismus pœnitentiæ*, baptismus Christi *lavacrum regenerationis:* quæ responsio est fere communis, placuitque ex Reformatis Scriptoribus etiam Regnerio Pedrinio in Matth. pag. 137. quod num. XI. cogitur Vossius concoquere. Tutatur autem sese responsio ista ab omni adversantium oppugnatione, modò verba ipsa, quæ opponuntur, attendas.

At

Responsio secunda Auctoris.

At mihi arridet responsio altera, quod baptismus Joannis erat in remissionem peccatorum proximè futuram per Christum, ad quem digne suscipiendum populus ad pœnitentiam voce Præcursoris excitabatur. De baptismo quippe Joannis non legimus, eo hominem renasci, regenerari, sepeliri in Christi mortem, ablui peccata, & cætera, quæ diximus cap. 1. de Christiano baptismo enuntiari; sed legimus tantum, *fuisse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* quorum verborum sensus est, Joannem prædicando & baptizando ad pœnitentiam fuisse exhortatum Judæos, ut pararent viam ei, qui adveniebat gratiam exhibens, baptizans in Spiritu sancto, & peccata dimittens: qua exhortatione, si quis pœnitentiam egit vehementem, hunc vi contritionis fideique charitati conjunctæ justificatum, nequaquam repugno. Trahit me primum in hanc sententiam quod Joannes non hortabatur ad pœnitentiam tanquam ad dispositionem baptismatis sui, ut Petrus Act. 11. 28. sed tanquam ad præparationem pro recipiendo Messia, dicens Matth. III. 2. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus:* atque dum Jesum vidit, Joan. 1. 29. 33. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Deinde sensum hunc innuit Paulus Act. XIX. 4. de quo loco plura jam dixi: idque fatetur etiam Acatholicus Grotius. Præterea hæc fuit plurimorum Patrum sententia. Tertullianus, *Prædicabat baptismum pœnitentiæ* (inquit de Bapt. cap. 10.) *in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum.* Hieronymus in Joelem supra laudatus, *in futuram remissionem.* Augustinus lib. v. de Bapt. cap. 10. *In remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa verò in Domini baptismo id fieret.* Insuper cohæret cum his Patribus sententia aliorum, qui absolutè negant baptismo Joannis dimissa peccata. Ad hæc idem sensisse Tridentinos Theologos auctor est lib. IX. Hist. cap. 7. Pallavicinus. Tenuisse denique sententiam istam Scholarum Angelum, satis liquet ex 3. p. q. 38. ad 2.

Ad PP.

Excipiuntur, & explanantur utraque responsione, quæ objiciebantur ex Patribus, perpauca tamen, & quæ cum supra productis nequeant æquiparari. Si enim velis baptismo Joannis dimissa crimina vi tantummodo pœnitentiæ; hanc Basilius commemorat, nec Ambrosius, & Prudentius excludunt. Si responsionem præfers nostram; etsi sudandum non est, ut commonstretur omnes omnino veterum denegasse baptismo Joannis peccata fuisse dimissa: id enim ad fidem non spectat, ut supra monuimus; contendere poteris, neque Basilium habere nos adversarium. Quomodo enim adversarius, qui in libro de Spiritu sancto nobis quæ diximus præmonstravit? In loco autem, qui objicitur, tria baptismata distinguit, unum Moysis, alterum Joannis, tertium Christi. Primum, quod promittebat futurum Reparatorem, & conferebat solam munditiem legalem, appellat *obsignationem purificationis*, ἐπισφράγισμα τοῦ καταρσμοῦ: alterum, in quo Salvator prædicabatur adveniens, exhibebat ἐυθὺς τὴν ἄφεσιν, *statim remissionem*: tribuebat tertium, reliqua superans, τὴν ὑπερβολὴν χάριτος, *supereminentiam gratiæ.* Ne locus iste pugnet cum iis, quæ scripsit Basilius in lib. de Sp. S. interpretor ego particulam, ἐυθὺς, *statim*, ac si idem valeat ac *quam citissime, quamprimum*; ita ut sensus, sit, primum baptisma prænuntiabat remissionem aliquando futuram: alterum jam advenientem, ac statim obtinendam; tertium verò plenam, perfectamque largitur. Nonne hæc interpretatio optime Basilii scopo, verbisque collineat Idem affirmandum de verbis Ambrosii: *Joannes*, inquit ille, *in remissionem peccatorum, in adventis Jesu baptizabat nomine*, id est, in remissionem futuram. Quid arduum, absurdumque, si ita explicemus Ambrosium, qui Præf. in Psalmum XXXVII, Tom. 1. pag. 816. docet solum baptismum Christi conferre gratiam, baptismum verò pœnitentiæ incutere timorem suppliciorum? *Baptismus Joannis*, inquit, *oculus suppliciorum est; baptismus Christi oculus gratiarum:* & in Lucam lib. 2. num. 78. pag. 1307. *Aqua corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud invocamus; licet etiam in ipso fonte sanctificatio divinitatis adspiret. Non enim aqua omnis ablutio; sed hæc inter se divisa esse non possunt; ideo aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est. Illud ex utroque, illud ex uno.* Agit autem Ambrosius ibi de Joanne, & exponit ejus verba, *Ego vos aqua baptizo.* Unus restat Prudentius.

Et

Et hunc possumus accipere de remissione *in spe*, & quæ lavacrum Joannis non comitaretur, sed consequeretur; nam cecinit eo in loco,

*Sed tincta postquam membra defæcaverat,*
*Cælo refulgens influebat Spiritus.*

Si repugnes, unoque versu decertes, antitheton pangit lib. 2. H. Evang. Arator:

*Nomine venturi Præcursor in orbe Joannes*
*Exhibuit baptisma suum, Dominoque paravit*
*Ipse viam, memorans cunctis baptisma futurum*
*Post aliud, quod jure datur, quod Trina potestas*
*Illustrare solet.*

Ad 3. Reliqua paucis expediam. Apostolus ad Ephesios scribens, eos monet, ut soliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, IV. 3. ex quo eidem Domino se devoverint, eandem finem fuerint amplexi, eodemque baptismo regenerati. Nil istic de Joannis baptismate. Etiam Joannem baptizatum à Christo affirmat Nazianzenus pag. 633. in Oratione XXXIX. Idem scribit Sanctus Thomas cit. q. 38. ad 3. Vide Cardinalem Gotti Tom. XIII. pag. 156. Necesse tamen non erat, ut tingeretur baptismo novæ legis Præcursor, priusquam hæc obstringeret truncatus capite. Discipulos baptizatos baptismo Christi scribit Augustinus Ep. ad Seleucianam, nunc 265. num. 5. Baptizari Christus à Ioanne voluit, ut Præcursoris ministerium probaret, ob quam rem & circumcisionem accepit: ut exinanitus in forma servi, & factus in similitudinem carnis peccati, simile cum peccatoribus susciperet signum; ut nobis præberet humilitatis exemplum; ut denique consecraret baptismi nostri elementum, de qua re infra. Lege S. Thomam 3. p. q. 38. art. 1. & 2. Suaresium Tom. 2. pag. 256. & Jansenium in Concordia cap. 14. At nobis, instituto salubriori remedio, quemadmodum nec carnis circumcisio, ita nec ablutio sola abstergens membra præscribitur; ac magis consolationis nostræ argumentum est, quod excusum fuerit baptisma servi, quod institutum salubrius quod regeneremur Spiritu sancto, & ex fonte levemur tanquam è Christi sepulchro ad spiritalem vitam renati. Hæc de baptismo Joannis: de quo ajebat Cyrillus Tom. IV. pag. 156. Joannem apertissime suum à Christi baptismate alterum, ac longe imparem commonstrasse, quasi præscius foret, *exorituros aliquos, qui præmentis inopia dicere auderent, nullum esse prorsus eorum discrimen.* ἵν γὰρ ὄντως ἐλπίδος ἔξ μακρὰν ἀναδειχθῆσθαί ποτε τοὺς ἀποτολμῶντας ἐ ἀνοίας εἰπεῖν μηδεμίαν ὅλως ἐν αὐτοῖς ὑπάρχειν τὴν διαφοράν, &c. Dignum cedro, & quo dissertatio claudatur, oraculum.

# CAPUT III.

## Quando à Christo institutum sit Baptismatis Sacramentum?

## *SUMMARIUM.*

1. Diversæ auctorum Sententiæ.
2. 3. Christus instituit baptismum ante passionem suam, dum baptizatur à Joanne.
4. & 5. Satisfit objectionibus.
6. Ante promulgationem Evangelii non erat obligatio baptismi, saltem generaliter.
7. Juxta quosdam Thomistas sufficit privata notitia.
8. Auctor subscribit Thomistis.

1. Diversæ Auctorum Sententiæ.

VEnio ad Baptismum Christi, de quo primum inquiritur quando à Domino sit institutus. Arcessunt quidam baptismi originem ab eo tempore, quando Christus Matth. XXVIII. inquit Apostolis; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* in qua sententia fuit Rupertus lib. 3. in Joannem: nec ab ea recedunt qui cum Melchiore Cano lib. VIII. de locis Th. cap. 5. tenent nunquam Apostolos ante Christi mortem aliud, quàm Joannis, administrasse baptisma. Alii cum Scoto in IV. dist. 3. baptizasse Apostolos baptismo Christi ante hujus mortem haud negant, sed quo tempore baptismus sit institutus, ajunt omnino esse incompertum: qua de re legendus Mastrius Tom. IV. disp. 2. quæst. 1. Nonnulli cum Alex. Alensi p. 4. de Sacram. q. VIII. membro 2. art. 3. distinguunt multiplicem baptismatis institutionem, unam, quam vocant *potentialem*, cum Jesus baptizatus in Jordane aquis vim regenerativam largitus est; *formalem* altarem, cum ait Apostolis, *Ite, docete, &c.* præscribens formam, *In nomine Patris, &c.* alteram quantum, *ad finem*, dum ait Joan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Quantum *ad effectum* quartam, dum inquit Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* Rursus institutum baptismum ajunt quantum *ad efficaciam, & significationem*, quando de Christi latere Joan. XIX. *exivit sanguis, & aqua.* Addunt & institutum *officialiter*, cum Dominus misit discipulos binos & binos ad prædicandum & baptizandum, Lucæ X. Ajebat de Alensi Vossius disp IX. thesi 1. *non dividere, vel distinguere, sed concidere in minutias, ut bovem solent molossi.* Permulti denique unum institutionis tempus designant: quidam cum Estio dist. 3. §. 11. quando Christus ait Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Joannis III. 5. quidam vero quando in Jordane baptizatus est à Joanne. Tenent hanc postremam sententiam cum Magistro in VI. dist. III. ac D. Thoma 3. p. q. LXVI. art. 2. Thomistæ, ac nostrates singuli; necnon Bernardus Zane Episcopus Spalatensis in Orat. habita in Conc. Lateran. V. an. 1512. Bellarminus lib. 1. de Bapt. cap. 5. Suarez in præcitatum art. quæstionis 66. Vasquez disp. 140. cap. 4. atque ex recentioribus J. B. Du-Hamel cap. 2. Ludovicus Habert cap. 1. q. 7. Boucat differt. 1. art. 5. ac Tournely q. 3. art. 1. Ego quoque, tametsi disquisitionem hanc parum necessariam arbitror, scholæ morem gerens opinionem postremam tanquam probabiliorem amplector.

2. Propositio 1. Christus instituit Baptismum ante passionem dum baptizaretur à Joanne. Prob. prima Pars. 1.

Prop. I. Probabilius est baptismum à Christo fuisse institutum ante passionem; & quidem dum baptizatus est à Joanne.

Demonstratur prior pars. 1. Joannis III. 22. & IV. 1. legitur etiam Jesum, ac discipulos ejus baptizasse. Atqui non baptizarunt baptismo Joannis; igitur baptizarunt baptismo Christi. Minorem probo: ait eo loci Evangelista, *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Dicitur ergo Christus baptizasse, ministrantibus discipulis baptismum: ideoque hi Christi, non Joannis baptisma administrabant; alioqui Joannes potius, quam Christus diceretur per discipulos baptizasse. Præclare S. P. Augustinus Tract. XV. in Joannem, num. 3. *Baptizabat enim quia ipse mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis.* Et in Epist. ad Seleucianam 265. num. 5. *Ipsius enim erat*

*erat baptismi Sacramentum, ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat.* Similia Cyrillus in Ioannem pag. 156. ubi etiam advertit, nunquam Ioannem baptizasse, διὰ χειρὸς ἑτέρου, *per aliorum manus.* Et Ammonius in Cat. Græcor. pag. 103. *Cæterum baptisma Evangelicum tradebat, quod multum erat à Joannis baptismate diversum:* τὸ Εὐαγγελικὸν λοιπὸν παρεδίδε βάπτισμα, ὅπερ πολλὴν εἶχον διαφοραν πρὸς τὸ Ἰωάννε. Rursus Joannes de Christo prænuntiaverat, Ioann. 1. 33. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*; nec ullibi invenies Dominum Jesum aqua duntaxat baptizasse. Cum igitur audis, *Jesus baptizabat*, accipere debes, baptizabat *Spiritu sancto.* Recte Augustinus cit. Tract. xv. num. 4. *Hic est qui baptizat. Baptizat quidem Christus in Spiritu, &c.* Rursus nullibi legimus eos, quos discipuli Domini baptizarunt, fuisse iterum baptizatos, sicuti Act. xix. 4. rebaptizatos novimus baptizatos baptismo Joannis, utique, quod hi non essent tincti baptismate Christi, ut præc. cap. dictum est. Baptizati ergo à discipulis Domini, Christi baptismum receperant. *Quidam qui habebant baptisma Joannis* (inquit August. Tract v. in Joann. num. 16.) *jussi sunt à Paulo baptizari, non enim habebant baptisma Christi.* Et num. 18. *Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem, quia si datus est à Juda baptismus, Christi erat.* Agit Augustinus contra Donatistas, quos imbelli peteret argumento, si discipuli Domini dedissent baptismum Joannis.

2. II. Discipuli Joannis, cum audissent etiam Jesum baptizare, *venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum*, Joan. III. 26. Si Jesus, ejusque discipuli baptizassent baptismo Joannis; cur discipuli Joannis quæstionem movissent istam, dum ipsius honori cessisset, quod baptismate suo etiam Christi discipuli baptizarent? Vide Augustinum Tract. XIII. num. 8. & Epist. XLIV. ad Eleusium cap. 5. num. 10. & Cyrillum in Ioannem pag. 175. Addo Ammonium scribentem pag. 104. ideo confertim turbas ad baptismum Christi accurisse, quoniam *neque Joannis, neque discipulorum ejus baptismus Spiritum sanctum conferebat,* ὅτε τὸ Ἰωάννε βάπτισμα, ὅτε τὸ τῶν μαθητῶν παρεῖχε πνεῦμα ἅγιον.

III. Joannis XIII. 10. Christus discipulorum lavans pedes, inquit ad Petrum: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Petrus itaque ante passionem Christi baptismo, id est, *aqua, & Spiritu sancto* fuerat ablutus. *Perfecta enim mundatio*, inquit Augustinus cit. Epist. 44. *non in Joannis, sed in Domini baptismo est.* Poterat quidem Petrus mundus esse eo tempore sine baptismate nondum quoslibet obstringente: sed tamen Augustini ratio persistit, tum quia baptismus perfectiorem contulisset munditiem; tum quia congruum erat, ne Apostoli Eucharistiam acciperent, & novæ legis Sacerdotes constituerentur nondum baptizati, quod eo loci S. Pater animadvertit; tum demum quia revera Petrum fuisse à Domino baptizatum est vetus traditio, de qua vide Euthymium in Evangelia pag. 324. Evodium apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. pag. 134. & Acta ab Aemilio Sanctorio collecta Tom. VII. SS. Junii pag. 3. Atque hæc de prima propositionis parte. 3.

Alteram partem stabiliunt quæ sequuntur. I. Si Dominus, ejusque discipuli dabant aliud à Joannis baptismate; atque, ut liquet ex Historia Evangelica, nunquam leguntur ante baptizatum Jesum baptizasse, id vero fecerunt Joanne adhuc superstite, & initio Dominicæ prædicationis: profectò videtur eo tempore, quo Christus ad Jordanem venit, baptismus ab eo consecratus & institutus, siquidem antea non erat, & posthac solemni ritu ministrabatur. 3. Prob. secundæ Part. 1.

II. Instituitur Sacramentum dum consecratur *materia*, & designatur verborum *forma.* At *materiam* baptismatis, id est, aquam fuisse à Domino in Jordane mundatam, sanctificatam, consecratam, concors est sanctorum Patrum sententia: quare S. Thomas q. 66. art. 2. inquit, *Tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum: hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus; unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum.* Neque hanc probationem elidunt quæ reponit Estius cum antiquioribus, Christum contactu carnis suæ ordinasse aquam ad regenerationem hominum, non ei regenerativam vim contulisse; aut quod ait Juenin, aquas Jordanis contactu quidem Christi sanctificatas, non autem 2.

tem donatas fuisse sanctificandi virtute: oppositum quippe docent Patres, si perlegantur attente. Ambrosius enim lib. 2. in Lucam num. 83. pag. 1308. non solum ait, *Baptizatus est ergo Dominus non mundari volens, sed mundare aquas*, quæ verba plures exscripserunt; sed ulterius addidit, *ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent*, ut recte vidit S. Thomas q. 39. art. 1. Nazianzenus Orat. xxxix. pag. 633. inquit Christum accessisse ad baptismum, ut ipsum à quo baptizabatur afficeret sanctitate, ut in aqua veterem Adam sepeliret, *præsertim verò, & propter hoc Jordanem, quemadmodum ipse spiritus, & caro erat, ita spiritu perficiens, & aqua*, πρὸ δὲ τούτων, ἢ διὰ τούτους τὸν Ιορδάνην, ὅσπερ ἦν πνεῦμα ἢ σάρξ, ἕτω πνεύματι τελειῶν ἢ ὕδατι. S. Maximus Taurinensis Hom. vi. de Epiph. Tom. vi. Bibl. PP. pag. 12. *Christus* inquit, *beati Joannis ministerio fluenta Jordanis benedictione proprii baptismatis consecravit:* & Infra, *Baptizatur Filius in Jordane, Spiritus sanctificat Sacramentum, Pater aperit veritatem:* ac seq. Hom. vii. *Quod verò fluentis Jordanis baptizatur Jesus, aquæ nostro baptismati consecrantur*; ac rursus pag. 13. *Baptizatur ergo Jesus, non sibi, sed nobis: baptizatur, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet: baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat Sacramentum.* Mitto sermonem 36. de Tempore inter Augustinianos, nunc in Appendice n. 135. Cyrillum in Symb. Græc. Tom. 1. pag. 44. En aperte affirmant Patres Christum in Jordane non solum aquas sanctificasse suæ carnis contactu, verum etiam eas perfecisse, ut haberent jus baptismatis, ut in earum ablutione adesset Spiritus sancti energia, ut nostro baptismati consecrarentur, ut novum institueretur baptisma: quid est autem donari sanctificationis virtute, si hoc non est?

3. III. Aquas in Jordane vi regenerationis donatas antiquæ etiam Liturgiæ commonstrant. In vetusto Missali Gothico Gallicano edito à Cardinali Thomasio, & citato ab Edm. Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. art. 18. pag. 169. in Benedict. Fontis Baptismalis legitur: *Deus qui Jordanis fontem pro animarum salute sanctificasti.* Item: *Sanctifica Domine hujus laticis undas, sicut sanctificasti fluenta Jordanis.* In Græcorum Euchologio apud Jacobum Goarium in Officio Baptismatis pag. 350. habetur: *Ut in eam* (aquam) *redemptionis gratia, benedictio Jordanis mittatur, Dominum precemur*: ὑπερ τοῦ καταπεμφθῆναι αὐτῷ τὴν χάριν τῆς ἀπολυτρώσεως ἐυλογίαν τοῦ Ιορδάνε, τοῦ κυρίε δεηθῶμεν. Ubi male appositit Goarius particulam *ET*, quæ non apparet in Græco, ita, ut benedictio Jordanis sit ipsa gratia regenerans. Hinc additur, *Ut virtus purgativa superfubstantialis Trinitatis his aquis insideat*, ὑπερ τοῦ καταφοιτῆσαι τοῖς ὕδασι τούτοις τὴν καθαρτικὴν τῆς ὑπερουσίε τριάδος ἐνεργίαν. Pag. 353. *Da ei redemptionionis gratiam, Jordanis benedictionem*, Δὸς αὐτῷ τὴν χάριν λυτεσεως τὴν ἐυλογίαν τῷ Ιορδάνε: ac statim, *Fac illam incorruptionis fontem, sanitatis donum, solutionem peccatorum*, ποίησον αὐτὸ ἀφθαρσίας πηγὴν, ἁγιασμῶ δῶρον, ἁμαρτημάτων λυτήριον. In Ordine baptismi apud Aethiopes, Tom. iv. vet. Bibl. Patrum pag. 47. qui Ordo inscribitur Severo Patriarchæ Alexandrino, *O Deus, qui medio in Jordane baptizatus es à Joanne, & naturam aquarum sanctificasti, ad te accedo, miserere mei: multum lava me Deus, qui tanquam indigens baptizatus es in fluvio Jordanis, & sanctificasti nobis baptismum apud te.* Infra: *In baptismo suo sanctificavit nobis baptismum.* Vide & Jos. Vicecom. lib. 1. cap. xv. pag. 36. In benedictione, qua utitur Romana Ecclesia in Sabbatho sancto id utique non exprimitur; sed nota, Gulielmum Durandum in Rat. Divin. Offic. lib. vi. cap. 82. pag. 237. animadvertere ea verba, *Qui in te à Joanne baptizatus est*, olim proxima fuisse illis, *Qui te de paradisi fonte manare fecit*; cujus transpositionis hanc ille rationem reddit: *Quia gratia de paradiso manans aquis in baptismo est infusa unde de baptismi gratia Ecclesia profluens in quatuor partes orbis dilatata est, quod quodammodo factum est, quando Dominus baptizatus est à Joanne, quia tunc aquæ vim regenerativam susceperunt.* Postposita autem ea verba fuere, aut servata serie historiarum sanctarum, aut auctoritate libri Sacrament. Gregorii, Tom. iii. pag. 72. editique à Thomasio pag. 83. At de priori illa lect. etiam Prompt. Antiq. Liturg. Tom. iii. pag. 52. Vim ergo regenerativam in Jordane collatam aquis comprobant vetera quoque Ritualia.

4. IV. Posset & huc referri, quod in Ecclesiæ primordiis, tametsi aliquando tingerentur, ubi primum aqua occu-

occurrisset, ut de Eunucho Reginæ Candacis narratur Act. Apost. VIII. 36. præsertim tamen mysterium illud peragebatur *in fluviis*, ut ex Walfrido Strabone lib. de reb. Eccl. cap. 26. & Honorio Augustodunensi lib. 3. de Gemma animæ cap. 106. referunt Vicecomes lib. 1. cap. 4. Durantes lib. 1. cap. 19. Martene lib. 1. art. 2. in Operibus, quæ præclari hi viri de Antiquis Ecclesiæ ritibus ediderunt. Hujus autem rei causam producunt istam, quoniam, ut Walfridus inquit, *ipse Dominus noster Jesus Christus, ut in nobis idem consecraret lavacrum, in Jordane baptizatus est à Joanne.*

5. V. Nec tantum materia, etiam forma baptismi in Jordane designata est. *Apparet*, inquit August. Tract. VI. in Joannem n. 5. *manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In ista Trinitate missi sunt Apostoli.* Ante Augustinum Origenes Cat. Græc. pag. 45. Ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ πεφανέρωται τοῖς ἀνθρώποις ἡ τριάς· εἰ γὰρ ὁ πατὴρ ἐμαρτύρησε, καὶ ὁ υἱὸς ἦν ὁ μαρτυρούμενος, καὶ ὑποδεικνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πῶς οὐ τριὰς ἡ θεότης; videlicet, *In Jordanis fluvio manifestata est hominibus Trinitas. Si enim Pater testimonium dedit, & Filius fuit de quo testimonium est datum, & qui ipsum manifestavit, Spiritus sanctus; quomodo non Trinitas divina?* Ac in præcitato Aethiop. Ord. pag. 51. *Fons vitæ apertus est baptismus, & Pater, Filius, & Spiritus sanctus in sancta gratia sua. Pater qui clamavit, Hic est filius meus dilectus, & Filius qui inclinavit caput suum, & in eo baptizatus est, & Spiritus sanctitatis, qui in specie columbæ volans descendit, & sanctificata sunt flumina, & fontes omnes.*

6. VI. Denique & effectus Baptismi tunc innotuit, dum cœli aperti sunt, & Spiritus sanctus in columbæ specie descendit. Recte Ephrem Syrus volum. 2. Cat. Græc. pag. 85. *Aperiuntur autem cæli, quos clausit Adam & sibi, & posteris: quamobrem? ut dicas etiam te baptizato hoc fieri, Deo ad supernam patriam te vocante.* Ἀνοίγονται ὁ οὐρανοί, ὃς Ἀδὰμ ἔκλεισεν αὐτῷ τε καὶ τοῖς μετὰ αὐτόν. τίνος ἕνεκον; ἵνα μάθῃς, ὅτι καὶ σὲ βατιζομένῳ τοῦτο γίνεται πρὸς τὴν ἄνω πατρίδα τοῦ θεοῦ καλοῦντός σε. infra, *Super Jesum venit Spiritus, ut ostendat super omnes fideles dum baptizantur sese etiam venturum.* Ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν ἦλθε τὸ πνεῦμα, ἵνα δείξῃ ὅτι καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστοὺς μέλλει ἐπιφοιτᾶν βαπτιζομένους.

Oppones: Præmissæ thesi sacræ literæ, Patres, & ipsa ratio adversantur. Et sacræ quidem literæ, nam cum Christus in Jordane baptizatus est, baptisma servi suscepit, nulla *forma* verborum consecratum. Enimverò principio constat *formam* baptismi nostri institutam, cum Dominus mittens Apostolos ad prædicandum Matth. ult. inquit, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti* Deinde constat ante Christi ascensionem datum non fuisse Spiritum sanctum, Joan. VII. 39. Præterea falsum est ante passionem collatum fuisse baptisma Christi; nam à quo, & cui datum comminiscimur? A Christo? At ipse non baptizabat. Apostolis? Hi verò Spiritu sancto baptizandi erant post Christi discessum. Paulus insuper baptizatos nos docet *in morte Christi*, ad Rom. VI. 3. ideoque nemo ante Christi passionem, ipsius baptismate tinctus fuit. Ad hæc, si ante passionem institutum velimus, cur non subscribimus Estio, qui institutum arbitratur, dum Christus ait Nicodemo Joannis III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c?* Hæc enim verba de Baptismo Christi Patres omnes exponunt. Constat etiam ex Evangelica Hist. ibid. versu 22. post habitum colloquium cum Nicodemo, venisse Jesum in terram Judæam, & baptizasse, *velut procedens*, inquit Estius, *ad executionem institutionis factæ.* Hæc ex Scripturis. 4. Objicitur 1. ex Scripturis.

II. Quantum ad Patres attinet, Augustinus Tract. 120. in Joannem, num. 2. aliisque in locis ait Ecclesiæ Sacramenta profluxisse ex latere Christi, quando exivit inde *sanguis & aqua*, Joan. XIX. 3. Quomodo ergo fuerat antea Sacramentum aquæ, id est, Baptismatis? Antiquior Tertullianus de Baptis. cap. 11. scribit: *Itaque tinguebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Joannis.* In eadem sententia, nemine contradicente, sunt Chrysostomus Hom. XXVIII. in Joannem pag. 145. & ejus pedisequus Theophylactus in Evang. pag. 601. His connumerari potest Ambrosius scribens de Apostolis in Galilæa post Christi resurrectionem congregatis, lib. XIX. in Lucam num. 183. *Quibus docendi, & baptizandi tribuit potestatem.* Accedit Magnus Leo, qui Epistola IV. ad Episcopos per Siciliam constitutos, cap. 3. pag. 110. ait: *Posteaquam resurrexit à mortuis, discipulis* 2. Ex Patribus.

*suis, in quibus Præsules omnes Ecclesiarum docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes ergo, &c. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cæpisse.*

3. Ex ratione. III. His ratio suffragatur: Sacramenta enim suam ex Christi passione habent efficaciam, ideoque debent passionem illam supponere. Deinde Sacramentorum institutio legislatoris actus est: at in Jordane Christus non jurisdictionem exercuit, sed potius humilitatem. Denique, etsi detur in Jordane omnia, quæ in Christi baptismo peraguntur, præsignata fuisse, formam quoque, & effectum, id nequaquam sat est, ut illinc repetamus baptismatis institutionem: siquidem etiam Lucæ IX. in muliere peccatrice designatæ fuere partes omnes Sacramenti Pœnitentiæ, contritio in lacrymis, satisfactio in charitatis & humilitatis operibus, nec non *forma* in verbis à Christo prolatis, *Remittuntur tibi peccata tua*; & nihilo secius Sacramentum Pœnitentiæ juxta Tridentinum, sess. XIV. cap. I. fuit institutum, quando Christus post resurrectionem, Joann. XX. 22. in discipulos suos insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Igitur neque è signis, quæ apparuerunt in Jordane, rectè colligas tunc institutum fuisse baptismum.

5. Respondetur ad 1. His ad hunc respondeo modum. Ad primum dico ad institutionem Sacramenti necessarium non esse, ut dum instituitur, *forma* proferatur; sed sat est efficax determinatio, ut quando hæc materia cum tali verborum formula applicetur, vim habeat sanctificandi. Atque hinc Hugo Victorinus libro Erudit. Theologicæ Tract. V. ait in Jordane institutum baptismum, *quia ibi collata est aquæ illa efficacia, ut quicunque postea mergeretur in nomine Trinitatis: consequeretur benedictionem.* Utitur eadem ratione S. Thomas. Adde inverisimile nequaquam esse Christum in Jordane non solum accepisse baptismum, sed etiam baptizasse Joannem, & tunc consecratis aquis baptismum suum instituisse. Joanni quippe dicenti Mat. III. 14. *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* respondit Dominus, *Sine modo*; quasi diceret, Ego te consecratis aquis postmodum baptizabo. Certe à Domino baptizatum Joannem scribit præcitatus Nazianzenus: & Hieronymus in cap. III. Matth. Tom. IV. pag. 11. *Pulchrè dixit, Sine modo, ut ostenderet Christum in aqua; Joannem à Christo in spiritu baptizandum:* quæ verba accipi nequeunt de baptismate martyrii, quo postea Joannes baptizandus erat; hanc enim expositionem addit quoque Hieronymus, præmissa particula, *sive aliter*, qua innuit se aliquid novi dicturum. Ad hæc affirmo Christum occasione baptismatis sui, præsentibus discipulis *formam* tradidisse, qua ipsi tingerent, ad eamque comprobandam Patris testimonium, & speciem columbæ accessisse: nam id contigit Domino jam baptizato, & cum ascendisset de aqua, Matth. III. 16. & Lucæ III. 22., aut dum baptizaret Joannem, aut dum instituti à se baptismi rationem exponeret: atque idcirco Ambrosius lib. I. de Sacramentis cap. 5. num. 15. scribit Spiritum sanctum descendisse, *cum Dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret*, Tom. 2. pag. 352. Divinitus quoque revelatum fuit Sanctimoniali Ordinis nostri Veronicæ de Binasco, à Domino jam baptizato tinctum Joannem, Tom. 2. Bollan. pag. 908. Denique etsi in Jordane solus baptismus Joannis fuisset collatus, nullaque *forma* nostri baptismatis tradita; sufficit ad Sacramenti institutionem, ut *materia* determinata sit, & *forma* illa aperte commonstrata, quibus baptismus Christi esset suo tempore conferendus; unde S. P. Augustinus serm. 63. de diversis, nunc 51. cap. 23. num. 33. ait: *Et quamvis esset illud baptisma Joannis: in eo tamen sensibiliter apparuit Trinitas Patris & Filii & Spiritus sancti, qua consecratus est ipsius Christi baptismus, quo baptizandi erant futuri Christiani.* Ex his diluuntur facillime cætera. Quando enim Christus misit discipulos ad baptizandas gentes, non instituit baptismum, sed præcepit, ut jam instituto gentes initiarent, nec solis Judæis, verum etiam paganis cum cœlestem doctrinam, tum Sacramenta impertirentur. Spiritus sanctus visibili quidem specie super Apostolos in die Pentecostes descendit, sed ipsis, aliisque antea datus fuerat *invisibiliter*; & à quo jam acceperant sanctificationis gratiam, donati tunc fuerunt charismatum largitate. *Spiritus sanctus* (inquit Augustinus q. 62. inter LXXXIII.) *latenter dabatur ante Domini clarificationem, post manifestationem autem Divinitatis ejus manifestius*

*stius datus est. Et hoc dictum est, Spiritus autem nondum erat datus, id est, nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse fatentur: sicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, sed tamen clarificatio ejus æterna nunquam esse destitit.* Ibidem S. Pater demonstrat datum antea Spiritum sanctum Davidi, Elisabeth, Zachariæ, Annæ, Simeoni, productis Scripturarum testimoniis. Ante passionem verò baptismum Christi datum à discipulis, & quidem confluenti multitudini, quam ad Christum mittebat Præcursor, dictum est supra. Baptizabat ergo Dominus *præsentiâ majestatis:* propria autem manu non quemlibet indiscriminatim, nonnullos tantum, Joannem nempe, ac Petrum, nec non Virginem matrem, quam à Domino baptizatam narrat citato loco Euthymius ex veterum traditione. Ab Apostolo autem baptizati dicimur *in mortè Christi*, quoniam per gratiam *in novitate vitæ* ambulamus, sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: quem sensum tradit ibidem Paulus, explanatque Augustinus cap. LI. num. 14. Enchiridii. At argumentum Estii nullius est roboris; siquidem illis verbis, *Nisi quis renatus, &c.* non exprimitur institutio baptismatis, sed necessitas: quemadmodum iis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, Joan. VI. 54. necessitas quidem probatur, at non institutio Eucharistiæ. Hæc ad argumenta producta 1. num.

Ad 2. Ad ea, quæ urgentur ex Patribus, sic respondemus. Non oportet, ut ad confirmandam opinionem Scholæ, suffragium afferat traditio universa: sufficit, si innixa ea sit plurium auctoritati. Tertullianus præterea, Chrysostomus, ac Theophylactus ducuntur momento illo, quòd nondum datus esset Spiritus sanctus, quod ex dictis obviam habet solutionem. Ex horum quoque Patrum testimoniis sequeretur, nec in Jordane, neque ullo ante adventum Spiritus sancti tempore Sacramenta ulla fuisse efficacia, nec Eucharistiam in ultima Cœna institutam tribuisse spiritalis gratiæ ubertatem. Jure ergo præferimus Augustini, aliorumque sententiam, satis operâ etiam nostrâ communitam. Nam quod S. Pater ait Sacramenta promanasse de Christi latere, illud de merito & efficacia accipiendum est, non de Sacramentorum institutione; alioqui tunc instituta quoque fuissent Eucharistia. At Ambrosius jure dixit *potestatem baptizandi*; aliud est enim baptismi institutio, aliud mandatum, præscriptio, intimatio, quæ duo optimè distinguit S. Thomas. Etiam verba Leonis Magni referri debent ad mandatum & publicam baptismi promulgationem: etenim seq. num. 6. inquit de Christo, *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis.* Si tunc, quomodo postea? In Jordane instituit, in cruce confirmavit, ascensurus in cœlum generali intimatione præscripsit ipsius regenerationis lavacrum.

Ad 3. Postremas argumentationes ita infringam. Ut baptismus vim suam atque energiam habeat à passione Christi, sat est si eadem passio prævisa fuerit. Ad institutionem verò requiri actum Legislatoris negant permulti: addit D. Thomas Christum, dum baptisma suscepit, implesse munus Legislatoris, quoniam inchoavit ea, quæ sunt novæ legis. At ego repono non ideo Christum instituisse baptismum in Jordane, quia à Joanne baptizatus est, sed quia dum baptizatus est tribuit aquis vim regenerativam: quod nego humilitatis tantum, non etiam auctoritatis ac potestatis fuisse exercitium. Ad ultimum fateor non omnem *materiæ* ac *formæ* designationem sufficere ad institutionem Sacramenti; necessaria est enim materiæ determinatio, & consecratio per verba, quæ sensibili signo vim tribuant producendi gratiam; quam vim Christus in domo Pharisæi accumbens nulli dedit, sed ipse divina potestate peccata pœnitentis mulieris absterfit. Accedit hanc esse inter baptismum, & pœnitentiæ Sacramentum differentiam, quod in baptismo in neminem exercetur *Judicium*; in pœnitentia autem pœnitentes *per Sacerdotum sententiam* ab admissis peccatis absolvuntur, ut sequenti cap. 2. eadem sessione XIV. docet Synodus Tridentina. Quare merito Pœnitentiæ Sacramentum *præcipuè* institutum dicitur, cum Dominus à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens, *Accipitè, &c.* quoniam *tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit*, inquit eadem Synodus Oecumenica.

Prop-

PROPOSITIO II. Quamvis baptismus ante mortem Christi fuerit institutus, præceptum tamen illum suscipiendi non obstrinxit, *saltem generaliter*, ante Evangelicæ legis promulgationem.

6. Propositio 2. Ante promulgatum Evangelium non erat obligatio baptismi, *saltem generaliter*. Prob. præcipuè ex S. Bernardo.

Pertractat hanc quæstionem S. Bernardus epist. 77. ad Hugonem, nunc inter Tractatus Tom. IV. pag. 118. ubi primum ostendit esse à ratione alienam opinionem Hugonis Earsiti asserentis neminem ullatenus potuisse salvari absque baptismo, ex quo primum dictum à Domino legimus, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Hæc verò argumenta, Bernardus affert. Primò *durum nimis austerumque videtur, ut verbum adhuc absconditum palam jam noceat.* At prædicta Domini verba privatim uni Nicodemo dicta fuerant, qui etiam nocte ad Jesum venerat, Joan. III. 2. Deinde baptismus est Sacramentum fidei: *Fidem verò necesse est, ut auditus præcedat, dicente Apostolo, Ergo fides ex auditu*, ad Rom. X. 17. Præterea non defuerunt *alia præter baptismum contra originale peccatum remedia, ut circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum:* quod non subito evanuit, sed cum super tecta clamatum fuit, *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, ad Galat. V. 2. Concludit Bernardus seq. cap. 2. baptismi obligationem cœpisse primum post sufficientem ejus promulgationem: *Ex eo tempore tantum* (inquit) *cuique cœpit antiqua observatio non valere, & non baptizatus quisque novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam*; affirmatque parvulis, & necdum ratione utentibus, quibus sola nocere creditur peccati contagio, *tamdiu antiqua valuisse Sacramenta, quamdiu palam interdicta non fuisse constiterit.* Hæc Bernardus: cujus sententiam amplexatus est Hugo Victorinus, Scotus, Estius, Turnely, aliique complures. Legi poterunt Mastrius quæst. 1. de Baptis. inst. art. 2. & Frassen q. 2. art. 1. concl. ult. Subscribo huic sententiæ, tum ob propositiones à D. Bernardo productas; tum ob doctrinam Trident. Concilii sess. VI. cap. 4. docentis translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum, fieri non posse sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, *post Evangelium promulgatum*; atque huc referentis quod scriptum est, *Nisi quis renatus fuerit*, &c.

7. Juxta quosdam Thomistas sufficit privata notitia.

Thomistarum tamen permulti, Soto, Medina, Gonet, Gotti, alii tenent obligationem baptismi statim cœpisse post resurrectionem, quod probant, quoniam Christus Matth. ult. 19. legem baptismi promulgavit discipulis, ideoque ex eo tempore cœpit lex baptismi obligare, inquit Gonet disp. 1. §. 4. & Cardin. Gotti quæst. III. dub. 2. num. 7. Deinde inquiunt ex Apostolo ad Hebr. VII. 12. *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat;* unde Augustinus, ac Hieronymus, quamvis dissentirent de observatione Legalium, ambo tamen illa extincta & mortua fatebantur. Id etiam probant ex quo in cruce omnia fuerint consummata; ideoque Christus clamavit, Joan. XIX. 30. *Consummatum est.* Denique ajunt promulgationem legis necessariam quidem esse, ne excusationem valeant prætexere qui ipsam legem *invincibiliter* ignorant: sed tamen qui latam norunt à principe, & promulgatam in aula, tenentur eidem obtemperare.

8. Auctor subscribit ex parte Thomistis, & ideò dixit *saltem generaliter.*

Quamquam his plura reponit Mastrius art. 3. non mihi talia videntur, quæ jure assertioni nostræ opponantur: siquidem nec Thomistæ negant necessariam notitiam legis, ut alios obstringat. Quemadmodum ergo nos assentimur Scotistis, & necessariam fatemur legis promulgationem, ut obliget omnes universim; ita Thomistis concedimus sufficere privatam notitiam, ut nequeat ignorantia excusare eos, qui *voluntariè* contemnunt remedia salutis. Non enim aliud docet citata Epistola D. Bernardus, ubi testatur ideo non obligasse legem baptismi ante promulgationem, *quia tale hoc inquisitum humano non poterat addisci magisterio*, neque hujusmodi ignorantia erat quæ non habet excusationem, qua scilicet *scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut verecundiâ inquirendi.* Si quis ergo ante publicam Evangelii promulgationem sciisset quæ tacitè Christus docuerat Nicodemum, nec ignorasset extinctam in Christi morte legem circumcisionis; is quo remedio aut sibi, aut parvulo originali culpa obstricto consuluisset? ex qua ignorantia habuisset excusationem? Eam ob rem consultò propositioni particulas illas affixi, *saltem generaliter.*

Ex

Ex adductis tamen Thomistarum probationibus non videntur singulæ ineluctabiles. Siquidem ea verba, *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.*, si postremum Matthæi caput conferatur cum ultimo Marci, dicta videntur non statim post Domini resurrectionem, sed eum ascensurus esset ad Patrem. E contra verba illa, *Consummatum est*, protulit Christus in ultima vitæ periodo; unde ante Resurrectionem, ac in triduo mortis cœpisse obligationem baptismi tenent quidam D. Thomæ discipuli, ut testatur Petrus de Cabrera Tom. 3. p. 972. Vide nostram de Legalium fine dissertationem lib. xx. cap. 10.

# CAPUT IV.

## De Aquæ elemento, id est, de materia Baptismi.

### *SUMMARIUM.*

1. Referuntur hæreticorum errores.
2. 3. 4. 5. Varii adhuc aliorum errores.
6. Sola aqua naturalis est materia baptismi.
7. 8. 9. 10. Enodantur objectiones.
11. Usus consecrandi aquam baptismalem est pervetustus.

1. Referuntur multorum hæreticorum errores circa materiam.

MOdo de Baptismi *materia*: circa quam erraverunt quamplurimi. At missis iis, qui negarunt Sacramenta quælibet sensibilia, Gnosticis, de quibus Irenæas lib. 1. cap. 18. nunc 21. num. 4. Ascodrupitis, & Archonticis, de quibus Theodoretus lib. 1. Hæret. fabul. cap. 10. & 11. tom. IV. pag. 201. Cajanis, de quibus Tertullianus de Baptis. cap. 1. atque aliis quibusdam, qui superbo cognomine *Spirituales* sunt appellati; his inquam missis, baptismum in aqua repudiarunt Manichæi, autumantes elementum illud à principio malo productum, apud Augustinum de Hæres. cap. 46. His Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 2. accenset Paulicianos, qui in Sacramentis res materiales aversabantur, eo quod Dominus dixerit in Evangelio, *Ego sum aqua viva*, ex Euthymio p. 2. Panopliæ cap. 21. Opponit vir acerrimi ingenii Honoratus Tournnly quæst. 1. art. 2. hujusmodi hæreticos errasse circa baptismi efficaciam, non circa *materiam*, cum eo loci Euthymius scribat, *Illi infantes suos presbyteris baptizandos offerunt*. At Tournelius fallitur. Scribens enim eo in loco Euthymius, *Evangelii verba baptismum existimant*, demonstrat Paulicianos aquæ elementum substulisse, & Sacramentum perfecisse *sola pronuntiatione verborum*, ut Bellarminus ait, & cum ipso Vasquez disput. 141. c. 1. Juenin. q. 3. cap. 1. Auctor Op. de Re Sacram. q. 2. cap. 1. necnon Vossius disp. 1. th. 2. Deinde cum Pauliciani Manichæi essent, non potuerunt in Sacramento adhibere *aquam*, quam putabant à malo principio conditam: quare illos paullo post Euthymius refellit, scribens: *Quomodo in re à malo confecta boni ille patris filius bonus baptizatus inde ascendit,?* Probat etiam infra Damasceni, Basilii, aliorumque adductis testimoniis, non solum *spiritu*, verum etiam *aqua* homines baptizandos, cum constent animo, & corpore, quorum istud sub aspectum cadit, alter non cadit: atque hæc ad refellendos Paulicianos ineptè dicerentur, si *aquam* adhibuissent. De pueris autem Euthymius ait, *Liberos etiam suos ab Ecclesiæ presbyteris salutari baptismo volunt aliquando lustrari*, non quod Pauliciani baptismum ipsum probarent, sed ut adjumentum afferrent corporibus, quemadmodum, inquit: *Salutarem crucem ex ligno confectam sibi ipsis imponunt, deinde si convaluerint, eam perfringunt, aut conculcant.*

2. Item aliorum hæreticorum ponentium pro materia baptismi, *Ignem.*

Præter istos materiam baptismi esse *aquam* negarunt apud Augustinum de Hæresib. cap. 5. Seleuciani, vel Hermiani. Quidam censent hos pro aqua posuisse *ignem*, ductos Joannis verbis de Christo: *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igni.* Ita Estius dist. 3. § 7. & Alphonsus de Castro lib. 1. adversus Hæreses, & Cardinalis Gotti q. 1. dub. 3. Incertum tamen, an hi ignem adhibuerint, scribunt Vasquez, ac Tournelius citato loco. Ex Augustino quidem id unum infertur, hæreticos illos non accepisse *baptismum in aqua*: & hoc tantum colligi ex Philastrio censent Gotfridus Olearius in dissert. de Baptismo, & in notis ad Philastrium Galeardus. S. Philastrii hæc sunt verba, pag. 40. *Animas hominum de igne, & spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptista, Ipse vos baptizabit in spiritu, & igne.* Videtur mihi Tournelius Vasquesio. & Galeardus Oleario nimium fidere.

fidere. Philastrius enim scribens: *Isto baptismo non utuntur*, & causam afferens, *propter verbum hoc, quod dixit Joannes*, alium baptismum, ideſt, *ignis*, significat, præsertim quod Seleuciani animas hominum *in igne & spiritu* constituentes, facile poterant credere latitantes illas in corpore purgari igne, & quodammodo instaurari. In Anathematismis, quos olim resilientes ab hæresi Manichæorum, Ecclesiæ tenebantur offerre, memoratur & Hermas; & dicitur anathema iis, *qui rejiciunt salutarem baptismum, umbelicis autem infantium combustis utuntur ad animarum purificationem.* Vide Tom. 1. Patrum Apost. pag. 539.

3. Item. Quidquid sit de his hæreticis, *ignem* in baptismo complures adhibuisse compertum est: ac primum eo usi sunt nonnulli hæretici, qui jactabant, statim ac in fontem descenderent, super aquam ipsum ignem apparere, eoque baptizatos habere *integrum perfectumque lavacrum*, non, sicut nos, decurtatum & mutilum. Meminit horum hæreticorum Anonymus Scriptor de Baptismo Tom. 1. Concil. pag. 783. & Martene de Ritib. baptismi lib. 1. art. XIV. Affricant permulti, etiam Bellarminus, & Turnelius, errorem hunc Jacobitis præsertim Coptis, ex Bernardo Lutzemburgensi in Catalogo Hæret., addunt quidam & Æthiopes. Sed primùm dici potest veterum nonnullos *ignem* adhibuisse, non tanquam materiam baptismi, sed veluti signum effectus, quemadmodum mel, lac, vinum, ut nititur demonstrare Hugo Grotius in cap. III. Matth. Deinde Æthiopes baptizare *aqua* constat ex Ord. Baptismi secundum illorum usum Tom. XXVII. Bibl. PP. p. 642. Idem eruitur ex relatione Damiani à Goes Tom. II. Hisp. illustratæ. Æthiopes præterea ajunt accepisse se baptismi ritum ab Eunucho Reginæ Candacis, quem appellant Indich, & quem baptizatum aqua legitur Act. VIII. De Jacobitis major suspitio est, quod iis tribuat causticum baptismum etiam Jacobus de Viatriaco cap. 76. Hist. Orientalis, Marinus, Sanutus, Matthæus Parisius, & alii citati pag. 130. à Sollerio: sed nota, ibidem Vitriacum ipsum testari se ab incolis accepisse, ignitas cruces à se brachiis inuri, *ad paganorum distinctionem, & ob sanctæ Crucis reverentiam:* istud vero aut consimile signum etiam hodierni Copti in brachiis ostentant, quos tamen certum est baptismali cauterizatione non uti. Ludulphus lib. III. Hist. Æth. cap. 6. n. 41. fabulam illam extundit testimonio Gregorii Habessini: atque his monemur, ne singulis auctoribus fidem adhibeamus. De Catharis exortis sæculo duodecimo, assentimur Egberto Bunnensi serm. VIII. Tom. XXIII. Bibl. Patrum, pag. 615. nam & antiquiores Messalini, quorum illi germen sunt, apud Theodoretum lib. IV. H. Fab. cap 11. repudiabant *aquæ lavacrum*, ex Manetis utrique propagine. Ex hoc Theodoreti loco infertur Hermam, unde Hermiani, fuisse antesignanum Messalianorum, ex quibus Cathari: si ergo hi ex Eckberto baptizabant *igne*, idem censendum est de Hermianis. Atque id comprobat quæ supra diximus.

4. Oleum. Vinum. Cerevisiam &c. Fuerunt, qui non per aquam baptizarent, sed per *oleum*, de quibus citato loco ex Thuribio Asturicensi Edmundus Martene: quidam alii, ut refert Egbertus Eboracensis in Excerpt. cap. 42. aquæ commiscendum *vinum* existimarunt. Nonnulli sedente Stephano III. puerum in solo vino baptizarunt: quidam alii Gregorio IX. Pontifice Maximo, cum deesset aqua, baptizarunt *cerevisia*. Baptizandum vino, aut quovis alio liquore, si nullo modo aqua haberi possit, tenuit etiam Beza Epist. 2. ad Thomam Tilium. Memoria autem fefellit eundem Bezam, ibidem scribentem non aliter sentire Scholasticos; quod notat etiam Vossius disput. 1. Th. 5. Lutherus in Colloquiis Symposiacis, id est, convivalibus, cap. 7. pariter asseruit sufficere ad baptismum *quidquid loco balnei esse potest.* Videtur habere originem error iste, ex quo valeat excitare fidem quidquid habet cum ablutione per Christi sanguinem facta, aliquam *analogiam.* Hinc opinionem illam adoptarunt Novatorum complures. Hi cum necessitate aquæ negant ejusdem consecrationem, quam Calvinus lib. IV. Instit. cap. XV. 19. ait appellandam potius *incantationem*, Tilmanus Heshusius in Errorib. Papist. num. 27. *manifestam magiam*, & Magdeburg. cent. 2. cap. 2. *alicujus Pontificis Ethnici* inventum: quod & de aliis aquæ benedictionibus tradunt. Duo sunt itaque hoc loco demonstranda; primum baptismatis materiam esse aquam, & quidem naturalem ac veram: alterum recte, & ex antiquorum præscripto baptismalem aquam solemni benedictione rituque consecrari.

5. Propositio I. Sola aqua naturalis est materia baptismi. Prob. 1. per Symbola. PROPOSITIO I. Sola naturalis aqua Sacramenti baptismatis materia est.

Id primo evincunt præclara baptismatis symbola, in quibus præsignatam Spiritus sancti energiam Sacramento collatam agnoverunt eximii Patres Ecclesiæ. Ambrosius enim de

de Mysteriis cap. 3. Tom. 2. pag. 328. prænuntiatam operationem divinitatis elemento aquæ insidentem ostendit à mundi origine, cum Spiritus Domini ferebatur super aquas Gen. 1. 2. Addit diluvium, quo terra à carnali immunditia purgata fuit, Noe receptum in arcam, columbam dimissam, & cum oleæ ramo reversam, Gen. VII. & VIII. Profert & figuram baptismatis expressam in mari, & in nube, testimonio Apostoli confirmatam, 1. ad Corinth. x. 2. Addit fontem Mara immisso ligno figura Crucis factum dulcem, ac Naamanum Syrum in Jordane mundatum à lepra. Agit proximo capite de piscina Siloe, in quam descendebat cælestis Angelus. Hæc omnia fusiori stylo prosequitur lib. 1. de Sacramentis, & sequenti. Eadem profert S. Hieronymus Epist. 82. ad Oceanum Tom. IV. pag. 650. exemplis allatis aliis, firmamenti quod ex aquis sortitur vocabulum, pennatorum, quæ de aquis egressa ad cœlum levantur, puteorum, quos repugnantibus Allophylis foderunt Abraham & Isaac, fontium, à quibus Bersabee civitas, regnumque Salomonis nomen sumpsit, adinventæ prope aquas Rebeccæ, salutatæ ibidem Rachelis, vindicatarum à Moyse filiarum Sacerdotis Madian. Producit & Præcursoris baptismum juxta Salim, primum Christi signum patratum ex aquis, Samaritanæ vocationem ad puteum, & fusam è Christi latere aquam. Nec aliter Augustinus lib. 2. ad Simpl. num. 5. lib. XII. contra Faustum cap. 15. & 16. aliisque in locis. Nec dicas Augustinum appellare figuram baptismatis etiam Circumcisionem lib. VI. contra Jul. cap. VII. num. 18. hæc enim non materiæ Sacramenti figura erat, sed effectus, quatenus præsignabat *expoliationem corporis carnis.*

2. Ex Testamento Vet.

II. Hieronymus præcitato loco de gratia, quæ confertur baptismate aquæ, docet accipienda veteris testamenti loca, Ps. 28. 3. *Vox Domini super aquas, Dominus super aquas multas.* Cant. IV. 2. *Greges tonsarum, quæ adscenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus.* Ezech. XXXVI. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, &c.*

3. Ex novo.

III. Aperta sunt novi Testamenti loca Joannis III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Act. VIII. 36. *Venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Ad Ephes. V. 26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* In quibus verbis animadvertendum est præter occultam conscientiæ emundationem, præter vim verborum, & Spiritus sancti virtutem, expresse designari sensibile *aquæ* elementum, ut demonstravi primo capite adversus Socinum, confirmatque tam verborum distinctio, quam praxis sanctorum Apostolorum. Apposite Augustinus Tract. XV. in Joannem num. 4. *Sed forte ait aliquis, Baptizat quidem Christus in Spiritu, non in corpore. Quasi vero alterius dono, quam illius, quisquam & Sacramento corporalis & visibilis baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundans eam. Unde? Lavacro aquæ in verbo. Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus.*

4. Ex definitionibus Ecclesiæ.

IV. Extant præterea de materia baptismi definitiones Ecclesiæ. Gregorius IX. anno 1241. in rescripto ad Archiepiscopum Nidrosiensem de baptizantibus in Norvergia ob aquæ penuriam cervisia, apud Raynaldum ad hunc annum, ait: *Cum sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in cervisia baptizari. tibi tenore præsentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati qui in cervisia baptizantur.* Florentinum Concilium in Instruct. Armenorum, *Materia*, inquit, *hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis.* Ac Tridentinum sess. VII. can. 2. *Si quis dixerit aquam, veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini JEsu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

5. Ex Patribus.

V. Docent hoc idem Patres. Tertullianus de Bap. cap. 1. Cajanos aquæ baptismum abjicientes comparat aspidibus, reguliscque serpentum, *qui arida & inaquosa sectantur. Sed nos*, ait, *secundum ἰχθὺν nostrum JEsum Christum pisciculi in aqua nascimur.* Vocabulum, ἰχθὺς, *pisces*, revocat in memoriam nostram, quod scribit Augustinus lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 23. Sibyllam Erythræam Acrostichidem de Christo JEsu conscripsisse *in capitibus versuum ordinem literarum ita habentem*, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ. *quod est Latine JEsus Christus*

*DEI filius Salvator.* Refert ibidem Augustinus Sibyllina carmina latinitate donata, & Græce Vives in Comment. ex Eusebio aliquantulum tamen errata: quare adeas Sibyllas Opsopœi pag. 380. *Horum autem Græcorum quinque verborum*, inquit ibidem Augustinus, quæ sunt, Ιησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, *si primas literas jungas erit* ΙΧΘΥΣ, *id est, piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus.* Vide & Optatum lib. III. de Schis. Donatist. pag. 52. & Panvinium de Sibyllis. At hæc ad intelligentiam potius textus Tertulliani, quam ad materiam baptismatis. Hanc esse omnem aquam naturalem, ejusdemque speciei cum producta initio creatarum rerum, asserit cap. 4. idem Tertullianus. *Nemo dicat*, inquit, *nunquid ipsis enim aquis tingimur quæ tunc in primordio fuerunt? Non utique ipsis nisi ex parte, quod genus quidem unum, species vero complures; quod autem generi attributum est, etiam in species redundat: ideoque nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo abluatur.* Exscribere aliorum testimonia in re notissima, necessum non est.

6. Ex ratione congrua.

VI. Etsi vero in his, quæ divinam habent institutionem, investigemus non oportet rationem humanam; videtur tamen non potuisse determinari pro Sacramento regenerationis materiam faciliorem, magisque congruam. Repetit S. Thomas congruentiam istam 3. p. q. 66. art. 3. ex rerum seminio, quod philosophi quidam posuerunt *aquam.* Gratulamur hoc in loco, Doctorem Angelicum recurrere ad principium universale, quod nos statuimus lib. XI. cap. 3. Legimus Gen. 1. 3. Spiritum incubasse aquis; ac de Baptismo Tertull. cap. 3. ait: *Primus liquor quod viveret edidit: ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt.* Lege Orat. habitam in Trident. Concilio à Joanne Villetano Tom. XIV. pag. 1627. Addit S. Thomas symbolum internæ ablutionis, & recte ob scripturæ loca num. 2. producta. Ambrosiaster Interpres Pauli in VI. caput ad Rom. pag. 59. App. scribit: *Ideo per aquam celebratur, ut sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos & innovatos credamus.* Tertio loco addit Angelicus mysteria passionis Christi: hujusque causæ rationem profert Chrysostomus Hom. X. in Paulum pag. 103. quoniam, *quod Christo crux & sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non iisdem rebus: ille enim carni & mortuus & sepultus est, nos autem peccato utrumque.* ὅπερ οὖν ὁ σταυρὸς τοῦ χριστοῦ καὶ ὁ τάφος, τοῦτο ἡμῖν τὸ βάπτισμα γέγονεν, εἰ καὶ μὴ ἐπὶ τῶν αὐτῶν. αὐτὸς μὲν γὰρ σαρκὶ καὶ ἀπέθανε καὶ ἐτάφη, ἡμεῖς δὲ ἁμαρτίᾳ ἀμφότερα. Accedit *aquam* esse passionum typum, ut dixi cap. 1. Hinc S. Cyrillus Hierosolymit. Cathechesi 2. Mystagogica pag. 521. baptismum appellat *eorum, quæ Christus perpessus est, similitudinem,* τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων ἀντίτυπον. Assignat S. Thomas & aquæ *communitatem;* nempe congruebat Sacramento apprime necessario materies ubique obvia & facillima. Vide Catech. Romanum P. 2. de Baptismo num. 10. Affert rationes alias Estius dist. 3. §. 8. sed præcipuas jam tenes.

7. Ex refutatione Baptismi *Caustici.*

VII. Cum præter baptisma *aquæ* Matt. III. & Lucæ III. fiat mentio baptismi *ignis;* illud tandem ostendam, quàm inscite usi quidam fuerunt baptismo caustico. Ac primò hujus internecivi baptismatis apud nullos veterum extat vestigium, nisi in conficto libro, qui inscribitur *Prædicatio Pauli:* in quo libro absurda multa congesta narrat prælaudatus Scriptor Anonymus inter Opera Cypriani. Hujusmodi sunt, Christum propria peccata confessum, pene invitum compulsum à matre ad accipiendum Joannis baptismum, ignem in Jordane super aquam delapsum, ac Petrum & Paulum in urbe Roma primum sibi invicem fuisse cognitos. Eckbertus autem serm. VIII. adversus Catharos narrat horum antesignanos Arnoldum & Theodoricum, qui studuerunt exinanire baptismum aquæ constitutum à Domino, ipso igne, quo unus Coloniæ, alter Bunnæ baptizari voluit, miserrime absumptos; ideoq; *justissimo judicio factum est, ut sic in igne baptizarentur, ut ab eo irrevocabiliter devorarentur.* Quod legitur denique in Evangelio, *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igni.* aut metaphorice, aut literaliter accipere volumus. Si primum, *ignis* significat *Spiritus sancti virtutem*, ut inquit præcitatus scriptor Anonymus: si alterum dicis, non ad lavacrum regenerationis hæc verba referenda sunt, sed vel ad effusionem Spiritus sancti super Apostolos, vel ad postremam mundi conflagrationem, & purgationem, quod supra demonstravi cap. 2. Scripturarum contextu, & testimoniis Sanctorum. Adeas, plura si cupias, Chrysostomum Hom. XI. in Matt. pag. 104. Cyrillum Catech. XVII. pag. 439. Theophylactum in Lucam pag. 325. & ex Latinis Hieronymum in Matt. Tom. IV. pag. 11.

Cor-

7. Objectio prima.

Corruunt ex dictis omnia adversantium objecta. Ac primò opponunt locum, de quo modo disserui. Deinde objiciunt qui aquam & materiam excludunt omnem, verba Joannis, *Ego baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto:* quo in loco videtur antithesis demonstrare lavacrum Joannis corporeum esse, baptismum Christi spiritualem. Solutio. Sed liquet ex cap. 2. id verum esse, si accipiatur de effectu; secus, si fiat sermo de *materia*, quam necessariam ad Sacramentum regenerationis commonstrant cùm alia Scripturæ loca, tum ratio Sacramenti, quæ in signo sensibili sita est. Innuit vero Joannes quantum suum à Christi baptismate differat; cum illud aquâ corpus abluat, istud vero Spiritus largitate sanctificet animam.

8. Objectio 2da.

Objiciunt & cavillulum alterum, Joan. III. 5. ea verba, *Ex aqua & Spiritu sancto*, idem sonare, atque ex spiritu aqueo, quod supra diximus esse excogitatum à Grotio. Solutio. Verum si id accipias de Spiritus sancti energia, quæ insit aquis, gratanter concedimus; si de spiritali baptismo prorsus invisibili, rejicimus inter hominum commenta. Ipse enim textus, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ex *aqua & Spiritu sancto*, quemadmodum & alii præcitati, utrumque ponit, aquam, & spiritum. At inquis, Grotius hìc unum spiritum intelligi firmis argumentis confirmat. Ait Christum dedisse operam, ne diutius Nicodemus allegoricæ locutionis ignorantiâ nutaret: Matth. III. 11. per verba *in spiritu & igne*, significari ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo, spiritum igneum:* ita Act. XVII. 25. ζωὴ καὶ πνοὴ, *vita & inspiratio*, idem esse ac πνοὴ ζωῆς, *inspiratio vitæ:* ad Coloss. II. 8. διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, *per philosophiam & inanem fallaciam*, idem sonare, ac *per inanes fallacias philosophiæ:* Matth. IV. 16. Ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, *in regione umbræ mortis.* Me non latet Grotium hæc omnia proferre ad demonstrandum aquam esse symbolum Spiritus sancti, non ad excludendum sensibile Sacramentum, sed quoniam incaute plura è Socinianis ebibens, incaute etiam evomuit; dicimus nihil nobis esse negotii cum Grotio, quem ad ejus adoratores refellendos, non ad instruendos Catholicos interdum laudavimus. Sane hæc argumenta contra jaculatores intorquentur. Si enim Nicodemus allegorico sermone decipiebatur: cur Dominus iterum aquæ allegoriam obtrusit? At constat ex sola lectione illius capitis, Nicodemum hæsitasse ad Christi sententiam: *Nisi quis renatus fuerit*, eam intelligendo de renascentia carnali: ac Dominum respondisse de alia longe dispari se loqui, de ea nimirum, qua homo renascitur *ex aqua & Spiritu sancto.* Cumque & ista nondum Israelita satis perciperet, addidit Christus se de cælestibus loqui, & posse Spiritum, qui ubi vult spirat, etiam per aquam hominem regenerare. Quid his mysteriis erat opus, nisi de aquæ baptismate Dominus pertractasset? Sat erat reponere: *Solo Spiritu homo regeneratur.* Sed vide Augustinum Tract. XI. in Joan. n. 6. Exempla allata aquam non excludunt, sed comprobant. Locis enim illis receptis, ad hunc modum ratiocinabor: Quid est inspiratio vitæ? vita sensibili inspiratione collata. Quid vero fallacia inanis philosophiæ? latens in syllogismis philosophorum deceptio. At quid regio umbræ mortis? habitans in sceleroſis factis exitium. Ita per *spiritum aqueum*, si ita fas sit efferre, intelligo spiritum occulta energia operantem in aquis; præsertim cum has ad peccatorum remissionem Apostolos adhibuisse divina tradant eloquia. Cæterum baptismum constare extrinseca quoque ablutione, ostendimus priori capite adversus Socinianos.

9. Object. 3tia.

Præter hæc objicies: Joannes Moscus, cognomento Eviratus, in Prato spirituali cap. 176. Tom. 2. vet. Bib. PP. refert Judæum quemdam in deserto vehementi febre correptum, & præ solis æstu ardore, ac siti fere resolutum, ab itineris comitibus postulasse baptismum; cumque deesset aqua, baptizatum arena ter super eum injecta, ac ita regeneratum *in nomine Trinitatis*, impositio ei nomine Theodori: subitò vero virtute baptismi convaluisse, quod ejus validitatis indicium est. Narrat consimile factum Nicephorus lib. III. cap. 37. etsi uterum, idemque censent plurimi: at illud contigit sub Aurelio Antonino, Dionysio Episcopo Ascalonita; istud Dionysio Episcopo Alexandrino, sub imperio Philippi ad Episcopatum evecto.

Resp. ex utraque Mosci, & Nicephori narratione probari oppositum. Responsio. Moscus enim refert Judæum illum repente quidem sanatum ob ardentissimum baptismatis desiderium, sed cum perveniisset ad urbem Ascalonem, *Visum beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Jordanem, ibique baptizari.* Nicephorus pariter, *Postquam autem domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt. Ille vero admiratione stupens Ecclesiam consuluit, cui visum est aqua insuper ad eum modum initiatum juxta Ecclesiæ tra-*

*ditionem abluendum esse.* Quantum ad Historiam attinet, arbitror & ego à Mosco & Nicephoro narrari factum idem, & hunc errasse circa Dionysii personam. Primo quia circumstantiæ utriusque narrationis cohærent, adolescentis Judæi, deserti loci, repentinæ oppressionis, ingestæ arenæ, restitutæ salutis, ac nominis Dionysii. Deinde quia Nicephorus scribit id contigisse Marco Aurelio Antonino, quo imperante fuerunt Episcopi Alexandrini Celadion, & Agrippinus, non Dionysius; quare si ad tempora Marci Aurelii hæc historia esset referenda, contigisset sub Dionysio Episcopo Corinthiorum, ut visum Baronio ad an. 181. num. 2. Floruit enim Dionysius Corinthius juxta Chron. Eusebii pag. 170. Marco Antonino imperante. Denique Moscus ait id narratum *Alexandriæ ab Andrea Abbate:* quod causam prodit, cur Nicephorus pro Dionysio Ascalonita scripserit *Alexandrinum.*

10. Objectio 4ta. Denique objiciunt qui probant vinarium baptismum, sat esse ad Sacramenti materiam *analogiam* cum ablutione animarum, quæ analogia inest cuique liquori, vino præsertim, quo vulnera absterguntur & sanantur. Addunt rescriptum Stephani III. qui de Presbytero, à quo baptizatus fuerat infans vino, ait: *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo.*

Responsio. Resp. materiam Sacramenti non solum habere *analogiam* cum re quam significat, sed etiam divinam institutionem: cum Sacramentum *sit signum divinitus institutum:* non enim penes hominem est sensibili signo efficaciam gratiæ alligare, imo nec immutare *sigillum*, quo nomine Novatores insignivunt Sacramentum. Quis enim, nisi falsarius, pro sigillo Principis aliquid signaculo alio firmaret? Vide præced. libri cap. 1. Ad rescriptum Stephani varia adhibentur responsa. Nat. Alex. sæc. VIII. cap. 1. art. 6. ait sic habere quidem editionem Sirmondi, sed istic mendum cubare. Tom. VI. Conciliorum pag. 1652. annotatur, ibi à librario *glossema temere intrusum*, quo deleto absolvitur quidem presbyter ab excommunicatione, sed non probatur baptisma: nonnulli tribuunt ea responsa, non Romano Pontifici, sed Stephano Tornacensi. Sirmondus denique, qui primus hæc edidit ex MS. Laudunensi, animadvertit eadem responsa privatim data Monachis Britaniacensibus, cum idem Codex habeat in fine, *Expliciunt quæ Domnus Papa Stephanus in Carisiaco villa Brittaniaco Monasterio ad interrogata dedit responsa.* Respondemus ergo primum videri suppositititium illud responsum Stephani, cujus nec Collationes canonum, nec Scriptorem aliquem invenimus meminisse: deinde affirmamus malè literis exaratum: tertio, ut liberalissimi simus, privatam opinionem dicimus, non Pontificiam definitionem. tandem post citata verba sequitur: *Si aqua fuit præsens, ille presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit.* Supponit itaque juxta canones materiam baptismi esse solam aquam, piamque baptizantis ignorationem excusat. Obiter nota Stephanum, quem cum Onuphrio nostro, ac Baronio *Tertium* diximus, appellari ab aliis compluribus secundum. Baronium & Onuphrium, ideoque & nos acriter reprehendit Pagius ad annum 752. num. 13. sed immerito; nam Stephanum illum, qui post Zachariam ab universo populo electus, & in Lateranense Patriarchium immissus, tribus tantum diebus supervixit, nos verum Pontificem esse contendimus. Rationes, ne nimium evagemur, vide in notis ad Anast. Tom. IV. pag. 227. Quod diximus de Responso Stephani, dicimus de alio Siricii, citato in Pœnitentiali Theodori, & in quibusdam Codicibus à Tournelio laudatis: cum enim non inveniatur in Romanis Archiviis, neque in aliqua canonum collectione, neque citati Codices consentiant, nunquam denique in Romana Ecclesia opinio de baptismate in vino obtinuerit, imò nec ætate Siricii fuerit audita; jure, meritoque affirmamus & Siricii responsum spurium esse, aut saltem adulteratum.

PROPOSITIO II. Non est Ecclesiæ Romanæ recens usus, sed à Patrum traditione derivatus, ac retinendus, consecratio & benedictio aquæ baptismo deservientis. Propositio 1. Usus consecrandi aquam baptismalem est pervetustus.

Tametsi nihil evincerent Novatores, si baptismalis aquæ consecratio novæ esset disciplinæ, cum immutandorum rituum pro temporum opportunitate habeat Ecclesia pleniſſimam facultatem; ut appareat tamen impudens illorum audacia, dum nobiscum antiquos orthodoxos omnes condemnant, secundam hanc thesim primo loco monumentis Patrum firmamus. Benedictionis namque baptismalis aquæ mentionem facit Auctor Constitut. Apost. lib. VII. p. 381. Prob. 1. Ex Traditione Patrum.

&

& lib. VIII. pag. 411. Basilius de Spiritu sancto cap. 27. Tom. 2. p. 211. repetens ipsam benedictionem ex traditione Apostolica inquit: εὐλογοῦμεν δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον. ἀπὸ ποίων ἐγράφων; *Benedicimus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, ac præterea ipsum qui baptismum accepit. Ex quibus scriptis?* Cyrillus Hierosolymit. Catech. III. pag. 52. *Ut illa*, inquit, *quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur, sic contra aqua simplex per sancti Spiritus & Christi invocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur*, ὅσπερ γὰρ τὰ τοῖς βωμοῖς προσφερόμενα τῇ φύσει ὄντα λιτὰ, μεμελυσμένα γίνεται τῇ ἐπικλήσει τῶν εἰδώλων, οὕτως ἀπεναντίας τὸ λιτὸν ὕδωρ πνεύματος ἁγίου καὶ χριστοῦ πρὸς τὴν ἐπίκλησιν λαβὸν δυνάμιν ἁγιότητος ἐπικτᾶται. Cyprianus Epistola 70. pag. 269. *Oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere.* Ambrosius de Myst. cap. 3. num. 14. *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est: cùm verò salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris poculi temperatur.* Monuimus alibi, Ambrosium agere de usu & consuetudine, non de jure, ut inquiunt, & validitate. Idem Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. V. num. 18. *Forma baptismatis & usus hoc habet, ut ante fons consecretur, & tum descendat, qui baptizandus est. Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.* Ob tam præclara testimonia Bullingerus, Albertinus, Dallæus, & hæretici alii hæc Opera Ambrosio abjudicant, luridisque pingunt coloribus, sed perperam, cum negare nequeant Auctorem, quisquis sit, ante octavum saltem sæculum floruisse, & vetustas cæremonias memorasse aut juxta Ecclesiæ Mediolanensis ritus, aut juxta Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem. Augustinus serm. 352. num. 3. *Quia baptismus*, inquit, *id est salutis aqua, non est salutis nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur.* Vide & Victorem Vitensem de Persecut. Vandalica, aliosque laudatos à Joseph Vicecom. lib. 1. de Antiq. rit. cap. 14. Martene lib. 1. art. 14. Hudone Menardo in notis ad Sacram. Gregorii, not. 306. & Notif I. edita à Prospero Card. Lambertini, nunc BENEDICTO XIV.

II. His addi possunt vetera Græcorum Euchologia apud Goarium pag. 353. Ordo Baptismi, qui tribuitur Severo Alexandrino Tom. IV. vet. Bibl. PP. pag. 50. Sacramentarium Gregorii Tom. III. pag. 72. antiqui Rituales libri, laudati à Martene art. 18. Sacram. Romanæ Ecclesiæ editum à Cardinali Thomasio lib. 1. n. 44. Missale Gothicum, quod Cardinalis Bona lib. 1. Rer. liturg. cap. 12. scriptum asseruit ante annos nongentos, editumque ab ipso Thomasio. Adde Ordines nationum cæterarum, de quibus Jodocus Coccius lib. V. art. 8. Ex his liquet nullam esse in Orbe Catholico nationem, quæ à vetustis temporibus aquam pro baptismo conferendo non consecraverit. 2. Ex Ritualibus.

III. Tertio loco pervetustum morem consecrandi aquam commonstrant antiqua Baptisteria, non alia constructa ratione, quàm ad sacram lympham solemni sacratam ritu, loco digniori servandam. Anastasius quidem Bibliothecarius de S. Pio I. Pontifice Maximo electo anno 142. scribit: *Fontem baptismi construi fecit, manu sua benedixit, & consecravit.* Constantinus in Lateranensi Basilica ædificavit *sanctum fontem ex metallo porphyretico ex omni parte coopertum intrinsecus, & foris, & desuper, & quantum aquam continet ex argento purissimo in pedibus, qui pensavit argenti libras tria millia & octo.* Vide Anast. Tom. 1. pag. 39. De antiquo *Fonte* Mediolanensi versibus S. Ambrosii exornato, necnon de Pisano, legendus eruditus Ciampinus p. 2. vet. Monum. pag. 22. Meminit Baptisteriorum, quæ hæretici incenderunt S. Athanasius in Epist. Encyclica ad Episcopos Tom. 1. pag. 113. De iisdem verba facit lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. & in libro de Cura pro mortuis gerenda S. P. Augustinus. Dixi constructa baptisteria ad servandam aquam solemni benedictione consecratam: unde Paulinus de *Baptisterio*, quod ædificaverat Severus, scripsit Epist. XII. pag. 142. 3. Ex Baptisteriis.

*Dives opum Christo, pauper sibi, pulchra Severus*
*Culmina sacratis fontibus instituit.*

IV. Accedunt postremo loco miracula, quæ consecratam pro baptismo aquam mirè commendant. De qualibet aqua benedicta scribit Epiphanius hær. XXX. num. 12. *magnam habere vim ad magicas artes, maleficiaque omnia restinguenda.* Baptismali verò sanatum mendicum quendam à podagra, & à 4. Ex Miraculis.

para-

paralysi mimum Curubitanum scribit citato loco Augustinus. Eandem aquam ad preces Sacerdotum prosilire inquit lib. VIII. variar. lect. Cassiodorus. Divinitus in vacuam piscinam diffluere, & huc, illucque fluctuare, dum sabbato Paschæ benedicitur apud Osen Lusitaniæ campum, narrat Greg. Turonens. de Gloria Martyr. cap. 24. necnon Baronius ad an. 548. num. 10. De aqua in insula Archipelagi, nec non apud cæteras Orientales Ecclesias in die Epiphaniorum consecrata, post Allatium, & Pagium, nos etiam scripsimus Volum. v. pag. 335. A Latinis pariter benedictam perstitisse apud nonnullos incorruptibilem demonstrat exemplis compluribus Jacob. Gretserus lib. 2. de Benedict. pag. 103. Adde singulare, quod anno præteriti sæculi vigesimo contigit in Monasterio Haldenslebiensi prope Magdeburgensem civitatem, ubi fons baptismalis per sexaginta annos incorruptus permansit; intruso autem illuc Lutherano ministro statim computruit. Vide Christianum Lupum P. v. in canones pag. prioris editionis 328. Comprobant itaque consecrationem aquæ baptismalis traditio Patrum, consuetudo Ecclesiarum, Baptisteriorum ornatus, rerumque mirabilium eventus.

Ex facto speciali.

# CAPUT V.

## Resolutio dubiorum quorumdam, quæ movent de materia Baptismi Tractatores moralis Theologiæ.

### *SUMMARIUM.*

1. Quid sit aqua vera, & naturalis?
2. & 3. An aqua rosacea, vel ex arboribus promanans sufficiat ad valorem.
4. Quandonam liceat baptizare in aqua rosacea?
5. Non est leve crimen baptizare in aqua profana, si facilè haberi potest consecrata.

1. Aqua vera & naturalis est elementum, *quo ad necessaria quotidie utimur.*

INquirunt primò quid sit aqua *vera & naturalis*, quam esse materiam baptismatis dictum est hactenus. Sed communis sensus huic quæstioni respondentem exhibet. Aqua est enim elementum illud, *quo ad necessaria quotidie utimur*; unde ita appellatam volunt Grammatici ex *A*, & *Quæ*, quasi *à qua vivamus*. Græci appellant τὸ ὕδωρ ab ὑω, *pluo, fluo*, pleonasmo literæ δ. atque hoc nomine vocatur ab Aristotele, & Xenophonte aqua pluvia, ab Homero flumen, & mare. Plinius initio libri XXXI. aquam dicit elementum, quod *cæteris omnibus imperat*. Augustinus, à quo non dissentiunt philosophi, ait aquam esse *undam labilem*, & elementum *labiliter fluxum*, de Gen. ad lit. lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 7. Indubitatum est ergo sufficere ad baptismum aquam quamlibet *naturalem*, sive scateat è fontibus, sive fluviis præterlabatur, sive fluctuet in mari, sive in stagno, aut puteo contineatur. Produximus præced. cap. Tertulliani locum insignem. De Victore Papa legitur in Pontificali, quod tribuitur Damaso, & apud Anast. Tom. 1. pag. 16. *Constituit, ut necessitate faciente ibi, ubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christiana confessione credulitatis clarificata, quicunque hominum ex gentilitate veniens, ut baptizaretur.* Nota id tantum licere, si emergat necessitas, mortisque periculum.

II. Quoniam mutatio tantum accidentalis non immutat elementi naturam, indubitatum est ritè conferri baptismum sive aqua calida sit, quâ Græci dicuntur tingere; sive frigida sit, aut sulphurea, aut purulenta, aut resoluta ex grandine, pruina, vel nive. Hæc tamen postremo commemorata, nisi soluta sint, non sunt ad baptizandum idonea, quia cum materia Sacramenti quandam habeat cum effectu similitudinem, sitque naturâ suâ *signum* alterius rei, concreta illa corpora nivis, glaciei, grandinis, cum non constent particulis actu fluxis, & ad abluendum aptis, nequeunt censeri elementum illud, quod est Sacramenti *materia*. Pari ratione affirmamus cum D. Thoma quæst. 66. art. 4. validum esse baptismum, si per naturam, aut per artem talis fiat aquæ immutatio, quæ illius *speciem* non solvat; ut si colore aliquo tincta sit, si odore affecta, si permixtione terrestrium particularum turbida, si decoctione carnium, modò *species* permaneat, transmutata.

Accidentalis mutatio non obstat valori, & hinc aqua potest esse *calida, odorifera &c.*

III. Asserendum est nullum esse baptismum, si adhibeantur ea, quæ licèt abluendi vim habeant, aqua tamen censeri nequeunt, ut vinum, cerevisia: cujus generis sunt & sudor, lacrymæ, lac, aliaque, de quibus etiam Martinus Bonacina de Baptis. disp. 2. dub. 3.

Vinum, cerevisia, sudor, lacrymæ, lac &c. nullatenus sufficiunt. Contra Lutherum supra cap. 4. n. citatum.

II. Sed

II.

Sed difficilior est quæstio de aqua rosacea, necnon de ea, quæ ex arboribus, vitibusque promanat, si nulla alia aqua sit in promptu. His validum conferri baptismum negant quamplurimi, imò fere omnes Theologi. Tenent nihilo tamen minus oppositum ex nostris Joannes Puteanus 3. p. q. 66. art. 4. dub 1. Franciscus Farvacques q. 2. de Baptismo § 3. nec opponitur his Vanroy cap. 1. q. 2. Ducuntur verò his momentis. Primum aqua è floribus igne subjecto expressa, vera, & naturalis est; in mixtis quippe elementa verè persistere communis est Medicorum, & Chymicorum opinio, longe verisimiliòr quorumdam Peripateticorum decretis. Deinde plerique Theologi hactenus negarunt aquam rosaceam esse idoneam baptismo materiem, quoniam *forma substantiali* differt ab aqua naturali, & communi. At *formas substantiales* relegarunt è Democriti, & Epicuri schola redivivi philosophi: iisdem etiam *formis* admissis, aqua rosacea, quæ cum aqua naturali majorem habere videtur affinitatem, quam habeat aqua quorumdam fontium, ab ea distinctam substantialem *formam* non habet. Præterea si naturalis aqua non foret, quæ ex floribus, herbisque exprimitur, id esset, quia clibano artificiali stillatur: at si id probaret quidquam; nec esset naturalis ignis ille, qui è silice percusso elicitur: qui tamen artificialis *quoad modum*, non *quoad substantiam* poterit nuncupari. Infirmum præterea est argumentum, quod istiusmodi aquæ sint odoriferæ; nam dictum est paulo supra, odorem non immutare substantiam: ac omnes fere fontes aquas emittunt diversis præditas qualitatibus. *Arbores* pariter *aquam ad se trahunt ex humo radicum opera, velut fistulis; utque adeo avertuntur fontes & scaturigines ne profluant; propterea cæsa sylva fontes promanasse compertum est*, inquit apud Farvaquelium Majolus. Afferuntur & quæ scribit Joannes Dicastillo tract. 2. de Baptis. dub. 3. disp. 3. collectas brevi tempore ex vitibus amphoras aquæ, colore, sapore, & odore ab elementari parum, aut nihil diversæ, & apud Indos homines & pecora bibere aquam, quæ jugiter fluit ex arboribus, nec ullum sentiri hujus ab aqua naturali discrimen.

Rejicitur prior sententia, respondendo ad argumenta.

Nullum hæc argumenta apud me robur habent. Principio enim probo monitum præclari auctoris de Re Sacrament. Tom. 1. pag. 134. *de vera & naturali aqua* ex communi hominum usu, non ex disputationibus philosophorum judicium ferendum esse. Deinde etiam ex Philosophiæ principiis prædictæ argumentationes mihi videntur infirmæ. Et prima quidem; nam etsi demus elementa permanere in mixtis, qua de re digladiantur physici, nemo tamen negat corporum permixtione immutari naturas rerum. Ita, etsi aqua permaneat in vino, in hydargyro, & in aquis mulsis, aut causticis; inscitè, ut opinor, dixeris retinere hæc corpora *naturalis aquæ* substantiam: atque idem videtur asserendum de aqua rosacea particulis analepticis, seu mercurialibus, unde odor promanat, ac volatili sulphure, tenuique oleo, non permixta solùm, sed *undique incorporata*. Quare aquam hanc, aliasque clibano fabricatas, nec aquas *sine nominis additamento* appellamus, cum succus sint potius, ac humor attractus, χυμὸς proinde, non ὕδωρ. Videtur etiam Florentina Synodus *aquam naturalem* communi sensu accepisse: nam alioqui hæc verba forent superflua. Præterea quamvis Rituale Romanum posteriorum editionum, ubi *rubricæ* leguntur stylo magis contracto, definiat tantum materiam baptismi esse *aquam veram & naturalem*; editum Romæ jussu Gregorii XIII. apertè explicat quid sit aqua hæc naturalis, docens pag. 17. *Materiam hujus Sacramenti esse aquam veram & naturalem. ut fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, paludum, cisternarum, & pluvialem, & sic quamcunque simplicem, & puram, quæ propriam aquæ speciem retineat; nec referre frigida sit, an calida: non autem esse aquam artificialem, ut ex rosis, floribus, herbis, seu similibus rebus expressam, aut distillatam. neque alium quemvis liquorem.* Imbelle cit etiam argumentum petitum ex nova Philosophia: in qua denegatur utique *substantia* à materia distincta, at non *forma substantialis* discriminans rerum *species*, & in certa permixtione corporum sita. Nec sunt ejusdem naturæ corpora omnia quæ diffluunt, quamvis plurimum habeant communis materiæ, id est, aquei humoris. Ejusdem farinæ est quod additur, arbores humorem trahere ex aqua transvecta radicum vehiculis; & hæc namque in viscеribus plantarum confecta oleosis, sulphureisque particulis induit diversam naturam, cum aqua sit in nostra sententia catholica rerum corporearum principium. Nisi id eveniret, aqua naturalis forent oleum, vinum, nec non humani corporis humores: in quibus invalide baptizari definit Innocentius III. cap. *Non ut apponeres*, de Baptismo. Si autem aqua ex cortice arbo-

rum, & ex vitibus ſtillans retineat *ſpeciem* ſuam, quod evenire poteſt ſi arbor meatus ampliores habeat, per quos tranſeat immunis, ut inquit de vitibus Murciæ, & de plantis Ombrii Dicaſtillo; non debet id ſtatuere regulam univerſalem. Itaque quantum ad me ſpectat, ſententiam Puteani, & Farvacqueſii non approbo, amplectorque oppoſitam, non ſolum inter Theologos, verum etiam inter JCC. lib. III. Decret. tit. 42. communem.

poteſt conſecrata.

4. Quando liceat baptizare in aqua roſacea?

At ſi nulla aqua haberi poſſit præter roſaceam, & expreſſam ex floribus, conferendusne erit baptiſmus? Utique, reſpondet nuperus Auguſtinianus Scriptor Antonius Guerrero Tom. I. pag. 416. & ait hanc eſſe communem opinionem; quoniam fas eſt urgente neceſſitate uti materia dubia. Perperam ergo Scriptor iſte oppugnavit præc. pagina Farvacqueſium; nam is adhibendam aquam roſaceam docuit *in extremo tantum periculo.* Si quis ergo opinetur prædictam aquam eſſe materiam probabilem, poterit eam ſub conditione adhibere, nempe, *Si hæc aqua eſt materia ſufficiens, ego te baptizo, &c.* Si autem amplecti velit ſententiam noſtram, eamque (ſi excipias Baunium, Chamerotam, Puteanum, & duos, aut tres alios) communem; cum non ſit probabile, ſed apertè falſum, aliam aquam præter *veram & naturalem* eſſe materiam baptiſmatis, neque in caſu neceſſitatis fas eſt cum aqua è roſis, aliiſve floribus, aut plantis expreſſa aliquem baptizare. Vide Andream Mendo in Statera opinionum benignarum differt. IX. quæſt. I. & Emmanuelem Gonzalez in III. Decret. tit. 42. pag. 844.

Quid vero, ſi baptiſmus ſolemni ritu non conferatur? In hoc etiam caſu, ſi aqua conſecrata haberi queat, culpandus eſt qui eam non adhibet. Enimverò tenent momenta eadem, quod res divina peragitur, & aſſumitur elementum, non ad quemlibet uſum, ſed ad animarum emundationem. Sane ſævientibus perſecutionibus, quando Sacramenta non poterant ſolemniter celebrari, religioni tamen duxerunt Patres ac Martyres baptizare aquâ tantummodo conſecrata. Aperta ſunt quæ narrantur de Aproniano baptizato à Siſinio Diacono, de Artemia Diocletiani filia, & Jobia filia regis Perſarum, quas baptizavit S. Cyriacus, & de aliis, quorum exempla ſingulis obvia ſunt.

Idem dicendum in caſu baptiſmi non ſolemnis.

## III.

5. Non eſt leve crimen baptizare in aqua profana, ſi facilè haberi

Inquirunt præterea, an leve crimen debeat exiſtimari, ſi baptizans pro aqua conſecrata, ſacróque Chriſmate delibuta, quam facilè habere queat, adhibeat communem atque profanam: ut

CAPUT

# CAPUT VI.

## De Ablutione, sive de materia Baptismi proxima.

### *SUMMARIUM.*

1. Prænotandum.
2. Perantiquus est usus trinæ immersionis.
3. Baptismus jam ante sæculum 13tium infusione, aut unica mersione fuit collatus.
4. & 5. Solvitur objectio.
6. Omnes tres abluendi modi valent: Ecclesia rectè præscribit *immersionem* aut infusionem, quam malè græci reprehendunt.
7. & 8. Objectionibus satisfit.
9. De modo immergendi.
10. Immersio fiebat in modum crucis.

1. Elementum aquæ *materiam* baptismi *remotam* vulgo appellitant; aquæ verò usum, aut abluendi modum, *materiam proximam*, de qua instituimus modò disputationem. Triplicem enim modum abluendi diversis temporibus novimus obtinuisse, immersionem, infusionem, aspersionem; immersionem præterea olim trinam, postmodum simplam fuisse in usu receptam. Nullam autem hac in parte litem intentant nobis Lutheri, aut Calvini sectatores, qui baptismum, sicuti apud nos moris est, tenui infusione, aut aspersione ministrant; sed funem contentionis ducimus cum Græcis schismaticis, qui antesignano Marco Ephesio, post solutam Synodum Florentinam, inter cæteras istam separationis suæ prætexuere causam baptismum a se mersione trina collatum alium esse a baptismo, quem infusione præbet Romana Ecclesia, & ideo hanc a vera fide desciviſse, scribente ad Ephesios Paulo, IV. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Itaque adversus Græcos fœdifragos, quemadmodum trinam immersionem fuisse quondam servatam non diffitemur, ita negamus eam *ad substantiam baptismatis* pertinere; atque ut ordinem debitum dissertatio ista teneat, priscam consuetudinem, hujus varietatem, atque desuetudinem commonstrabimus. Poterit autem qui nostram lucubrationem aut mutilam, aut elumbem compererit, adire Juenínum dissert. II. cap. 3. q. 2. Tournely q. 1. art. 3. Habertum cap. III. aliosque recentiores, nisi oportunum magis ei videbitur perlegere qui de sacris ritibus pertractarunt, ac præsertim Josephum Vicecomitem lib. IV. cap. 6. Martenium lib. I. art. 14. & Hugonem Menardum in notis ad Sacrament. Gregorii: quibus addi velim Joannem Ciampinum in Explicat. quorumdam Sarcophagorum Tom. II. Vet. Monum. Barnabam Brissonium de Spect. & feriis, & ex Acatholicis Joannem Gerardum Vossium disput. I. de Bapt. thesi 6. & sequentibus. Diatribe autem nostra hoc procedit incessu.

Triplex modus abluendi, *Immersio, Infusio, & Aspersio.*

Disputandum hic est contra Græcos Schismaticos.

PROPOSITIO I. A priscis Ecclesiæ sæculis obtinuit consuetudo baptizandi per immersionem, & quidem trinam.

Propositio 1. Perantiquus est usus *Immersionis*, & quidem *trinæ.*

Immersione baptizatum Dominum videntur innuere ea verba Matth. III. 16. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua;* quibus recitatis Hieremias Constantinopolitanus Resp. II. ad Witthebergenses cap. 4. *Ascendit*, inquit, *ex aqua: ergo ante descenderat. Ecce immersio, non aspersio.* Nil vero probabilius, quam ad similitudinem Dominicæ humilitatis tinctos primitivæ Ecclesiæ fideles. II. Et quidem olim collatum fuisse regenerationis lavacrum *trina mersione* probant vetera monumenta, quæ etsi a non obesæ naris criticis revocantur indubium, antiquam tamen consuetudinem auctoribus suis compertam esse suadent. Hujusmodi sunt, canon 49. Apostolicus, *Si quis Episcopus, vel presbyter, non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur.* Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ ἀλλ' ἓν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδομενον, καθαιρεῖσθω. Atque hunc canonem esse unum ex receptis a Romana Ecclesia, constat ex dictis Tom. IV. pag. 169. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. de Baptism. *Ter illum Episcopus mergit, hac trina illius mersione & emersione tres beatitudinis divinæ personas inclamans.* Τελῶν μὲν αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βάπτιζει τῶν τρίων τοῦ τελεμένε καταδύσεσι καὶ ἀναδύσεσι τὴν τρίστην τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ἐπίκλησιν. III. Certiora & indubitata extant traditionis hujus apud Patres vestigia. Tertullianus de Corona Milit. cap. 3. *Dehinc ter mergitamur*, & contra Praxeam cap. 26. *Nec semel: sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Tres item mersio-

Prob. 1ma Pars 1.

2. Prob. 2da Pars

nes commemorant alii Patres, Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. VII. num. 20. Hieronymus adversus Luciferianos, & in cap. 4. Epist. ad Ephesios, Leo Magnus Epist. ad Episcopos per Siciliam constitutos, Bern. in serm. de Cœna Domini. 4. IV. Nec tantum Patres id innuunt, verum etiam hujus trinæ mersionis significationem explanant. Ac primo Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. II. num. 8. in trina immersione & emersione symbolum agnoscit *trium dierum, ac noctium sepulturæ Jesu*, τῆς τριημερονύκτου ταφῆς Ἰησοῦ, quam hujus ritus rationem prosequitur S. Gregorius Epistola ad Leandrum, de qua infra. Tertullianus, & Ambrosius loco citato opinantur eos, qui baptizantur, ter mergi *propter Trinitatis mysterium:* insinuatur eadem ratio apud Grat. de Consecrat. cap. *Eodem modo*, & cap. *Multi*. Rabanus Maurus lib. 1. Instit. Clericorum cap. 28. utramque rationem probat, Dominicæ sepulturæ, ac Trinitatis mysterii, additque alteram nempe, 5. quia *tertio gradu peccati homo in mortem cecidit.* V. Hujus trinæ immersionis usum inter Apostolicas traditiones recensent permulti. Tertullianus de Corona Milit. cap. IV. de ritu mersionis, aliisque præcedenti cap. 3. recensitis, ait: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Basilius de Spiritu sancto cap. 27. τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; *Ter autem immergi hominem, unde?* ac respondet, οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας; *nonne ex minime publicata, & arcana hac traditione?* Hieronymus pariter adversus Luciferianos: *Multa, quæ per traditionem in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput* 6. *mergitare.* VI. Idem comprobant antiquiores Rituales libri. Vide Officium Græcorum, ejusque varias lectiones apud Jacobum Goar pag. 357. Ritum baptizandi apud Ægyptios pag. 58. Librum Sacramentorum Gelasii editum a Thomasio è Ms. 900. annorum, pag. 84. Codicem S. Remigii Remensis ejusdem vetustatis apud Martene lib. 1. cap. 1. art. XVIII. ord. 8. & antiquum Ordinem Romanum de Divinis Offic. Tom. XIII. Bibl. Patrum pag. 697. In Sacramentario Gregorii typis edito non memoratur trina mersio; quam tamen præcipiunt vet. Mss. Remense, Corbejense, aliaque laudata num. 323. a Menardo.

3. Propositio 2. Baptismus infusione aut unica mersione etiam ante sæculum 13. collatus fuit sæpius.

PROPOSITIO II. Non fuit tamen ad sæculum usque XIII. trina mersio ita communiter recepta, ut probatus aliquando non fuerit baptismus, aut infusione, aut unica mersione collatus.

Obtinuisse enim ritum baptizandi per immersionem etiam tertiodecimo sæculo, constat ex D. Thoma 3. p. q. 66. art. 7. ubi ait tutius esse baptizare per immersionem, *quia hoc habet communior usus:* obiit autem S. Thomas anno 1274. Verum cum ritus ille prævaluerit, imo etiamnum obtineat in Mediolanensi Ecclesia, & apud Coptos, & Jacobitas; non fuit omnino indispensabiliter observatus. I. De Baptismo per infusionem dato profert illustria exempla Martene, ex vita S. Laurentii, quem baptizasse Romanum militem aquâ ex urceo effusâ referunt Acta martyris, commonstratque vetus pictura etiam nunc in Basilica S. Laurentii in Agro Verano, ubi Romanus conspicitur sacrum suscipiens a Laurentio lavacrum. Addit vir eruditus Acta S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, & sancti Liudgeri Episcopi, in quibus baptismum infusione collatum ipsa Sanctorum gesta confirmant. Vidit hæc & doctus Tournelius, qui tamen contendit immersionem fuisse *constanter observatam* in solemni baptismo; infusionem vero, aut aspersionem aquæ usurpatam solummodo in baptismo privato, & urgente necessitate. At Mabillonius in Itin. Italico pag. 73. & 81. refert dono sibi datas a Ciampino cujusdam tumuli prope Neapolim reperti figuras duas, quibus repræsentatur baptismus per immersionem simul, & superinfusionem collatus. Idem Ciampinus volum. 2. Vet. Monum. cap. 4. profert in tabula delineatum ex antiquis Sarcophagis baptismum Agilulfi Regis Longobardorum, & Theodolindæ ejus uxoris, in pelvi, sive semidoliolo existentium, & superinfusa aqua tinctos in superiori parte corporis, dum inferiores tantum essent aqua mersæ. Consimilis extat pictura in templo Sanctæ Pudentianæ, de qua idem Ciampinus pag. 20. Imo collatum baptismum infusione aquæ, existente baptizato extra pelvim, demonstrat alter Sarcophagus Ciampini pag. 16. nec non baptismus Romani, de quo supra, depictus in Agro Verano, ubi male scribit Martene S. Romanum cerni *existentem in pelvi*, cum sit extra, nudus, & dextera

Prob. 1ma Pars 1. ex Exemplis.

Levitæ

Levitæ porrigens urceolum alterum aqua plenum, quòd forte non una, sed trina fieret aspersio, aut infusio. Etsi ergo immersio longe apud veteres prævaluerit, obtinuit tamen aliquando infusionis usus.

1. Ex Epist. S. Cypriani.

II. Perfusione baptizatos *Clinicos*, id est, decumbentes in lecto, constat ex Epistola S. Cypriani 76. ad Magnum. Videtur ibi S. Martyr mirari, cur in ægritudine baptizati *Clinici* appellarentur: *Non invenio*, inquit, *unde hoc nomen assumant, nisi forte qui plura & secretiora legerunt, apud Hippocratem, vel Soranum, Clinicos istos deprehenderunt.* Scite, & ingeniosè; *Clinici* enim medici dicuntur, quorum princeps Hippocrates. Soranus etiam fuit inter medicos nobilissimus, nec uno in loco laudatur ab Augustino. Lepide Martialis lib. 1. Epigram. 31.

*Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus,*
*Cœpit quo poterat Clinicus esse modo*

Attamen, sicuti qui invisunt decumbentes, ita ægroti *Clinici* dicti sunt ἀπὸ τῆ κλίνη, *a lectulo*, in quo decumbunt. Vide Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. 43. pag. 244. Horum ergo Clinicorum baptismum, de quo hæsitabat Magnus, quoniam superfusione, non immersione conferebatur, ratum censuit S. Cyprianus, scribens: *Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali sordes cutis & corporis, abluuntur.* Et post pauca: *Unde appareret aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere.* Addit: *Et idcirco quantum fide concipere & sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege, & jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes & vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur.* Notes, velim, Cypriani in dijudicanda aliorum opinione sententiam, in sua autem pronuntianda firmitudinem. Profecto baptismum Clinicorum probarunt Synodus Neocæsarienſis canone XII. Tom. 1. Concil. ad an. 314. aliæque posteriores, etsi vetuit ea Synodus, ne baptizati in ægritudine ordinarentur in presbyteros, sive quod necessitate potius, quàm electione initiati viderentur, sive Sacerdotii officia implere non possent, quos valetudo ignaros elementorum fidei baptismum suscipere coegisset, ut opinatur in notis ad præfatum canonem Albaspinæus.

3. Prob. adà Pars. Ex Consuetudine Hispanorum approbata per Greg. M.

III. Trinam mersionem circa annum sexcentesimum Hispaniarum Episcopi deseruerunt occasione Arianorum, qui ex ea petebant argumentum ad oppugnandam sanctæ Trinitatis *consubstantialitatem*: inductam vero ab Hispanis consuetudinem approbavit Magnus Gregorius Epistola 43. libri 1. ad Leandrum Episcopum Hispalensem; ubi post multa, quæ etiam à Gratiano relata sunt in canone *De Trina* de Consecrat. dist. IV. ait Gregorius Tom. 2. pag. 532. *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando & tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nuncusque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Gregorii judicium secutum est, sedente Honorio, anno 633. Concilium Toletanum IV. canone 6. aliàs 5. ubi post Sancti Gregorii verba legitur: *Quapropter, quia de utroque Sacramento, quod sit in sancto baptismo, a tanto viro reddita est ratio* (trinæ scilicet, aut simplæ mersionis) *quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos qui tertio mergunt hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium Sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari: nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo Unitatem Divinitatis & Trinitatem personarum ostendi: Unitatem dum semel immergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti baptizamus.* Et hunc Canonem inter decreta retulit Gratianus citata dist. IV. cap. *Propter vitandum.* Gregorianæ Epistolæ, & Canonis Toletani meminit Valafridus Strabo de Rebus Ecclesiasticis cap. 26. scribens: *Alii trinam immersionem volunt in similitudinem triduanæ sepulturæ, ut in Canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo observat: alii unam, propter divinitatis unitatem contendunt, ut in Concilio Toletano plenissime habetur; ubi*

Item ex Concilio Toletano.

*etiam commemoratur quod beatus Gregorius interroganti super hæc Leandro inter cætera ita responderit, quia in una fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa.* Vide Tom. XV. Bibl. PP. pag. 196.

Objectio. Invehitur in Hispanos Alcuinus Epist. 69. ad Lugdunenses pag. 1587. scribens morem illum unius mersionis esse contra universalem sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem : adversari Apostolo, qui ait nos consepultos esse in in Christo per baptismum, cum Christus triduo in sepulchro permanserit : revinci potius Arianos baptismate, quo ter mergimur, quia in ipso unum apparet Trinitatis Sacramentum. Addit & Ambrosii, ut putat, versus de ternarii excellentia :

*Omnis trina vigent sub majestate Tonantis.*
*Tres Pater, & Verbum, sanctus quoque Spiritus unum.*
*Trina salutaris species crucis, una redemptrix.*
*Tertia lux Dominum remanentem a morte recepit.*
*Trina dies Jonam tenuit sub viscera cæti,*
* cernunt Dominum *Tres pueri * cernere Deum flagrante camino.*
*Ter Sabaoth sanctum referens benedictio psallit.*
*Ter mergendus aqua est, cui gratia plena lavacri, &c.*

Negat etiam Alcuinus epistolam de simpla mersione, citatam a PP. Toletanis, a S. Gregorio scriptam fuisse, quod eam non invenerit *in Epistolari libro* Româ ad se allato, ut observarunt in notis ad Gregorium Maurini Patres : idque Alcuinus asserit epistola proxima LXX. quæ videtur continuatio præcedentis. Martinus quoque Bracarensis Antistes in Epistola ad Bonifacium, edita Volum. II. Concil. Hispaniæ pag. 506. reprehendit eos, qui *unam tinctionem fieri voluerunt ;* nam si sub uno nomine facta una tinctio unitatem Deitatis demonstrat, ac per hoc error fugitur Arianus ; Sabelliana ignorantibus subrepet pestis, dum sub uno nomine una solummodo retenta mersio, nullam in Sacramento baptismi monstrat trium personarum distinctionem. Intorquet simile argumentum Gerardus Vossius, disp. II. thesi 4. pag. 262.

Hæc tamen nullius momenti sunt. Quocunque enim modo conferatur baptismus, si materia & forma serventur, ratus erit, ac validus : neque necessum est, ut mersione, aut infusione simpla, vel trina significetur mysterium Trinitatis : aut Christi passio ; tum quia Sacramentum est signum gratiæ, non prædicatio duntaxat fidei, gratiam vero commonstrat quæcunque ablutio : tum quia fides, si baptizetur adultus, ab eo petitur, & exigitur, tanquam prævia dispositio ; & si tingatur infantulus, id supplet fides gestantium, aut sanctæ matris Ecclesiæ. Deinde in sola forma hæc significantur ; unitas vocabulo singularis numeri, *in nomine ;* Trinitas, distincta divinarum enumeratione personarum, quæ sane catholico sensu, non Ariano, aut Sabelliano, enuntiantur. Mors etiam Christi una mersione monstratur, quoniam semel sepultus est ; nec emersio, & immersio per se signum sunt dierum, quibus Dominus in sepulchro delituit, sed potius resurrectionis & sepulturæ ; quamquam mersione trina id quoque sit aliquatenus demonstratum. Si enim trina mersio, eadem omnino ratione significaret sepulturam Domini, & Trinitatis mysterium ; tres simul personæ innuerentur sepultæ. Quare mersio, ut mersio est, mortem significat Christi, non Trinitatem : hanc vero innuit aut mersionum numerus, aut personarum enumeratio, aut utrumque. Nihil est ergo in causa, cur Alcuinus ex significatione mysterii redarguat canonem Toletanum. Infirmum est pariter argumentum ex traditione depromptum ; quamvis enim trina immersio, ut diximus, prævaluerit, obtinuerunt tamen etiam ritus alii : ac præterea traditiones ad solam disciplinam spectantes possunt ab Ecclesia pro temporum opportunitate antiquari. At quod Alcuinus neget Epistolam ad Leandrum esse genuinum Gregorii fœtum, facilius est refutare. Primum enim hæc Epistola Gregorii salivam habet. Deinde illam exhibent codices optimæ notæ. Insuper meminerunt ejusdem Epistolæ S. Isidorus de Script. Eccles. S. Licinianus Episcopus ad ipsum Gregorium scribens, & Joannes Diaconus in vita Gregorii cap. 53. Tandem fidem omnem superat, quod conficta sit Gregorii Epistola in Synodo, cui præfuit S. Isidorus, frater ejusdem Leandri, ad quem missa fuerat. 5. Responsio.

At Martinus Dumiensis citata Epistola scribit, baptismum conferendum

non

non esse *in nominibus Trinitatis*, ac certissime *tertio nomen invocari, & tertio tingui*, Arianum censendum esse. Damnat etiam præsumptionem eorum, qui *pro refugienda Arianorum similitudine*, tinctionem unam fieri voluerunt, priusquam aliqua accederet sententia *Generalis, aut Provincialis Synodi*: quod nempe non debeat unusquisque, ob hæreticorum abusum, propria auctoritate antiquam disciplinam deserere. Licuit ergo Hispanis post Gregorii Epistolam adhibere mersionem simplam; maxime quod, *quidam trinam, quidam simplam facerent, & à nonnullis schisma suscitaretur, ab aliis credetur scindi unitas fidei*, ut legitur ipsomet canone Toletano: à quo propterea, *ad vitandum scandalum*, provide definita est una mersio. Vossius autem fallitur, dum ait argumentum Gregorii, & Toletani Concilii non esse tanti ponderis, ut inducenda sit simpla mersio in Ecclesiis, quæ cum Arianis conflictantur. Non id unice spectandum est; sed etiam scandalum schismatis, inducta consuetudo, & opinio eorum, qui contendebant irritum esse baptismum trina mersione peractum: quæ omnia narrat Synodus Toletana, eodem Volum. 2. pag. 480. Cæterum tam Gregorius, quam Toletana Synodus utrumque baptismum *rectum, & irreprehensibile* judicarunt, sive collatum una, sive trina mersione. Animadvertas autem, etiamnum in Ecclesia Romana probari, & in usu esse baptismum per trinam immersionem in nonnullis Ecclesiis, eamque adhiberi pro forma & situ baptisteriorum, licet prævaleat usus infusionis, quæ pariter trina, non simpla, est apud Latinos: de qua re vide Rituale Romanum, nec non Synodum Beneventanam Cardinalis Vincentii Mariæ Ursini ann. 1693. qui etiam ætate nostra ad summum Pontificatum evectus, ubi baptisterii vas amplum est, propria manu parvulos ter immergebat.

6. Propositio 3. Omnes tres abluendi modi valent: Ecclesia recte præscribit *Immersionem*, aut *Infusionem*, quam male Græci reprehendunt. Prob. 1ma, Pars 1.

PROPOSITIO III. Quocunque ritu conferatur baptismus, sive immersione, sive infusione, sive aspersione, validus est: recte Ecclesia Romana præscribit immersionem, aut infusionem; à Marco autem Ephesio, aliisque Græculis male, nulloque jure reprehenditur.

Quidam priorem partem confirmant exemplo Petri, qui Act. 11. 41. una die baptizavit tria millia hominum, & cap. IV. 4. alia die hominum quinque millia. Quomodo enim potuit unus tam ingentem numerum immersione trina baptizare? Profert rationem istam S. Thomas q. 66 art. 7. Ac baptizasse Petrum omnem illam multitudinem eadem die constat ex Scriptura, & ex Epistola IV. Leonis Magni cap. 5. Sunt tamen, qui hanc probationem infirmam putant, ut Vicecomes lib. IV. cap. 6. quoniam veteres baptismum illum aspersione datum non asserunt: nec inverisimile est Petrum baptizasse more apud Judæos recepto, in locis ad immersionem idoneis, necnon adjuvantibus aliis, *tum Apostolis, tum Discipulis*, ut inquit Carthusianus II. Quidquid sit de vi probationis hujus; invictæ sunt aliæ, quæ ex thesi præmissa consequuntur. Et prima quidem, quod stet *Sacramenti substantia*, si verbum accedat ad elementum, necnon analogia, signúmque interioris ablutionis, quocumque ritu fundatur aqua: & argumentum quidem istud etiam S. Thomas producit priori loco. Accedunt exempla baptismi infusione collati. Adde probatum à Patribus baptismum *Clinicorum*, & & cætera jam commonstrata. III. S. Cyprianus in præcit. Epistola ad Magnum, significari gratiam baptismatis sola aspersione, probat exquisitis Scripturæ locis, ut Ezechielis XXXVI. 25. *Et effundam super vos aquam mundam*: Legit Cyprianus, *Et aspergam*; atque Num. VIII. 7. *Aspergantur aqua lustrationis*. Addit Cyprianus aquam aspersionis appellari à Moyse aquam *purificationis*, nec baptismum præsignatum solummodo *in mari*, verum etiam *in nube* superius madefaciente. At initio hujus libri *baptismum* significare ablutionem quamlibet, satis declaravimus. Probat Cypriani Epistolam Augustinus lib. VI. de Baptismo cap. VII. num. 10. Turnelius pag. 27. laudat ejusdem Augustini verba Tract. LXXX. in Joan. n. 3. *tingentem etiam tantillum mundet infantem*: at nescio, quo jure *tantillum* faciat adverbium. IV. Cum baptisma sit maximæ necessitatis, videtur imperceptibile, datum fuisse trina mersione, aut superfusione, aut animam agente puerulo, aut deficiente aquæ copia, aut ad unum Sacerdotem confluente immensa baptizandorum multitudine; ideoque nec adhibitam mersionem puto, quando Paulus Act. XVI. 33. baptizavit custodem carceris & domum ejus: aut quando Petrus in Mamertino carcere, aqua divinitus è saxo erumpente, Processum & Martinianum & quaterdenos milites abluit, quod ita carmine expressit Martha Marchina:

Clau-

*Clauditur in tenebris hominum Piscator, & inde*
*Bina quaterdenos retia missa trahunt.*
*Unda deest, Petri virgâ Tarpeia rupes*
*Percussa, è petris larga fluenta dedit.*

Ac solam fortasse aspersionem adhibuit Liberius, dum festo die Pentecostes *quatuor millia & duodecim* promiscui sexus salutari baptismo expiavit, ut ex Actis Damasi refert Paulus Aringhus Romæ Subterr. pag. 223. Voluminis 1. Atque hæc de priori parte propositionis.

Prob. 2da Pars. Alteram partem comprobat Rituale Romanum, editum jussu Pii V. ubi tit. de forma baptismi legitur: *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.* Et quidem aspersionem perraro adhibitam, aperte ex præmissis monimentis evincitur.

Prob. 3tia Pars. Tertiam partem sic demonstro. Liquet ex Rituali nuper laudato, & ex Beneventana Synodo, Actisque Mediolanensibus supra citatis, etiamnum in Ecclesia Latina ritum trinæ immersionis adhiberi, *pro Ecclesiarum consuetudine, & forma Baptisteriorum.* Imo Rituale Gregorii XIII. mandat, ut si baptismus per immersionem sit conferendus, *Baptisterium humilius jaceat, ac late patens cum suis gradibus extruatur.* Quo ergo jure affirmant Græci, ritum immersionis à nobis eliminatum? II. Sive immersione, sive infusione tingamus, ter immergimus, aut aquam fundimus. At Græci non ita mersionem putant necessariam, ut complures eorum non utantur superinfusione: baptizant enim puerum pronum positum, & sinistra in ventre sustentatum, dextera salutarem aquam superinfundentes: ideoque immersionem, & infusionem eodem vocabulo designant, ut animadvertit, probatque ex Neophyto Rhodino pag. 365. eruditus Goarius. Nuda ergo battologia nobiscum decertant. III. Sit denique in trina mersione latens mysterium; sit porro: principio istud refert etiam trina effusio; deinde vero, etiam in aqua calida ipsi Græci portentosum aliquid divinant, & nihilominus si frigidâ abluatur infans, baptismum ratum pronuntiant, ut constat ex canone Synodi Amathuntinæ ibidem producto à Goario, ἐ χρὴ ἐπὶ ψυχρῷ ὕδατι βαπτίζειν, ἀλλ' ἐπὶ ζέοντι δηλονότι τοῦ ζέοντος τὸ ζῶν τὴν χάριτος τοῦ βαπτίσματος εἰ ἢ ἀνάγκη ἔχει, γενέσθω καὶ ἐπὶ ψυχρῷ, id est, *In aquâ frigida baptizare non oportet, sed in calida; manifestante nimirum calida fervorem gratiæ baptismatis: si vero necessitas urgeat, fiat & in frigida.* Ita de trina mersione, aut infusione, quamvis in ea mysterium lateat, ratiocinentur oportet.

Militare videntur adversus primam partem hujus propositionis probationes omnes proposit. 1. Et sane urgeri possunt hoc pacto. Canon XLIX. Apostolicus deponendum censet presbyterum, *qui non perfecerit tria unius mysterii baptismata.* Irritum ergo judicat baptismum absque trina immersione collatum. II. Tertullianus, Hieronymus, Basilius, aliique Patres affirmant trinam mersionem haberi ex traditione Apostolica: nefas est igitur ritum hunc immutare. III. Latet in trina mersione mysterium Dominicæ sepulturæ, trium divinarum personarum, nec non expiationis cujuslibet generis peccatorum. Hoc ergo ritu semoto, Sacramentum mystica signi ratione exspoliatur. IV. Non solum Magnus in Epistola ad Cyprianum, sed etiam Cornelius Papa apud Eusebium lib. VI. cap. 43. dubitat de validitate baptismi *Clinicorum;* scribit enim de Novatiano in lecto aquæ perfusione baptizato, *In ipso, in quo jacebat, lectulo perfusus baptismum susceperit, si tamen hujusmodi baptismum susceptum esse dicendus est.* V. Denique simplam immersionem invexit primus omnium Eunomius, μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, *dicens non oportere ter mergi eum, qui baptizatur*, inquit Theodoretus lib. IV. Hæret. fabul. cap. 3. Ut igitur trina immersio apud Hispanos in desuetudinem abiit propter hæresim Arianam; ita nunquam adhibere fas est mersionem simplam ob hæresim deteriorem Eunomii, & Aeti. 7. Objectio I. 2. 3. 4. 5.

Verum ut argumenta, ita etiam solutiones, ex prædictis thesibus obviæ sunt. Ad 1. itaque respondemus, Apostolico canone non declarari nullum baptismum absque trina mersione datum, sed deponi tantummodo eam non adhibentem, propterea quod nonnulli baptizabant, non in nomine Trinitatis, sed *in nomine solius Christi mortui pro nobis*, & ad hunc ritum inducendum utebantur una mersione tantum. Igitur propter Ecclesiæ disciplinam, & in detestationem illius erroris, præscripsit canon Responsio ad 1.

non *invocationem Trinitatis, trinamque mersionem;* ut manifeste apparet ex sequenti canone 50. *Si quis presbyter:* de quo vide Glossam decreti de consecrat. dist. 4. can. 79. Ad secundum, jam diximus distinguendas esse traditiones, quæ spectant ad regulam fidei ab iis, quæ pertinent ad ritum & disciplinam; & quemadmodum traditiones primi generis custodiri debent inviolatæ, ita postremæ pro vicissitudine temporum subeunt, ut de Velandis Virg. loquitur Tertullianus, *novitatem correctionis.* At de his plura lib. XXIII. cap. 6. Ad tertium, quamvis cum Paludano in quarto dist. III. q. 3. aliisque negari possit symbolum mysteriorum fidei spectare *ad substantiam Sacramenti*, ut quod accidentarium si duntaxat; respondemus tamen cum D. Thoma art. VII. ad 2. ablutionem, quocunque modo fiat, repræsentare Christi mortem, dum *corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.* Ne repetam quæ de sensu Apostolicæ sententiæ ad Rom. VI. 3. dixi præcedenti cap. 3. & quæ de Trinitatis mysterio expresso in baptismi formula, paulo supra. Ad proximum jam dixi dubitationem Magni fuisse dispunctam à Cypriano, quamvis non satis appareat an Magnus hæsitarit de validate baptismi perfusorum, an de effectu ob exiguam in Clinicis fidem; nam Cyprianus respondet etiam perfusos gratiam consequi, Deo *credentibus in Sacramentis salutaribus indulgentiam suam largiente.* Ego tamen non diffiteor Magnum de valore baptismatis hæsitasse; cum Cyprianus hisce verbis propositam sibi quæstionem exponat: *Quæsisti etiam, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eoquod aqua salutari non loti sint, sed perfusi.* Verum, ut dixi, scrupulum hunc Sanctus Martyr exemit, temperanter simul, & eruditè. Cornelius autem ea phrasi carpit Novatianum, qui nulla fide, nulla recta intentione, nulla observatione canonum, aqua baptismali perfusus, nec liberatus, à morbo perficiens reliqua juxta Ecclesiasticam regulam, nec ab Episcopo consignatus, refragante universo Clero, per gratiam Episcopi contra præcitatum canonem à Synodo Neocæsarienſi innovatum, ad presbyteratus gradum conscenderat: quæ, aliáque eo loci ab Eusebio conscripta ostendunt quanta improbitate Novatianus parvipenderet Sacramenta, Cæterum illum fore rebaptizandum minimè asseruit Cornelius, quod affirmasset utique, si Novatiani baptismum irritum existimasset. Mitto quod tam Magni, quam Cornelii verba dubitantis sunt, non asserentis: nec mirum, si judicium non proferunt suum, contemnentibus compluribus Ecclesiasticam disciplinam. Ad ultimum dicendum cum Arcudio non reprobatum in Eunomianis baptismum, eoquod semel immergerent, sed quia cum una mersione utebantur formula fidem Trinitatis labefactante Theodoretus quippe, ad ea verba: *Dicens non oportere ter mergi eum, qui baptizatur*, μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, addit, *nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi*, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ. S. etiam Epiphanius violatam ab Eunomianis formulam ad hunc modum recitat h. LVI. nunc LXXVI. pag. edit. Petavianæ 992. εἰς ὄνομα θεοῦ, ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου ὑπὸ κτισθέντος, *In nomine DEI increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & à creato filio procreati.* Ex quo loco diligenter exscripto vides decipi virum doctum, Gasparum Juenin, qui Arcudium de affictis Epiphanio his verbis reprehendit. De immutato autem ab Hispanis mersionum ritu dictum supra.

ad 2.

ad 3.

ad 4.

ad 5.

## *APPENDIX.*

SUnt qui hoc loco inquirunt, quonam modo olim baptizati mergerentur. Plura de his Vicecomes libro IV. cap. IX. & seq. Martene lib. I. cap. I. art. 14. necnon Vossius disput. I. thesi 6. Primo itaque immergebantur nudi, quo ritu demonstrabatur *exuere baptizatos veterem hominem;* & imitabantur Christum, *qui in cruce nudatus principatus & potestates hujus sæculi spoliavit*, ut eleganter docet S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. XVII. & II. Mystagogica à principio, S. Joannes Chrysostomus Hom. VI. in Epist. ad Coloss. D. Anselmus in cap. 3. Matth. & Bernard. serm. 46. de Paupertate. Denudabantur verò non solùm adulti, verùm etiam infantes; ut liquet ex Sacramentario Gregorii, & Ordine Romano. & ex Alcuino cap. 19. de div. Off. nec non mulieres, ut constat ex iis, quæ de Conone presbytero narrat Eviratus cap. IV. Prati Spiritualis, & ex iis, quæ contigerunt Constantinopoli, dum è Sede sua armata manu dejiceretur Joan. Chrysostomus, ut ipse scribit

De modo mergendi.

bit in Ep. ad Rom. Pontif Innocentium. Exhibent hujus denudationis consuetudinem imagines Romani, Agilulfi, Theodolindæ, aliæque supra è Ciampino memoratæ, necnon quæ conspicitur in Ecclesia Mediolani Ambrosianæ Basilicæ proxima, nudos exhibens in baptismali lavacro S. Patrem Augustinum, Alipium, ac puerum Adeodatum. Mulierum autem pudori non una ratione consultum fuit. Priscis temporibus solæ Diaconissæ nudabant fœminas, dabantque operam, ne à ministrantibus conspicerentur, ut legitur lib. III. Constit. Apostol. cap. XV. apud Epiphanium hær. LXXIX. quæ est Collyridianorum, Justinian. Novella VI. cap. 6. In *Elemento* γ cap. 13. Matthæi Blastaris, & apud alios in Notis Const. Apost. pag. 387. Deinde mulieres tingebantur in loco à viris separato, & post exorcismum à masculis discedebant, ex Cyrillo Hieros. in Præf. Catech. ex Ordine Romano, & ex libro XXII. Augustini de Civit. Dei cap. 8. Alicubi etiam cortinæ, & vela obducebantur: qua in re merito commendatur apud Surium die 22. Julii, & apud Continuatores Bolland. tom. 1. Jul. pag. 395. solicitudo sancti Ottonis Pomeranorum Apostoli.

10. Immersio fiebat in modum crucis.

Immersio præterea baptismalis in modum crucis peragebatur. In Ordine Æthiopum præscribitur, ut qui baptizatur ter attollatur ex aquis, *à fonte, à tergo, & altero laterum.* Jacobitæ baptizandum componunt in modum crucis. S. Bonaventura in IV. dist. 3. qu. 1. referens ritum, qui ætate quoque sua servabatur, ait baptizandum respicere *primò versus Orientem, secundò versus aquilonem, tertiò versus meridiem.* In trina demum mersione semel pronuntiabant integram baptismi formulam. In vet. Ordine Romano Tom. XIII. Bibliothecæ PP. legitur: *Baptizant eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocando, ita dicendo*, Ego baptizo te in nomine Patris, *& mergit semel:* & Filii, *& mergit iterum:* & Spiritus sancti, *& mergit tertio.* Haud secus Rituale Gregorii XIII. pag. 14. *Trina cum mersione baptizet, semel tantum dicens*, Ego te baptizo in nomine Patris, *mergat primo:* & Filii, *mergat secundo:* & Spiritus sancti, *mergat tertio:* atque ut id servetur, dum baptismus datur per infusionem, mandat cum idem Rituale, tum editum jussu Pii V. Negari non potest id ex antiqua traditione fluxisse, scribente Tertulliano contra Praxeam cap. 26. *Ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Sacrilegè ergo se gereret, qui ad unamquamque mersionem repeteret singula *formæ* verba, eundemque baptismum impiè repeteret; quod monuit sapienter S. Thomas 3. p. q. 66. art. 8. ad 3. comprobatque ipsa ratio repetitæ materiæ, & formæ, quibus integrum perficitur Sacramentum. Hac in parte jure, meritóque Alcuinus invehitur in quosdam Hispanos, qui dum alii unam servabant mersionem, ipsi trinam faciebant, *& unaquaque mersione invocationem sanctæ Trinitatis; ac per hoc tres personas ter nominare studentes, dum ipsa veritas præceperit: ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quid opus est tertiò replicare, quod semel dictum sufficit?* Ita ille Epist. ad Paulinum Patriarcham 81. aliàs 66. pag. 1609.

# CAPUT VII.

## Quædam circa modum abluendi quæstiones.

### *SUMMARIUM.*

1. Baptizans non abluat quocunque modo pro libitu.
2. Non est necessarium abluere totum corpus.
3. Aqua fervens aut venenata adhuc est materia valida.
4. Quid sentiendum de projectione infantis in puteum.

1. Baptizans non applicet quemcunque abluendi modum pro libitu.

AT quæres, si etiamnum obtinet baptismus per infusionem, aut per immersionem collatus, poteritne qui baptizat, unum, aut alterum abluendi modum servare pro libitu? Dixi supra, in hoc servandam consuetudinem Ecclesiarum, necnon Baptisteriorum formam. Nemo errare hac in re poterit, si tria, quæ mox subjiciam, teneat monita. Est primum, ne memoria excidat canon

non XIII. sess. VII. Triden. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Accedit Augustini regula in Epistola LIV. ad Januar. n. 6. ubi de iis, quæ per loca, regionesque variantur, inquit: *Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem est, aut contra mores, hinc, vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat.* Et supra, num. 2. *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est.* Animadvertendum denique, ex rituum quoque diversitate oriri aliquando schismata, plebisque Christianæ scandala: ad quæ compescenda, diximus supra canone VI. quarti Toletani Concilii simplam mersionem auctoritate beati Gregorii fuisse præscriptam.

## II.

2. Non est necessarium abluere totum corpus.

Inquires præterea, an baptismus valeat, si abluatur aliqua tantum pars corporis, & quænam sit abluenda? Ad hæc respondeo necessum non esse, ut totum prorsus corpus aqua perfundatur. Damnat quidem Theodoretus lib. IV. Hæret. fabul. pag. 236. Eunomianos, eo quod baptizandum aqua usque ad pectus superiori parte tantum madefacerent; & posteaquam quidam capite ad solium illiso vulnus accepit, excogitarint baptismi genus aliud, quo baptizandum in subsellio extendentes, erectum ipsius caput lavabant, nullo alio membro corporis attincto; aut tænia quadam longissima hominem à pectore usque ad ungues pedum involvebant, ne aquâ illic ullatenus madefieret. Verùm duo hic notanda sunt: unum, Eunomianos in baptismate Trinitatem non invocasse, quod innuit idem Theodoretus, ac nos paulo supra observavimus: alterum, hæreticos illos *aquam non adhibuisse reliquis partibus, tanquam execrandis*, τοῖς δὲ ἄλλοις μορίοις τοῦ σώματος ὡς ἐναγέσι προσφέρειν τὸ ὕδωρ ἀπαγορεύσαν, ait eo loci Theodoretus: ex quo PP. S. Mauri in notis ad illa Ambrosii verba, *Quomodo sapiens Marcion, atque Eunomius, qui malunt Deum malum, quam bonum habere?* lib. I. de Off. Ministr. cap. 25. num. 117. rectè inferunt, Eunomium Arii blasphemiam nova impietatis accessione cumulasse, & cum Marcione induxisse Deum malum, à quo procreatas autumavit inferiores partes humani corporis, malas proinde in sensu ejusdem Eunomii, atque execrandas. Eunomium à Manichæis errores hausisse prænotaverat in notis ad Canones Concilii Gangrensis Severinus Binius Tom. II. Concil. pag. 434. His autem præmissis, affirmo immergendum esse, aut abluendum saltem baptizandi caput, quod humani corporis pars præcipua est, & in quo facultates omnes sensuum, ut inquit 3. p. q. 66. art. 7. ad 3. S. Thomas, vigent, suaque exercent officia; nec non, si philosophis plurimis assentimur, residet rationalis anima, in ea cerebri glandula, quam Anathomici appellant *Conarion*, excipiens animales spiritus, rerumque corporearum imagines. In capite ergo ablutus homo, dubio omni procul baptizatus est: secus si in vestibus, & in capillis tingatur, nec aqua ad cutem pertingat. Etsi enim Dominicus Soto in IV. dist. 3. art. 7. ablutum in capillis rite baptizatum pronuntiat, quoniam vulgari idiomate, si aqua soli perfundantur capilli, dicitur caput ablui; imo & de tinctis vestibus, asserat esse rem valde dubiam; hanc tamen opinionem fere omnes explodunt: rejiciuntque pariter sententiam Durandi, scribentis sat ad baptismum esse, si aquâ minimus digitus, aut externa alia pars abluatur. Vide Suaresii disp. 20. in præcitatam tertiæ partis quæstionem. Certum est graviter eum peccare qui cum possit abluere caput, tingit corporis partem alteram, etiam pedem, aut brachium. Necessitate tamen urgente, E. G. si materno ex utero puerulus emitteret manum unam, perfundi debet pars, quæ apparet, juxta præscriptum Ritualis Romani tit. de baptiz. parvulis, ubi hæc habentur: *Nemo in utero matrum clausus baptizari debet: sed si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Similia S. Thomas q. 68. art. XI. ad 4. Ex hac præscriptione intelligi-

Saltem caput abluendum est.

Aliter abluentes peccant.

intelligimus, non constare de validitate baptismi, si alia à capite pars abluatur; quandoquidem *forma conditionalis* adhibenda non est, *nisi re diligenter perveſtigata probabilis ſubeſt dubitatio*, ut recte monet idem Rituale titulo præced. & Catechismus Rom. P. 2. cap. 2. num. 57. quod & nos libro superiori advertebamus. Nec probat oppositum Ecclesiastica sepultura eo modo baptizatis concessa: hanc enim jure Ecclesia impertitur, quia nemo in dubiis æquo, justoque exspoliatur.

III.

3. Aqua fervens, aut venenata adhuc est materia valida.

Præterea inquires, num si ablutio fiat, ut baptizato necem inferat, sit verus baptismus? Si ablutionis servetur natura, puta si infans ferventi, aut venenata aqua perfundatur, ac debita adhibeatur *forma*, nec desit intentio, non videtur de hac re dubitandum; affirmatque etiam Scotista Henno disp. 2. de Baptismo q. 3. Enimvero quod aqua fervens sit, aut veneno infecta, ipsius non immutat proprietatem: nec si abluens intendat effectum pravum, vanum redditur Sacramentum, etiamsi nedum interimere infantulum, verum & illum devovere diabolo cogitaret minister immanis ac scelerosus: quod vidimus libro superiori disputantes de intentione. At si baptizandus projiciatur in puteum, vel flumen, unde nequeat emergi; valere baptismum negat Scotus in 1 v. dist. 4. q. 3. cui non solum accessere peracuti illius scholæ disputatores, ut Mastrius disp. 2. de Bapt. q. 2. art. 1. & Frassen Tom. x. pag. 258. aliique, uno excepto Brancato, verum & exterorum nonnulli, quos ibidem num. 39. laudat citatus Mastrius, & quibus addo Dominicum Soto in 1 v. dist. 3. art. 8. Habert cap. 3. q. 3. hanc inutilem disquisitionem appellat, cum nemini liceat quovis prætextu necare innocentem; ideoque nefas est, etiam periclitantem infantem in fundum projicere. At id etiam Scotus affirmat dist. v. q. 3. nec disquiritur an fas sit hoc facere, sed an baptizatus sit puer, si istud fiat. Videtur baptizatum non esse ob ea, quæ sequuntur. Primum, si puer projiciatur in puteum, quod aliquando contigisse refert Panormitanus, nec infunditur aqua, nec aspergitur, nec immergitur; non enim est forma mersionis, ubi nulla succedit emersio: ideoque illa projectio nullam habet speciem ablutionis. Juxta enim communem loquendi modum, quod ita immergitur, ut non emergat, non dicitur ablui. Quis etenim vel sordidum canem in altum demergens puteum, unde non posset evadere, diceretur illum lavare, non autem perdere & occidere? Atque hoc argumento movetur Dominicus Soto. Deinde baptizari quisque debet in mortem Christi, qui ita sepultus est, ut resurgeret. At nisi emersio sit; nec resurrectionis est symbolum. Tandem baptismus ex Christi institutione ordinatus est ad vitam illius, qui baptizatur; ideoque ablutio, quæ mortem infert, non baptismus dicendus est, sed flagitiosum, crudelissimumque homicidium. 2. 3.

Projectio infantis in puteum &c. obest valori juxta Scotum ob rationes seqq.

1.

Est tamen communior sententia opposita, quam & propugnant nostrates, Gavardi q. 2. de Baptismo art. v. Vanroy cap. 1. q. 4. Guerrero Tract. VII. disput. 2. num. 43. & Piette P. v. pag. 374. Hæc innititur communi principio: quod duo tantum pertineant ad substantiam Sacramentorum, verbum, & elementum, Ratio autem abluendi omnino indifferens est, modo aqua physice tangat corpus. Hinc est obvia, nec semel repetita S. P. Augustini sententia Tract. LXXX. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tria etiam ad perficiendum Sacramentum necessaria esse, materiam, formam, & intentionem, auctoritate Conciliorum Sanctorum definitum est. Quid ergo in casu ad Sacramenti perfectionem deest, si projiciens puerum in flumen formam proferat, intendatque facere quod facit Ecclesia? Nec quicquam obest, quod actio impia sit, mortemque inferat. non enim impietas, & sacrilegium ministrantium reddit nulla & irrita Sacramenta. Nullam præterea difficultatem ingerunt contraria argumenta, si primum excipias. Ad alterum enim optime responsum à Theologis, puerum, qui aquis suffocatur, resurgere ad vitam spiritualem; baptismus enim est figura mortis, & resurrectionis Christi, quatenus in baptismo peccatis morimur, & ad gratiam resurgimus, ut docet Apostolus ad Rom. VI. 4. atque nos cap. præcedenti, aliisque in locis animadvertimus. Tertia quoque objectio exsufflatur, siquidem baptismus non ad vitam corporis, sed ad vitam spiritus fuit institutus: quod si ablutio mortem inferens nunquam esset baptismus: nec baptizatus foret parvulus, qui venenatis aquis a facinoroso ministro perfunderetur. 4. Juxta communiorem talis immersio adhuc propugnatur ut valida. Respondetur ad rationes Scoti ad 2. ad 3.

Ad argumentum ergo priori loco positum, & quod unice aliquam speciem habet difficultatis, nego *immersionem* recte non appellari nisi succedat emersio, cum potius *immergi*, & *emergi*, quemadmodum & *aspersio*, & *abstergi* invicem opponantur. Quare sicut vere quis aspergeretur aqua, etsi post aspersionem ad 1.

sionem non abstergeretur; ita vere, proprieque immergeretur, quamvis postea non emergeretur. Imo, si vim latinorum verborum attendamus, *immergere* non aliud sonat, quam intus *mergere*, & veluti *in profundum obruere:* atque ne proferam exempla ex Cicerone, Plauto, aliisque à Nizolio in Thesauro latin. linguæ collecta; sane non petebat extrahi ab undis, sed discerpi, dilacerari, & in profundum projici, qui apud Virgilium in tertio Aeneid. ajebat:

*Pro quo si sceleris tanta est injuria nostri,*
*Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.*

Ablui etiam dicitur, quod sordidum cum sit, flumini immergitur, tametsi fundum petat; veluti si in limpidam Versiliam projicias squalentem concham. In mersione catuli, etsi pereat, ablutionem non fieri negamus; idque potiori jure in puero, qui mersus flumine vitam perennem consequeretur. In eum siquidem quadraret illud Paulini pag. 144.

*Sic homo & occasu felici functus, & ortu,*
*Terrenis moritur, perpetuis oritur.*

Atque his dissertationi *de materia baptismatis* finem constituo.

# CAPUT VIII.

## Pertractatur de *forma*, qua Sacramentum Baptismi perficitur.

### *SUMMARIUM.*

1. Latini utuntur formâ baptismi legitimâ, antiquissimâ, & certâ.
2. Forma Græcorum est enuntiativa, & non deprecativa, adeoque valida.
3. Cur antiqui Scholastici contrarium opinati fuerint.
4. Plures sunt formæ ab hæreticis fictæ, & falsæ.

SEquitur, ut disseramus de Baptismatis *forma*, sive de verbis, quibus consecratur aquæ elementum. Agendum autem primo de *forma* illa, quam adhibet Occidentalis Ecclesia; tum de ea, quæ in usu est in Ecclesia Græcorum; tandem de illa, quam invexit ac multifariam labefactavit hæreticorum audacia.

I. Propositio 1. Latini utuntur formâ baptismi legitima, antiquissimâ & certâ. Prob. 1. esse *legitimam.*

PROPOSITIO I. Legitima est, antiquissima, & omnino certa verborum formula, qua baptizant Latini.

His verbis hæc formula continetur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Legitimam hanc *formam* esse satis commonstrat decretum Eugenii Papæ ad Armenos Tom. XIII. Conc. pag. 535. Tridentina Synodus sess. VII. can. 4. de Baptismo Tom. XV. pag. 778. Rituale Gregorii XIII. pag. 14. & Pii V. primæ edit. pag. 18. Accedit consensus omnium Ecclesiarum Occidentis; eadem quippe *forma* utitur à priscis temporibus Ecclesia Gallicana, ut liquet ex Constitut. Synodicis Odonis Episcopi Parisiensis, Tom. X. Conc. pag. 1802. & ex antiquo Missali Gothico-Gallicano apud Thomasium pag. 334. ac Martenium Volum. I. pag. 171. Item Ambrosiana sive Mediolanensis, Hispanica, aliæ: inter Hæreticos etiam Reformatos eadem *forma* viget; unde Vossius disp. 2. de Baptismo th. V. etsi temere ait nequaquam Salvatorem nos verbis istis adstrinxisse, quod proximo capite refutabitur, subjicit tamen: *Ita per totum orbem & olim obtinuit, & nunc fit, ideoque satis verisimile est, morem istum ab Apostolico promanare exemplo.* Utuntur eadem formula Hugonistæ apud Martinum Marloratum pag. 83. De Orientalibus postmodum.

II. Eam esse antiquissimam constat ex Sacrament. Gregorii Tom. III. pag. 73. & ex Ordine Romano Tom. XIII. Bibl. PP. pag. 697. Et quidem semper invocationem Trinitatis in baptismo fuisse expressam, demonstrabitur sequenti capite; de verbis autem illis *Ego te baptizo*, dubitarunt nonnulli, quod horum non extet ante Magnum Gregorium, & per quinque priora sæcula expressum testimonium; sed, ut infra ostendam, immerito; enimvero S. Gregorius non primus eam *formam* invexit, sed descripsit tanquam ritum communi Latinorum usu receptum: quod recte observat Juenin quæst. IV. cap. 3. art. 1. & q. 3. cap. 4. Ludovicus Habert. 2. esse *antiquissimam.*

III. Hujus formulæ perfectionem ostendit, quod in ea non deest invocatio 3. esse *certam.*

catio Trinitatis expressa, cujus pronuntiatione sacrum perfici lavacrum exploratissima traditio est: cætera autem verba tingendi actum & baptizantis ministerium significant. Bene præcitato loco Eugenius: *Quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Haud secus S. Thomas q. LXVI. art. 5. & Catech. Rom. de Baptismo num. 13.

2. Propositio 2. Græcorum *forma* est enuntiativa, valida nec substantialiter distincta à latina. Prob. 1. esse *enuntiativam.*

PROPOSITIO II. Græcorum *forma* enuntiativa est, non deprecativa: valida & ipsa est; nec ab ea, qua utuntur Latini, substantialiter differt.

Non tantum superioris ævi Scholastici, verum etiam viri alii doctissimi existimarunt Græcos in baptismate conferendo uti hac formula, *Baptizetur servus Christi, in nomine Patris, &c.* At post evulgata Orientalium Euchologia oppositum sentiunt docti recentiores, Juenin cap. 2. art. 1. Habert cap. 4. q. 3. Tournelius q. 1. art. 4. Auctor de Re Sacram. cap. 3. §. 2. atque ante hos omnes Farvaquesius noster cap. III. q. 2. Certa ad hanc rem demonstrandam argumenta suppeditant Arcudius lib. 1. Concordiæ cap. 8. Goarius not. in Euchol. Græc. pag. 365. Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 16. & Martenius Antiq. Rituum lib. 1. cap. 14. num. 17. Et quidem Euchologium Græcorum pag. 355. hanc formam præscribit: Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. νῦν, ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. *Baptizatur servus Dei in nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Quidam Rituales libri repetunt vocalem *Amen* post quamlibet Sanctæ Trinitatis personam, ad hunc modum, *Baptizatur servus Dei in nomine Patris, Amen; & Filii, Amen; & Spiritus Sancti, Amen.* Parum differunt formulæ Jacobitarum, & Maronitarum, de quibus Faustus Naironus in Euoplia Cath. fid. p. 2. cap. 2. omnes siquidem proferuntur enuntiative, *Baptizatur, &c.* Nec aliter Ordo Aethiopum Severo attributus. Eadem ratione baptizatum Judæum, de quo supra cap. IV. narrat in Prato Spirit. loco ibidem citato Joannes Moschus.

2. *validam*

II. Validam esse prædictam baptismi *formam* constat primo, quia eandem valere scribit in prælaudato decreto, sive Instruct. Armenorum, Eugenius IV. deinde, quia validè Græcos, ea formula baptizare, nec ad eam immutandam cogendos esse, definiere post Eugenium Leo X. in Bulla, *Accepimus nuper*, emanata die 18. Maji an. 1521. & Clemens VII. in Bulla, *Provisionis nostræ*, emissa die 26. Martii an. 1526. De his consulas Leonem Allatium in Opere de Ætate, & interstitiis in Collat. Ordinum pag. 5. Præterea Ecclesia Latina baptizatos à Græcis iterum non baptizat, ideoque Græcorum baptismum tanquam legitimum approbat. Si denique nonnulli ætate D. Thomæ, ut ipse refert in IV. sent. dist. 3. q. 2. art. 2. dubitarunt de valore baptismi *forma* Græcorum collati, in eam dubitationem venerunt, propterea quod opinabantur *deprecativam* esse eandem *formam*, non autem *enuntiativam.* At exposa est modo hæsitatio ista, primum quia ex præcitatis Euchologiis, & Ritualibus, cum editis, tum asservatis in Bibliothecis Barberiniana, & Cryptæ Ferratæ, compertum est Græcorum *formam* habere βαπτίζεται, *Baptizatur*, non βαπτιζέσθω, *Baptizetur:* nec ulterius ambigi potest, quin *enuntiativa* ea sit. Præterea quia etsi legeretur, βαπτιζέσθω, *Baptizetur*, Imperativi modi esset, non Optativi. Postremo, quoniam *deprecativa* etiam formula judicio Theologorum, quibus præcedenti libro subscripsimus, *formæ substantiam* nequaquam immutat.

3. non distinctam &c.

III. A Latinorum *forma* hanc Græcam *substantialiter* non discrepare ulterius evincitur, quoniam utraque exprimit actionem tingendi, expressamque habet invocationem Trinitatis: imo testimonio Græcorum qui baptizat, dum ait, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, subintelligit, ὑπ' ἐμοῦ, sive, *di ἐμοῦ, a me*, aut, *per me:* idque constat confessione Simonis Thessalonicensis, qui apud Goarium pag. 356. & apud laudatum Arcudium pag. 16. inquit, τὸ βαπτίζεται τὸ ἐκάστου σημαίνει, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ ἀρχιερέως ἢ ἱερέως, καὶ τὸ ἔργον ἤδη ποιοῦντος, καὶ τοῦ ἐν τριάδι μόνα θεοῦ, nimirum, *Illud baptizatur spontaneam actionem significat, & per me Pontificem, vel Sacerdotem, opus ipsum actu exequentem; & per unum in Trinitate Deum*, Repetitio autem vocalis *Amen*, & additio vocabulorum, *Servus Dei*, sive, *Agnus in grege Christi*, aut laciniæ aliæ, *in vitam æternam*, vel, *in remissionem peccatorum*, minime *formæ* proprietatem adulterare cuique notum est, pinguissimæ licet minervæ.

3. Cur Majores opinati sunt Græcos uti τὸ *Baptizetur*

At enim dicis: Unde præterita ætate invaluit opinatio, à Græcis *formam* adhiberi illam, *Baptizetur Servus Dei, &c.?* Id quippe non tantum affirmavere rudes quidam Scholastici, sed celebrio-

brioris nominis, ducesque aliorum; nec non Eugenius IV. in Instructione Armenorum edita eo tempore, quo in Italiam convenerant viri Græcorum rituum peritissimi, nec Græci sermonis ignari. Quid etiam potuit esse causæ, ut vetus Græcia ab Occidentalium consuetudine in hac parte discederet, unde posterioribus temporibus Schismatici adversus Romanam Ecclesiam pervicaciores evaderent?

Responsio. Respondeo promanasse opinationem Majorum partim ab affinitate inter Græcum Βαπτίζεται, & Latinum *Baptizetur*, partim vero à consuetudine jurandi in verba Magistri, atque à temporum rusticitate ac barbarie. At Eugenius, me judice, ritum Græcum perfecte novit, scribens enim in decreto, *Non negamus quin & per illa verba, Baptizetur talis Servus Christi, &c. vel, Baptizatur manibus meis tatis, &c.* utrumque definit, id est, & valere baptismum datum *forma* Græcorum, quam Scholastici proferunt *modo deprecativo*, & valere collatum *forma* illa, quæ *enuntiativa* est: nisi mavis dicere etiam priori loco legendum, *Baptizatur*, ita enim legit Leo X. & Clemens VII. in prælaudatis Constitutionibus apud Allatium: mihique propterea commendanda hoc loco est eruditio eorum, qui in postremis Conciliorum editionibus ea voce *Baptizetur* * asteriscō confixa, apposuerunt in margine, *Baptizatur*. Hanc vero formulam potius Græci adhibuerunt, quia cum initio nascentis Ecclesiæ alii se aliis præferrent, quod baptizarentur à viris præstantioribus, ut narrat Apostolus in 1. ad Corinth. 1. 12. maluerunt quidam uti verbo *Baptizatur*, quam *Ego baptizo*, ne quis schismati occasionem præberet, aut opinaretur homines propria, non Christi potestate baptizare. Atque hinc Joannes Chrysostomus Hom. 1. in Acta pag. 453. animadvertit etiam Dominum JEsum dixisse Apostolis Act. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*, non, *Vos ego baptizabo*, διδάσκων ἡμᾶς ταπεινοφρονεῖν, *docens nos, ut modeste de nobis sentiamus.* Causam vero hanc observarunt, non solum Gabriel Philadelphiensis apud Arcudium, sed etiam S. Thomas Aquinas, Alphonsus Castrensis, atque alii. Quod ergo principio humilitatis fuit, modo factum est Græcis argumentum temeritatis; dum baptismum nostrum ob unam voculam spernunt, nobis baptismum eorum, vocibus pluribus, utique superfluis, collatum minime reprobantibus. Neque enim nos propria auctoritate baptizamus in partes, ut Corinthiorum Ecclesia, discissi; quemadmodum, nec arbitramur cum Donatistis pendere vim Sacramenti à sanctitate ministri, adeo, ut jure obnoxii simus increpationibus, quas modo in nos Græculorum loquacitas, & olim adversus Donatianos Tract. VI. in Joannem, & sermone XCIX. magnus Augustinus intorsit. Finem faciamus Caryophili verbis:

*Perbene Romanus, bene Græcus mystica profert*
*Verba: unus meriti Conditor, una fides.*

4.

Propositio 3. Plures sunt formæ ab hæreticis fictæ & falsæ.

PROPOSITIO III. Quamplures sunt baptismi *formæ* ab hæreticis confictæ, quæ tollunt Sacramenti veritatem.

1.

Harum formularum prior sit, quam commemorat canon 48. inter Apostolicos Tom. 1. Conc. pag. 35. & cap. *Si quis Presbyter*, de Consecr. dist. 4. eorum scilicet, qui baptizabant *non in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, sed in trium principii expertium vel trium filiorum, vel trium paracletorum,* μὴ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀναρχες, ἢ τρεῖς υἱὸς, ἢ τρεῖς παρακλήτους. Proscripsit iterum eandem *formam* anno 538. Vigilius Papa in Epistola ad Eutherium, sive potius ad Profuturum, ut observarunt Baluzius, & Pagius ad præcit. annum pag. 563. 11. Voluminis.

2.

II. Aliam *formam* excogitarunt Gnostici apud Irenæum libro 1. cap. 21. num. 3. his verbis utentes, *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo, qui in JEsum descendit, in unione, & redemptione, & communione virtutum:* εἰς ὄνομα ἀγνώστε παντὸς τοῦ ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν καταβάντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Addit S. Martyr, alios hebraica quædam vocabula, ut magis eos, quos initiabant, in stuporem traherent, protulisse, ipsaque vocabula Græce describit, βάσημα, καμοσὴ, βαιανορὰ, μυσταδία, ρααδὰ, κεχὰ, βαβοφορ, καλαχθεὶ, *Basema, Chamossi, Baeanora, Mystadia, Ruada, Custa, Babophor, Calathi*, quæ & interpretatur, *Id quod virtutem omnem exsuperat, invoco, quod lux & spiritus bonus, & vita nominatur, quoniam in corpore regnasti.* Meminere hujus formulæ Eusebius lib. IV. H. E. cap. 11. pag. 124. Theodoretus lib. 1. hæreticarum Fabul. Tom. IV. pag. 201. ubi pertractat de Marco Præstigiatore, & alii. Hebraica tamen verba non uno modo Gnostici illi, à Marco *Marcosii* appellati, proferebant: aliter enim ea describit in Thesauro Orthodoxo Nicetas Choniates lib. IV. cap. 6.

Tomo

Tomo xxv. Bibl. PP. pag. 113. aliter citato loco Irenæus, ac Epiphanius hær. xxxiv. num. 20. pag. 255. adeo, ut non male Feuardentius in Iren. Marcosios æquiparaverit magis monstrosa attentantibus occultorum vocabulorum susurramine, ut Eclog. viii. cecinit Maro.

*Carmina vel cælo possunt deducere lunam:*
*Carminibus Circe socios mutavit Ulisses;*
*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Sapientissime: enimvero & in Marcum præstigiatorem senex quidam apud Irenæum lib. i. cap. 15. num. 16. invectus est carmine, quod incipit,

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,

*Idolorum fabricator Marce, & portentorum inspector,*
*Astrologiæ cognitor, & magicæ superstitionis.*

At de Gnosticis, & Marcosiis satis.

3. III. Permulti etiam Ariani ex impio eorum dogmate formulas quasdam fabricarunt; nam Athanasius Orat. iii. affirmat Arianos baptizare, εἰς κτισὴν, καὶ κτίσμα, εἰς ποίημα, καὶ ποιητὴν, *in Creatorem, & creaturam;* & Hieronymus adversus Luciferianos, *In Patre solo vero Deo, & in Jesu Christo Salvatore, & in Spiritu sancto utriusque servo.* Videntur nihilominus horum Patrum verba accipienda esse, non de prolatione *formæ*, sed de fide, animoque proferentium; primò quia Athanasius eo loci scribit, *alias quoque hæreses nomine tenus ritum ipsum*, (id est, trium divinarum personarum pronuntiationem) *exprimere, & tamen quia sanam fidem non retinent inutilem esse aquam, quam impertiunt.* Atque *ita* (inquit eadem Orat. 3. nunc. 2. num. 43.) *qui cum Ario sentiunt, licet quæ scripta sunt retineant, & nomina pronuntient, eos tamen, qui ab illis accipiunt baptisma, decipiunt, & eludunt.* Præterea Hieronymus citato Dialogo Tom. iv. pag. 305. reprehendit Hilarium Diaconum, appellatque *Orbis Deucalionem*, propterea quod rebaptizasset Arianos, non autem ab aliis hæreticis venientes: quod sane non fecisset, nisi Ariani illi communem formam servassent. Ad hæc Innocentius I. epist. 18. ad Alex. Tom. 2. Conc. pag. 1269. ait Arianorum baptisma ratum esse, *quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti perficitur.* Gregorius etiam Epist. 67. lib. xi. affirmat Arianos in communionem recipi per solam manuum impositionem, *quia in Trinitatis nomine baptizantur.* Extat idem apud Grat. c. *Ab antiqua*, de Consecrat. dist. iv. num. 44. Dixi tamen permultos Arianos *formam* variasse; nam Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum ait Anastasio I. imperante, Deuterium Arianorum Episcopum baptizasse quemdam, nomine Barbam, hac sub formula. *Baptizatur Barbas in nomen Patris, per Filium, in Spiritu sancto,* Βαπτίζεται Βάρβας εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, διὰ υἱοῦ, ἐν ἁγίῳ πνεύματι, pag. edit. Valesii, post Evagrium, 562. Addit Theodorus, hac forma pronuntiata statim aquam, quæ erat in *Colymbethra*, id est, piscina evanuisse. Rebaptizatam quoque in Gallis Brunichildem, sive Brunam filiam Athanahildi Regis Gothorum, uxoremque Sigeberti scripsit lib. iii. Hist. Francorum cap. 4. pag. 47. Aimoinus Monachus Floriacensis: quod argumento est, Gothos Arianos legitimam baptismi formulam nequaquam servasse. Hinc sapienter præscribunt canones, ut qui ex hæreticis ad nos veniunt. *si in sanctæ Trinitatis nomine baptizati sint*, iterum non baptizentur, cap. *Si qui apud illos. Quamvis unum. Ostenditur illos*, dist. iv. de Consecrat. secus si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati non sint, cap. *Si revera*, & *Quos à paganis*, & *De Arianis*, eadem distinctione. 4.

IV. Baptismi *formam* adulterarunt Eunomiani, & Aetiani, quos Trinitatem minime invocasse scribit Theodoretus lib. iv. hæret. fab. pag. 236. & usurpasse hanc formulam, *in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & à creato filio procreati*, refert Epiphanius hæresi lxxvi. pag. 992. At de his supra, ubi differuimus de trina, aut simpla mersione. 5.

V. In Trinitatis nomine nequaquam baptizatos Bonosiacos, & Cataphrygas, scribit laudata Epistola 76. Gregorius Magnus, & refertur à Gratiano prælaudata distinct. iv. cap. *Hi verò hæretici.* Cæterum qua *forma* Bonosiaci tingerent, me fugit. Eos quoque, sicut Arianos, non eundem ritum ubique servasse, & aliquando baptizasse in Trinitatis nomine, constat ex canone 17. Concilii 2. Arelatensis, quo præscribitur, ut Bonosiaci interrogentur de fide Trinitatis, & an hujus invocato nomine baptizati sint: prout citato cap. *De Arianis*, seu, *De Afris*, anno 314. statuit Concilium primum Arelatense.

VI. Accensendi sunt perversarum formularum fabricatoribus Montanistæ, quorum baptismum nullam habere rationem, scribit in Epistola Canonica ad Amphilochium Tom. 2. pag. 757. S. 6.

Basilius,

Basilius, eo quod baptizarent, εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ μοντανὸν, ἢ πρίσκιλλαν, *in Patrem, & Filium, & Montanum, sive Priscillam*, Spiritum sanctum summa afficientes injuria *per comparationem cum hominibus*, ut ibidem inquit Basilius: unde & Gregorius Magnus epistola non semel laudata inquit: *Isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt.* Hos ego à Cataphrygis, de quibus supra, non distinguo, ductus auctoritate Tertulliani de Præscript. cap. 52. quamvis istorum non una fortasse viguit doctrina.

7. VII. Perversa *forma* usos præterea dicimus, quotquot canon VII. Synodi I. Constantinopolitanæ, ac Trullanæ XCV, statuit rebaptizandos, Paulianos præsertim, sive Photinianos, aut Sabellianos, aliosque hæreticos, quorum præcipuas sectas commemoravimus, Trinitatem negantes, & Evangelicam *formam* abjicientes: de quibus legendus interim Lupus in præfatos canones, & quæ annotarunt PP. S. Mauri ad prælaudatam S. Gregorii Epistolam, nam de hæreticorum baptismate plura nobis repetenda erunt.

8. VIII. Denique & Novatores circa baptismatis *formam* errant quam maxime; etsi enim communiter adhibent apud nos usitatam, eam tamen minimè existimant necessariam, quoniam putant sola fide apprehendi justitiam, non conferri illam vi Sacramenti. Hinc Zuvinglius lib. de vera & falsa Relig. pag. 202. scribit valere baptismum quocunque modo conferatur, nec *formam* aliquam necessariam esse, quia baptizari in Dei nomen, nihil aliud est, *quam per fidem in Deum inseri.* Similia effutiunt Novatores alii; imo Lutherus de Capt. Babylon. cap. de Baptismo scribit: *Non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat baptismum, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini;* quia nimirum (juxta hæreticum dogma) *in suscipientis fide, vel usu, sita est virtus baptismi*, ut inquit ibidem hæresiarcha: quæ impia doctrina, quantum ad justificationem attinet, refutata est alibi; quantum verò spectat ad *formam* baptismi, proximo capite exagitabitur.

# CAPUT IX.

## Sintne ad valorem baptismi necessaria omnia verba, quæ ordinariam ejus *formam* constituunt.

## *SUMMARIUM.*

1. 2. 3. Ponuntur prænotanda.
4. Debet exprimi actio baptizantis per verbum *baptizo*, vel *baptizatur*.
5. Solvitur objectio:
6. Ratio à Theologis ad probandam propositionem communiter adhiberi solita non est firma.
7. Non valet baptismus absque expressa invocatione sanctæ Trinitatis collatus.
8. Satisfit objectionibus.
9. 10. 11. 12. Neque ab Apostolis baptismus absque invocatione Trinitatis expressa collatus fuit.
13. & seqq. solvuntur objectiones.

1. Prænot. 1. ad propositionem 1mam.

ORdinariam baptismi *formam* appellò sequentem, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen:* nec quæstionem moveo de pronomine *Ego*, aut de particula, *Amen*; illud quippe prorsus non requiri constat tum ex probata Græcorum formula, tum ex conditione verbi personam exprimentis: hanc verò particulam, *Amen*, esse quasi peracti Sacramenti acclamationem per se patet. Instituo igitur disputationem de reliquis partibus ejusdem *formæ*; ac principio de verbi, *Baptizo*, pronuntiatione. Rectè asseruit eruditus Lupus in dissert. de S. Leonis IX. Actis pag. primæ edit. 863. olim gravissimos Doctores existimasse *ad formæ essentiam* non requiri verba personam, & actum baptizantis exprimentia. Fuerunt in hac opinione Præpositivus in IV. p. Summæ, Petrus Cantor p. 2. & Stephanus Tornacensis, aliique refutati ab Alberto Magno in IV. dist. 3. His connumerat Tornely pag. 48. Magistrum Sententiarum; apud quem tamen invenies tantummodo verbum, quo consecratur baptisma, esse invocationem Trinitatis, qui est veterum, & recentiorum omnium communis sensus: de suppressione autem verbi, *Baptizo*, nil in IV. dist. 3. apud Magistrum. Impingit Tournelius opinionem illam, post Morinum lib. VIII. de Pœnit. cap. 16. & Hugoni Victorino

lib. 2. de Sacramentis part. VI. cap. 13. At ibidem Hugo affirmat tantum, puerulum ablutum à matre cum invocatione Trinitatis, animo non conferendi Sacramentum, sed sordes abstergendi, fovendique corpusculum, baptizatum nequaquam fuisse; at num mulier pronuntiaverit etiam verbum, *abluo*, *mergo*, *lavo*, aut aliud simile, ex illo capite non apparet. Certe Morinus rationes Stephani Tornacensis judicat esse probabiles; etsi fateatur post Alexandri III. decretum à Gregorio IX. lib. 3. Decretalium insertum, Tornacensis sententiam suo jure cecidisse. Hanc ergo ad lancem appendet diatribæ hujus pars prima.

2. Prænot. 2. ad propositionem 2dam.

In parte altera discutiam graviorem quæstionem, num ratum sit baptisma absque expressa sanctæ Trinitatis invocatione. Gravior est hæc controversia: Sociniani siquidem, Episcopius, Vossius, & Huldricus Zuvinglius, quamquam non vetant, dum initiamus baptismo, invocare Trinitatem, contendunt tamen id *ad essentiam baptismatis* non requiri, eo quod baptizari sit fide in Corpus Christi mysticum coaptari, non visibili Sacramento mundari à labe peccati. Eapropter ratum baptismum pronuntiant Christi solius nomine pronuntiato. Hoc postremum tenuit etiam Magister citata distinct. 3. lit. E. & Cajetanus ad quæst. LXVI. art. 5. & 6. à doctrina Præceptoris Angelici apertè desciscens, unde jussu Pii V. è Commentariis Summæ ipsa Cajetani sententia dispuncta fuit. Præcinuerant tamen Cajetano nonnulli antiquiores citati à Dominico Soto in IV. dist. III. art. 6. eumque secutus est Adrianus P. 1. art. 2. quæst. 2. Scotus, cui (sicut permultis veterum) placuit Apostolos in solo Christi nomine baptizasse ex divina dispensatione, licet fateatur communem *formam* promulgatam à Christo, dum ait Matth. ult., *Ite, &c. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* vacillat tamen in hac quæstione, scribens in IV. dist. 3. q. 2. *Non audeo dicere quod baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus, sed nec audeo dicere quod non esset baptizatus, quia non lego ubi fuerit ea dispensatio revocata.* Consimili modo anceps est eadem dist. art. 2. q. 5. Ricardus: quare in horum sententia baptizatus in solo Christi nomine, baptizandus iterum foret *sub conditione.* Nihil affinitatis habet Scholasticorum istorum opinio cum placitis hæreticorum; hi quippe nituntur nefario dogmati, quod nullis verbis aquæ elementum consecretur, & attollatur ad producendam gratiam: illi verò utrumque asserentes contenderunt, dum una sanctæ Trinitatis persona nominatur, subintelligi alias, adeo, ut idem sit baptizari *in nomine Christi*, & baptizari *in nomine Trinitatis.* Falsa tamen est, & secundo hujus capitis membro refutanda hæc opinio, quocunque sensu propugnetur; cum certa sit, & vera sententia, baptismum non consecrari, nisi expressâ sanctæ Trinitatis invocatione.

3. Prænot. 3. ad propositionem 3tiam.

Sed quid de Apostolicis temporibus asserendum est? Baptizarunt ne discipuli nomine solius Christi invocato? Affirmativam partem propugnant inter Scholasticos non ignobiles, non tantum antiqui celebratissimi, S. Thomas, Scotus, divus Bonaventura, & alii; verùm etiam posterioris ævi quamplurimi, & ætate nostra præclarus Scriptor Dominicanæ familiæ, quem tamen alter ejusdem instituti vir æque doctus strenue exagitavit. Poterit qui velit antiquorum illorum vestigiis insistere, adire ex Thomistis Gonet disp. 1. art. 3. & quos ille singillatim commemorat: è Scotistis verò Brancatum disput. 12. art. 5. Franciscum Henno disp. 2. q. 6. Claudium Frassen disp. 1. q. 6. Sed oppositam sententiam tenet major Doctorum numerus, Bellarminus, Suarez, Vasquez, Estius, Juenin, Tournelius, ac nostratium omnes, præsertim juniores, Farvacques, Gavardi, Vanroy, Piette. Animadverte autem nulla nos lege adstringi ad propugnandam illam veterum sententiam, salva etiam Scholarum necessitudine: primum quia antiqui pertractantes de baptismi *forma*, docuerunt Apostolos in solo Christi nomine baptizasse speciali Dei consilio, ut Christi nomen Judæis, & Gentibus redderetur honorabilius, non data opera disputantes, an revera eâ formâ baptizassent Apostoli, sed exponentes quædam loca ex Act. Apostolicis deprompta, quæ primo aspectu id videntur innuere: unde eorum sententia potius est propugnanda, qui in his locis expendendis, atque in Patrum investiganda traditione, animum nervosque intenderunt. Deinde ii etiam, qui Scholæ nomen dedere, nequaquam religioni duxerunt se hac in parte Magistri sententiæ obstringere, ut ex Thomistis fecerunt Dominicus Soto, Melchior Canus, Joannes Nicolai, & nuperrime Auctor librorum de Re Sacramentaria, ne commemorem Cardinalem Gotti, qui utramque sententiam censet esse probabilem. Scotistarum tamen nullum hactenus aut legi, aut audivi, qui vel in hac

hac minima re Subtili Doctori adverſetur, ſi unum excipias Centinum de quo q. 2. art. 2. illuſtris Maſtrius. Hæc itaque diſquiſitio tertiam hujus capitis partem occupabit.

4. Propoſitio 1. Debet exprimi actus baptizantis, per verbum *Baptizo*, vel *baptizatur*. Prob. 1.

PROPOSITIO I. Requiritur ad validitatem Baptiſmi verbum, quo exprimitur actus baptizantis, ſcilicet, BAPTIZO, ſive, BAPTIZATUR.

Demonſtratur 1. definitione Alexandri III. quæ habetur in 111. Decretalium tit. XLII. cap. 1. *Si quis puerum ter in aqua immerſerit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non eſt puer baptizatus.* II. Confirmatur ex occaſione hujus Reſcripti, quod datum ad Petrum Pontium ex Abbate V. Claravallenſi Præſulem Claromontanum, & ad hanc controverſiam definiendam, conſtat ex Annalib. Ciſterc. Angeli Manrique, ad annum MCLXXVI. cap. 6. ſive Tom. 3. pag. 39. ex quibus apparet Pontium literas dediſſe ad Mauritium Epiſcopum Pariſienſem, & ad Stephanum tunc Abbatem S. Eburtii, poſtea S. Genovefæ, ac deinde Tornacenſem Antiſtitem, eos conſulens, quid ſentirent de baptiſmo ab homine laico, ſine verbis, *Ego te baptizo*, in neceſſitate collato: cumque Mauritius reſpondiſſet nullum eſſe, at Stephanus ratum judicaſſet, Pontium graviori hæſitatione permotum, rem omnem ad Romanum Pontificem detuliſſe: *Qui controverſiam diremit, abuſum damnans edita Decretali, quæ in corpore Juris circumfertur, cap. 1. de Baptiſmo.* Ita Ciſtercienſis Hiſtoricus. Atque ex his conſtat, quando decretum Alexandri editum ſit, & quomodo definitionis vim habeat: quod non arbitror cuique notum. III. Diligentia ipſa Pontii ſplendorem addidit veritati; nam ille præcitata Epiſtola ad Mauritium, & Stephanum, quæ habetur Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 5. ait. *Hæc eſt peſſima conſuetudo in terra noſtra, ut in talis neceſſitatis articulo dicant, In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, nec totam exprimant verborum formam, quæ debet exprimi in baptiſmo, quod undejure vocant.* Ex quibus verbis apparet Pontium conſuetudinem illam reprobaſſe. At Mauritius baptiſmum illum abſque ulla hæſitatione nullum declaravit, reſcribens Pontio: *Niſi hæc verba ſimul à quocunque, & quacunque lingua proferantur, baptiſmum eſſe non credimus: quia ergo ſicut literarum veſtrarum teſtimonio cognovimus, præſentium lator in ſubmerſione filii ſui, Ego te baptizo, filuit, & tantum, In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti protulit, baptiſmus non fuit, & ideo puer ille baptizandus eſt, quia baptiſmum nunquam ſuſcepit.* Stephanus quidem docuit oppoſitum, ſed temperanter, & proteſtatione hac inſerta, *Opiniones profundo, non aſſertiones*, & iſta, *Clauſulam tamen, quæ à baptizantibus ſolet & debet dici, ſcilicet, Ego te baptizo, ſumma devotione deoſculor, ſummo ſtudio amplector.* Hanc ergo theſim quæ narrantur de Præſule Claramontano, non impetunt, ſed corroborant. IV. Juriſconſultorum decus Innocent. IV. in lib. 111. Decret. cap. 2. num. 4. ait, verbum Baptizo *eſſe de ſubſtantia formæ:* & quamvis ibidem ſcribat ſubſtitui non poſſe verbum æquivalens, ut, *Baptizat te Chriſtus, vel Petrus, vel Sacerdos, ſe demonſtrato*, quod nonnulli opponunt ad ejus elevandam auctoritatem, addit tamen, *Si aliqua provincia eſſet, quæ nunquam formam noſtram accepiſſet, & verba dicta, & alia æquipollentia noſtris diceret, debent haberi pro baptizatis.* Quare arbitror Innocentium hæſitaſſe de baptiſmo immutata forma collato, ſi mutetur prava intentione inducendi errorem, puta hæreſim Neſtorianam, quæ Chriſtum à ſecunda perſona Trinitatis divellit. Nam Neſtorii perfidiam haud obſcure commonſtraret eadem forma, *Baptizat te Chriſtus, &c.* Cæterum quod Innocentius ait pertinere ad *formæ* ſubſtantiam, *Ego te baptizo:* id tradunt JCC. omnes, Fm. Gonzalez, Gibertus, alii; tametſi Proſper Fagnanus interpretatur cap. *Si quis puerum*, de baptiſmo, quo puer merſus ſit aqua, nec pronuntiatum ſit, *In nomine Patris, &c.* in quo, ut ex dictis conſtat, ignorat factum, nec ſenſum verborum aſſequitur. V. Alexander VIII. die 7. Decembris anno 1690. proſcripſit hanc propoſitionem num. 27. *Valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, prætermiſſis illis, Ego te baptizo:* quæ damnatio quæſtionem prorſus dirimit. VI. In hac definitione Alexander normam Traditionis ſecutus fuit: quippe ex Apoſtolis tradita & commendata ſunt, *quæ per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam*, quemadmodum ait Auguſtinus lib. 2. de Bapt. cap. VII. num. 12. Univerſæ autem Eccleſiæ conſuetudo fuit, & eſt, uti in Baptiſmate verbo actum ablutionis exprimente, ut conſtat ex Græcorum, Syrorum, Ægyptiorum, Latinorum Ritualibus libris, ab Arcudio, ab Amalario,

2.

3.

4.

5.

6.

rio, ab Alcuino laudatis, cæterisque à Mabillonio, à Thomasio, à Goario, à Martenio donatis latinitate. In viginti enim quatuor baptizandi Ordinibus vetustissimis apud eundem Martenium lib. 1. cap. 1. art. 18. ubique legitur verbum *Baptizo*, aut, *Baptizatur*; nec desiderari invenies, nisi in uno Ms. Cameracensi sequioris ævi, trecentis ab hinc annis exarato, nullius proinde, si cum cæteris comparetur, auctoritatis. Quamobrem thesis nostra, & Romanorum Pontificum definitioni innixa est perpetuò custoditæ, ac firmissimæ traditioni.

5. Objectio. Hujus traditionis præsidio diluenda censeo omnia argumenta Stephani Tornacensis, & Joannis Morini, qui opponunt ex verbis Christi, *Docete omnes gentes, baptizantes, eos, &c.* non deduci necessaria esse verba: *Ego te baptizo*, sicuti necessarium non est, ut ministri proferant, hæc verba, *Ego te doceo.* Addunt, ex Patribus hoc unum colligi, baptismum conferendum *in nomine Trinitatis.* Connumerant præcitatos Auctores, qui sententiam tenuerunt oppositam, Stephanum, Petrum Cantatorem, Præpositivum. Affert Morinus & exempla Moysis, & pueri, quem Elisæus misit ad mortuum suscitandum, qui, ut jussa exequerentur, non opus erat, ut dicerent, *Projicio virgam, Pono baculum super faciem tuam. &c.*

Solutio. Verum in his, quæ pendent à divina institutione, neque in Scriptura inveniuntur expressa, traditio est nobis certa regula rerum dijudicandarum; alioqui, nec necessaria erit in baptismo prolatio verborum, *In nomine Patris, &c.* quoniam neque Matth. ult. expresse Salvator ait, *Ite, hæc verba proferte:* quod si dicamus, quantum gestient Socinus, Vossius, Zuvinglius? Ex quibus satis apparet præmissæ argumentationis inanitas. Auctores vero prælaudatos, (quod humanum est) errasse monstravimus. Exempla quoque à Morino producta non faciunt ad rem; tum quia omnem omnino *formam* excludunt, tum etiam quia in patrandis miraculis elementa certis verbis non consecrantur, quamvis & Dei verbo perfecta sint miracula innumera. Denique ex his eruitur, nunquam ratum fuisse baptismum absque verbis istis *Ego te baptizo*, aut æquivalentibus; quamvis ante Romanorum Pontificum definitiones id nonnulli absque nota hæresis affirmaverint.

6. Communis ratio, quam afferunt Theologi ad probandam propositionem, non videtur adeò firma. Nemo succenseat mihi, quod prætermiserim argumentum, quo Theologi solent fulcire assertum istud, contendentes necessum esse, *ut actus exprimatur in verbis formæ*, prout videtur innuere Eugenius IV. cujus verba produximus præced. cap prop. 1. Me quidem non latet, niti istiusmodi momento S. Thomam q. LXVI. art. 5. ad 2. Dominicum Soto in IV. dist. 3. art. 5. & ne antiquiores commemorem, Habertum cap. IV. q. 3. ac Tournelium q. 1. art. 4. Sed certum est Sacramentum Confirmationis ratum esse absque verbo exprimente actum, sive cum *forma* Græcorum, Σφραγὶς δωρεὰς πνίυματος ἁγίε, *Signaculum donationis Spiritus sancti*, aut consimilibus, de quibus libro proximo. Si autem verbum *exprimens actum* non requiritur ad valorem Confirmationis, cur necessarium est ad valorem baptismi, nisi quia id Salvator instituit? Quod vero ait Eugenius ita baptismum perfici, verum est: sed & ipse institutionem attendit, non vim, necessitatemque verborum. Ad Christi igitur voluntatem, non ad rationis libellam confugiendum est nobis. Hinc communem argumentationem haud prorsus efficacem existimavit Farvacquesius noster q. IV. cap. 3. §. 2. ac nuper Pius Thomas Milante Ord. Præd. Exercitat. XVII. in propositiones ab Alexandro VIII. proscriptas.

7. Propositio 2. Non valet Baptismus sine expressa invocatione Trin. Prob. 1. Ex verbis Christi. Responsio hæreticorum excutitur. PROPOSITIO II. Non valet Baptismus absque expressa sanctæ *Trinitatis* invocatione collatus.

Demonstratur 1. Matthæi ultimo 19. præcepit Dominus discipulis, ut baptizarent *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Igitur hæc verba in *forma* baptismatis à Christo præscripta debent comprehendi. Respondent hæretici cum Vossio disp. 2. th. v. nullis proferendis verbis baptizantes hoc præcepto fuisse adstrictos; cum *baptizari in alicujus nomen* nihil aliud sit, quam per ablutionem initiari, & consecrari in alicujus religionem & cultum, ut illius arbitrio vivamus. Sed excutitur hæc responsio; primum quid ibidem Vossius fatetur, *non junioribus modo, sed etiam veteribus ita persuasum esse*, ut præcitatis verbis Christus baptismi *formam* præscripserit: & quidem id, ut mox videbimus, est Patrum omnium constans, & perpetua traditio. At in Scripturæ divinæ investigando sensu, non proprii ingenii ductum sequi fas est, sed interpretationem Patrum & documenta Majorum. Deinde religio, cui per baptismum *initiamur*, est illa, qua in *unitate substantiæ* profitemur *Trinitatem personarum:* si ergo baptismus est *mysterium religionis initiativum*, debet Trinitatis fides in ipso exprimi, præsertim cum absque tali nota, per ablutionem tam in religio-

ligionem Christianam adsciſci, & conſecrari quis poſſit, quam in Ethnicam, vel Judaicam : & conſequenter abſque additione verborum non datur Sacramentum, ſive ſignum ſenſibile, quo Chriſtianorum Eccleſiæ inſeramur. Præterea Eccleſiam iſtam ſibimet Chriſtus deſpondit *mundans eam lavacro in verbo*, auctore Apoſtolo ad Epheſ. v. Non ergo ablutione ſola, ſed & in verbo : *In quo verbo, niſi in illo*, ait Chryſoſtomus paullo infra laudandus, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Probat. 2. Ex definitionibus Eccleſiæ.

II. Evertit hæreticam reſponſionem, ſimulque commonſtrat neceſſariam eſſe plenam prolationem horum verborum, definitionum Eccleſiæ repetitio. Mitto canonem XLVIII. Apoſtolicum, de quo prop. 3. capitis præced. Auctor Conſtit. Apoſtolic. lib. III. cap. 16. pag. 288. mandat, ut qui baptizat, *proferat nominatim invocationem Patris, Filii, & Spiritus ſancti*, εἰπὼν ἐπονομάσας ἐπίκλησιν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος : quod inquit repetens lib. VII. cap. 22. pag. 368. id Dominum injunxiſſe Matth. ult. dum ait, *Euntes &c.* ὡς ὁ κύριος διατάξατο ἡμῖν λέγων, πορευθέντες, &c. Arelatenſe Concilium I. anno 314. can. 8. *De Afris*, aliàs, *De Arianis*, præcepit, ut illi rebaptizentur, *qui baptizati non fuerint in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, Tom. I. Conc. pag. 1428. & Concilium Nicænum Tom. 2. pag. 31. juſſit canone VIII. non eſſe rebaptizandos Catharos, ſive Novatianos, canone autem XIX. pag. 38. rebaptizandos Paulianiſtas, ſive Samoſatenſes. Non alia quidem hujus diſcriminis ratio, niſi *quia Paulianiſtæ in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti minime baptizabant, & Novatiani iiſdem tremendis venerandiſque nominibus baptizant*, inquit Innocent. I. epiſt. 22. Tom. 2. Conc. Eandem rationem producunt S. Pater Auguſtinus lib. de hæreſ. num. XLIV. & S. Gregorius epiſt. 67. lib. XI. relatus, ut ſupra diximus à Gratiano cap. *Ab antiqua*, de Conſ. diſt. 4. Hinc merito alii canones præſcripſere, ut abſque ulla ambiguitate *in ſanctæ Trinitatis nomine* baptizarentur, qui baptizati eſſent ſolummodo *in nomine Domini :* atque ubi id non eſſet plane compertum, interrogarentur venientes ab hæreſi. Videſis cit. diſt. IV. de Conſecr. cap. *Si revera*, & *Multi ſunt*, ex epiſtolis Pelagii deprompta, necnon ca. *Hi vero hæretici*, petitum ex Epiſtola præ'audata Gregorii. Conſonat Leo Magnus epiſt. 79. ad Nicetam Aquilejenſem. Zacharias denique in Epiſt. VI. ad Bonif. anno 748. mandavit, ut *quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, nullo modo rebaptizari debeat ; ſecus ſi baptizatus ſit hac forma non ſervata, ſcite & caute animadvertens, ut expenderetur, an presbyter qui ſermonis barbarie, ita formulam pronuntiaverat, *Baptizo te in nomine patria, & filia & Spiritus ſancta*, id feciſſet ignorantia Latini ſermonis, an conſilio inducendi hæreſim : quod & legas apud Grat. cap. *Retulerunt nuntii*, & apud Aventinum lib. III. Annal. Bojorum. Item in hoc volumine pag. 123. Confirmat perpetuam hanc ſententiam Eccleſiæ, quod in nullo Rituali, aut Liturgico libro invenies aliquam baptiſmi formulam, quæ expreſſam ſanctam Trinitatem non habeat, pervolutes quantumvis Thomaſium, Menardum, Goarium, Martenium, alios.

Prob. 3. Auctoritate Patrum Latinorum.

III. Accedit Latinorum Patrum locupletiſſima auctoritas. Tertullianus enim de Baptiſmo cap. 13. inquit : *Lex tinguendi impoſita eſt, & forma præſcripta : Ite, docete omnes nationes tinguentes eas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti :* quod repetit de Præſcript. cap. 20. & adverſus Praxeam cap. 26. Cyprianus in Epiſt. ad Jubajanum, quamvis verſaretur in errore Rebaptizantium, ſupponebat tamen *formam* baptiſmi à Domino præſcriptam : *Dominus enim* (inquit pag. 279.) *poſt reſurrectionem diſcipulos ſuos mittens, quemadmodum baptizare deberent inſtruxit, & docuit dicens : Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra : ite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Inſinuavit Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur.* Ambroſius de Myſt. cap. IV. num. 20. ita de Catechumeno loquitur : *Niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum.* S. Pater Auguſtinus lib. III. de Baptiſmo cap. 15. n. 20. affirmat baptiſmum conſecrari Evangelicis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Et libro VI. cap. 25. num. 47. *Certa illa Evangelica verba, ſine quibus non poteſt baptiſmus conſecrari.* Et ibid. *Cæterum quis neſciat non eſſe baptiſmum, ſi verba Evangelica, quibus ſymbolum conſtat, illic defuerint ?* In ſymbolo quippe de Patre, Filio, & Spiritu ſancto pertractatur. S. Fulgentius de Incarnat. cap. XI, pag. 639. recitatis verbis, *Docet omnes gentes, &c.* inquit : *Doctor igitur & largitor æternæ ſalutis hanc ideo formam ſancti baptiſmatis dedit, ne quis in eodem Dei filio naturas dividens manifeſto illaqueetur errore.* S. Gaudentius

tius Brixiensis pag. 288. *Neque enim baptizari quis potest, nisi in integram, atque inseparabilem Trinitatem.*

Prob. 4. Auctoritate Patrum Græcorum.

IV. Consentiunt & Græci. Justini martyris profert Beveregius in notis ad canonem L. Apost. hæc verba: *In nomine Dei Patris rerum omnium Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti, in aqua tunc lavantur:* ἐπ' ὀνόματος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λύτρον ποιοῦνται. Extat in Apologia ad Anton. Pium pag. 94. S. Basilius tom. 2. pag. 170. ait primo, *perfectum non esse baptismum, in quo solum nomen Spiritus invocatur,* ἐν ᾧ μόνον τὸ ὄνομα τὸ πνεύματος ἐπεκλήθη: addit: *in baptismo separari spiritum à patre & filio, ut periculosum est baptizanti, ita inutile est baptismum accipienti:* ὡ τῷ βαπτίσματι ὁ χωρισμὸς τοῦ πνεύματος ἀπὸ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, ἐπικίνδυνος μὲν τῷ βαπτίζοντι, ἀνωφελὴς δὲ τῷ δεχομένῳ: sequitur, *sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti,* ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτω καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. S. Athanasius Orat. 2. contra Arianos Tom. 1. pag. 508. posteaquam demonstravit tres simul personas in baptismo nominari, non quod solus Pater non sufficiat, sed quia baptismus eadem virtute singularum personarum perficitur, *Quocirca,* concludit, *cum pater in baptismo nominatur in eo etiam filium necesse est nominari,* ὀνομάζεται δὲ ἐν τῷ βαπτίσματι ὁ πατὴρ, ἀνάγκη καὶ τὸν υἱὸν συνακολουθεῖν. Atque in Epistola IV. ad Serapionem pag. 703. ex quo sanctum lavacrum detur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, infert eum, qui post baptismum prævaricatur, in sanctam individuamque Trinitatem delinquere, affirmans, si sanctum lavacrum in nomine unius personæ daretur, jure inferendum in unam duntaxat personam peccare. Præscriptam vero *formam* baptismatis Matth. ult. docet etiam Cyrillus Jerosolym. Catech. XVI. pag. 399. Nazianzenus, & Ammonius in Cat. Cord. pag. 815. Damascenus item lib. IV. Fid. Orthod. cap. 10. Theophylactus in Matth. pag. 184. S. Joan. Chrysost. in Epistolam ad Ephes. hom. XX. exponens ea verba, *Mundans eam lavacro in verbo vitæ,* inquit: *In verbo, dixit, quonam? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* ἐν ῥήματι φησι. ποίῳ; ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Didymus denique libro 2. de Spiritu sancto, interprete Hieronymo Tom. IV. pag. 508. *Non arbitror,* inquit, *quemquam tam vecordem & insanum futurum, ut perfectum baptisma putet id, quod datur in nomine Patris & Filii, sine assumptione Spiritus sancti, aut rursus in nomine Patris & Spiritus sancti, Filii vocabulo prætermisso; aut certe in nomine Filii & Spiritus sancti, non præposito vocabulo Patris. Licet enim, quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contrarius legislator Christi, tamen sine perfectione baptizabit.* Scopus autem Didymi est demonstrare argumento *ex forma* baptismi deprompto individuam Trinitatem.

Prob. 5. Argumento triplici.

V. Hactenus producta exhibent hujus thesis multiplicem probationem, quarum prima sit: Erronea est opinio, quæ Ecclesiæ definitionibus, ac Patrum doctrinæ adversatur. Talis est autem sententia Magistri, & Cajetani, qui putarunt ratum esse baptismum in solo Christi nomine datum. Igitur hæc sententia est erronea; prout notatur in margine lib. IV. dist. 3. affirmantque Ruardus Tapperus in Explicat. 1. art. Lovan. Joannes Driedo lib. 3. de Reg. Script. Joannes Hesselius lib. IV. de Sacrament. Estius in dist. 3. §. 3. Lupus dissert. de Act. S. Leonis p. 3. pag. 858. Hinc merito Magistri sententia refutatur à D. Thoma q. 66. art. 6. à Bellarmino lib. 1. de Bapt. cap. 3. atque à Theologis fere universis. Altera probatio sit: Videtur ea sententia sacrilegii crimen inurere Romanis Pontificibus, qui jusserunt iterari baptisma absque Trinitatis expressa invocatione collatum: quippe sacrilegium est ratum baptismum repetere. Accedit probatio tertia; adversa siquidem opinio labefactat argumentationes Patrum, qui probant indivisam Trinitatem, ex quo in baptismo nomina divinarum personarum nequeant separari. Si vero loquamur de sententia Socini, Episcopii, Vossii, aliorumque necessitatem cujuslibet formæ denegantium, constat apertissime ex dictis non tantum esse erroneam, verum etiam hæreticam, & Sacramenti rationem audacter oppugnantem. Ab hæresi Magister, & Cajetanus immunes sunt, quoniam necessitatem *formæ*, ejusque præscriptionem profitentes existimarunt in nomine unius personæ totam Trinitatem intelligi, innixi difficili testimonio Ambrosii postea explicando. Et horum tamen opinio iisdem argumentis quatitur: & obruitur.

Hære-

9. Objiciunt hæretici. 1. Hæretici negantes necessariam esse quamcunque *formam* præter argumentum supra refutatum hæc duo opponere possunt. 1. Ex quo Apostolus ad Colos. III. 17. præcipiat, ut omnia fiant *in nomine Domini Jesu Christi*, non ideo tenemur cum manducamus & bibimus, proferre hæc verba, *Manduco*, aut *bibo in nomine D. J. C.* Igitur ex quo Christus dixerit, *Baptizantes eos, in nomine, &c.* non consequitur hæc verba, dum baptizamus, esse necessario pronuntianda. 2. II. Aliquando trina immersio adhibita fuit absque prolatione verborum. Ait enim Ambrosius lib. 2. de Sacramento cap. VII. num. 20. *Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti.* Idem ait de duabus aliis personis. Ipsæ itaque mersiones possunt verborum vicem supplere. Hinc in libro Sacramentorum Gelasii legitur: *Et cum interrogas, per singulas vices mergis eum tertio in aquam*, nulla *formæ* mentione facta.

Responsio ad 1. Resp. ad 1. nego consequentiam & paritatem; Ecclesia enim, & Patrum traditio docent primis verbis conjunctum præceptum prolationis, non verbis Apostoli. Ita respondent Joannes Driedo loco supra cit. & Jansenius in Concordia cap. 149. Et si petas, cur istiusmodi præceptum in Scriptura expressum non sit, respondebit Schelstratius de Arcani disciplina pag. 19. Sacramenta non initiatis fuisse occultanda, ac principio nascentis Ecclesiæ *tradito verbo* explananda, non *scripto*. Addo priori loco, ad Colos. III. loqui Apostolum de omni deliberato opere; nec requiritur ad omne opus pronuntiatio verborum; & ideo τὸ *in nomine Domini*, idem sonat ac, *in gloriam Dei*, ut ad Corinth. prima, cap. X. 31. ubi occurrit eadem Apostolica commonitio. At Matt. ult. sermo instituitur de Baptismo, id est, de Sacramento, quod *consecratur Evangelicis verbis*: & in quo si verbum detrahas, *quid est aqua, nisi aqua?* Agnoscis, opinor, sæpe repetita verba Augustini.

ad 2. Ad alterum respondent PP. S. Mauri, Ambrosium insinuare interrogationes, quæ in baptismo fieri solent, & quibus olim respondebant trinæ mersiones, non celebrandi ordine, sed intentione, ut sic loquamur, celebrantium. Constat hæc responsio ex antiquis Liturgicis omnibus, & ex quo Ambrosius paullo infra, id est, num. 22. baptismi *formam* recenseat. Idem dicimus de Sacram. Gelasii, in quo præterea duo animadverto: unum, quod in edito à Thomasio pag. 84. post trinas interrogationes legitur, *Deinde per singulas vices mergis, &c.* ex quo apparet intentione celebrantium, non ordine celebrandi, tres mersiones tribus interrogationibus respondisse, ut ad Ambr. annotarunt viri clarissimi: alterum, quod in vetustissimo Codice Regio, & in Noviomensi apud Martene pag. 174. additur forma, *Baptizo te* ille *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut habeas vitam æternam;* quod ostendit nunquam *formam* fuisse prætermissam.

9. Propositio 3. Apostoli non baptizarunt in solo nomine Christi. Prob. 1. Solvendo responsionem adversarium.

PROPOSITIO III. Neque ab Apostolis baptismus absque invocatione Trinitatis expressa collatus fuit.

Demonstratur primo. Ut vidimus hactenus Christus baptismi *formam* præscripsit Apostolis, dicens, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Atque his verbis mandavit, ut gentes initiando per regenerationis lavacrum singulas Trinitatis personas nominarent: quod & Patres docent, & adversarii non diffitentur. Imperceptibile est igitur Apostolos transgressos fuisse tam expressum, recentissimumque mandatum. At reponunt adversarii id Apostolos non præstitisse pro libitu, sed facta sibi à legislatore dispensatione, ut nomen Christi honorificentius exciperetur. Verum excutitur nullo negotio commentum istud. Ac principio, cum ea, quæ ad historiam pertinent, nullam promereantur fidem, si absque ullo idoneo testimonio proferantur; jure petimus, ut istiusmodi dispensationis prodant vestigium aliquod, unam saltem antiquorum vel ambiguam voculam: quod cum præstare non valeant, repetimus animosiores datam Apostolis *legem tinguendi* tali præceptione, ut non auderent illam ullatenus decurtare. Præterea quis unquam audivit, legislatorem prudentissimum legem ferre, illam absolute intimare, prescribere etiam, ac jubere ut præcones sui cuique servandam proponant, ac simul eam relaxare, eique vulnus infligere? Si ergo Christus præcepit Apostolis ut baptizarent in nomine Trinitatis, eisque simul injunxit, ut servarent, & servanda præscriberent, *quæcunque mandavit*, inverisimile omnino est, statim illum in lege hac dispensasse, & ab initio Apostolos fidelibus exemplum relaxationis exhibuisse. Ad hæc laudati Patres ita asserunt præscriptam *formam* baptismatis, ut unius personæ invocatio separari nequeat ab invocatione aliarum, quemadmodum separari non potest ipsa fides; eandemque *formam* appellant, ἀπαραβάτην παράδοσιν, *inviola-*

*inviolabilem traditionem* ut citato cap. 12. de Sp. sancto inquit Basilius: quod perinde est, ac asserere traditam baptismi *formam* nulla ratione fuisse immutandam. Insuper ratio commonstrat nullam esse causam dispensandi, nisi rerum vel temporum perurgeat angustia, quod & definitur cap. *Priscis igitur*, dist. 11. Quam ergo dispensationis causam habuerunt Apostoli? Gloriam, inquiunt, & celebritatem nominis Jesu Christi. Sed cuinam manifestanda erat hæc gloria? Baptizandis ne? Jam ipsi per catechismum noverant Jesum esse Deum, mundique Reparatorem, atque se baptismi initiatione in ejus cultum, religionemque adscisendos. Profanis vero, quibus Christi nomen ludibrio erat? At hi vel ignorabant initiationis nostræ mysteria, vel ad hæc trahendi erant Apostolica prædicatione. Si præterea nomen Christi *scandalum* erat Judæis, & *stultitia* gentilibus; figmentum quoque videbatur mysterium Trinitatis arcanum, & unius divinitatis in tribus subsistentiis individua majestas. Quid ergo? Dicis baptismum conferendum fuisse *in Christi nomine*, quoniam nomen istud erat permultis despicabile? At ego dicam contra, dandum fuisse *in nomine Trinitatis*, cujus cultum profani existimant superstitiosum; idque longe probabilius, nam Christiana fides, cui baptizati devoventur, fides Trinitatis, & Incarnationis simul est. Insuper quemadmodum multis odio erat nomen Christi, ita ignorabant complures dari Spiritum sanctum, non Ethnici soli, sed universa etiam secta Sadducæorum: cum isti ergo baptizarentur, consulendum erat gloriæ Spiritus sancti, *in ejus nomine* baptizando. Rursus non detrahitur gloriæ nominis Jesu Christi, sed honor debitus ei redditur, quando Deo Patri, & Spiritui sancto conjungitur, ipsique eadem virtus tribuitur, idem obsequium impenditur, eodem ritu baptizati initiantur; ideoque gloria tanti nominis postulat, ut *forma* baptismi proferatur integra, non decurtata. Addamus & istud: Si justa fuit Apostolis ea causa baptizandi in solo Christi nomine, quam adversarii configunt; opus est, ut vigeat ratio eadem, eademque dispensatio, si baptizandus sit modo Paganus, aut Judæus hostis infensus Christiani nominis. Postremo (arbitror enim satis adversariorum responsionem contrivisse) concedamus gratis, postulasse gloriam nominis Jesu Christi, ut peculiari ratione in *forma* baptismatis exprimeretur; id quidem fieri poterat Patre, & Spiritu sancto non prætermissis: idque reapse factum aliquando do libenter & ultro: scribit enim supra laudatus Justinus Christi fideles per aquæ ablutionem initiari, *in nomine Dei Patris universorum Domini, Salvatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti*, & inter formulas perantiquas etiam istam invenimus apud Natronem, & Martenium: *Baptizatur agnus in grege Christi in nomine Patris, &c.*

10. Prob. 2. ex Act. Apost. & solvuntur responsa adversa.

II. Alterum argumentum ad probandam thesim petunt sententiæ nostræ propugnatores ex cap. XIX. Act. ubi narratur Paulum ita nonnullos discipulos interrogasse, *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* cumque illi respondissent, *Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus*, statim Apostolus reposuit, *In quo ergo baptizati estis?* Nulla alia hujus interrogationis causa esse potest, nisi quod hi discipuli, si baptizati fuissent baptismo Christi, non potuissent ignorare Spiritum sanctum, quoniam Christi baptismus datur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Igitur Apostolico etiam tempore baptismus Christi erat cum expressa sanctæ Trinitatis invocatione. Jam responsum ab adversariis huic argumento, ita ab Apostolo Ephesinos discipulos interrogatos, quoniam Apostoli licet baptizarent in solo Christi nomine, non baptizabant tamen, nisi Catechesi præmissa, & fide Trinitatis imbutos: quare idem sonant ea verba, *In quo ergo baptizati estis?* ac ista, *Quomodo ergo baptizati estis?* nunquid sine Cathechismo, & Spiritus sancti non accepta notitia? Contra hanc responsionem id plurimum valere putant nostrarum partium Theologi, quod non ait Apostolus, *Quomodo*, sed, *in quo.* Ast, ut verum fatear, mihi quod adversarii reponunt, non displicet: quippe notitia fidei à catechismo potius petenda est, quam à *forma* baptismi; unde & Estius censet probabilius ad catechismum, non ad *formam* Paulum animum intendisse. Persistit vis nihilominus argumenti: ita enim urgeo adversarios. Principio sententia vestra baptizari *in nomine Christi*, est baptizari invocato nomine Christi: igitur baptizari *in Spiritu sancto*, est baptizari invocato nomine Spiritus sancti. Aut contra: Dicitur baptizari *in Spiritu sancto*, qui baptizatur præmissa prædicatione Spiritus sancti, quamvis per vos Spiritus sanctus non exprimatur in *forma* baptismi; dici ergo potest aliquis baptizari *in Christo Jesu*, qui baptizatur imbutus fide Christi, tametsi in *forma* baptismi Christus ipse non exprimatur. Aut hoc modo: Ubi legimus, *In quo ergo baptizati estis?*

parti-

particula *In* significat catechismum, non *formam:* itaque verbis proximis *Baptizati sunt in nomine JEsu*, eadem particula *In* non *formam* significat, sed catechismum. Sed hæc retorquendo contrariorum responsiones dicta sint. Revera enim persuasum mihi est ea verba, *In quo ergo baptizati estis?* idem valere, ac ista, *In quonam ergo baptismo baptizati estis?* ita ut non solum catechismum innuant, sed etiam ipsum baptismum propria *forma* constantem: siquidem in Græco legimus, εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; *In quid ergo?* sive, *In quem?* atque ita legunt cum Chrysostomo in Acta pag. 719. Græci omnes, nec non Syrus. Arabs vero, *In quo baptismo:* quem sensum confirmat responsio discipulorum, *In Joannis Baptismate.* Mirabatur ergo Paulus Ephesios ignorare Spiritum Sanctum, quoniam si baptizati fuissent baptismo Christi, ante baptismum instructi fuissent in fide Trinitatis, in baptismo abluti fuissent invocato Trinitatis nomine, atque per baptismum in cultum ejusdem Trinitatis se nossent fuisse initiatos.

II. Prob. 3. Item refutando explicationes adversariorum.

III. Permovet adversarios, quod in Actis Ap. legimus collatum baptismum *in nomine JEsu Christi*, cap. II. 38. VIII. 12. X. 48. XIX. 5. His autem verbis, inquiunt, demonstratur *forma* baptismi, non minus, ac Mat. ult. 19. illis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At argumentum istud vel nihil probat, vel sententiam nostram confirmat; quod evidens erit productis hujus loci interpretationibus. Præferamus primùm honoris gratia ipsorum adversariorum explicationem. illis verbis, inquiunt, commonstratur *forma* qua tingebant Apostoli; igitur baptizabant *in nomine JEsu Christi.* Concedo quod nunc inferunt; sed nego baptizasse *in solo nomine JEsu Christi*, Patre, ac Spiritu Sancto prætermissis: id quippe illo argumento non evincitur. Primo enim non diffitentur adversarii, Apostolos priusquam baptismo initiarent, annuntiasse Trinitatis mysterium; & tamen cap. 2. Act. solum narratur Petrum prædicasse *JEsum crucifixum*, in cap. etiam VIII. legimus Philippum evangelizasse Eunucho *JEsum:* de Paulo item cap. XIX. hoc unum scriptum est, dixisse baptisma Joannis datum, ut crederent *in JEsum* venturum. Quemadmodum ergo legimus in Actis Ap. Petrum, Philippum, Paulum baptizasse *in nomine JEsu Christi*, ita legimus evangelizasse ipsum *JEsum.* At non evangelizarunt *JEsum*, sine Patre & Spiritu Sancto. Igitur non baptizarunt *in nomine JEsu*, sine invocatione Patris, & Spiritus Sancti. Si petant, quare id sacer Historicus non enarravit? reponam vicissim, Eccur non inquit Philippum una cum JEsu Patrem, ac Spiritum Sanctum evangelizasse? Si dicant, subintelligitur *fides Trinitatis* nomine fidei in Christum, quoniam Christus Trinitatem annuntiavit; dicam ego pariter in baptismate Christi intelligi baptismum *in nomine Trinitatis*, quoniam Christus tale baptismum præscripsit. Præterea Patres, quos infra producam, ita in Act. Ap. Christi nomen sentiunt expressum, ut Pater & Spiritus Sanctus non intelligantur omissi. Ad hæc, si demus Filii nomen singulari ratione, & cum adjunctis expresso, ut videtur innuere Martyr Justinus, moles adversariorum tota corruet. Insuper ex quo dicamur Matth. III. 11. & 1. ad Corinth. I. 13. baptizati *in Spiritu Sancto*, non proinde excluditur Pater & Filius: igitur ex quo dicantur Apostoli baptizasse *in nomine JEsu Christi*, non ideo excluditur nomen Spiritus Sancti & Patris. Admissa ergo adversantium interpretatione, & dato iis verbis, *in nomine JEsu Christi*, designari *formam* baptismatis, ipsorum argutatio evanescit, nec probabilis est opinio tam labili fulcro subnixa. Si autem expendamus alia interpretamenta, hæc eadem argumentatio sententiam confirmat nostram. Sunt enim qui putant *baptizari in nomine Christi*, nihil aliud esse, quam baptizari virtute, merito, & efficacia Christi, de qua interpretatione plura Jo. Hesselius de Bapt. cap. 4. Ita Sacerdotes Judæorum Act. IV. 7. interrogarunt Petrum, qui claudum ad Portam templi sanaverat, *in qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?* Ipse Dominus Marci ult. 17. de credentibus ait, *In nomine meo dæmonia ejicient:* & olim Psalmographus XLIII. 6. *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Quibus in locis idem est *In nomine*, ac, *in virtute.* Quidam censent *baptizari in nomine Christi* non esse aliud, quam baptizari baptismo instituto à Christo: quod maxime quadrat verbis, quæ objiciuntur ex cap. XIX. Act. ubi constat baptismum Christi opponi baptismo Joannis. Sunt & qui *Baptizari in nomine Christi* sic accipiunt, ut non sit aliud, quam ritu baptismi initiari, & consecrari in Christi cultum, eique se devovere, atque in religionem ab ipso institutam adsciſci; quam phrasim derivatam contendunt ex Hebræis, apud quos *baptizari in nomine Proselytarum*, מטבול בשם גירות, ut de mulie-

ribus bello captis inquit Maimonides, idem sonat, ac *Proselytarum religioni* nomen dare. Ita Grotius in Matth. XXVIII. quod caute accipias, nullatenus excluso sensibili Sacramento, ne in Socinianismum impingas. Quævis harum interpretationum commonstrat Apostolos nequaquam sine consueta *forma* baptizasse, quod constat ex hoc ratiocinio: *Baptizari in nomine Christi* est baptizari baptismo instituto à Christo, atque hoc baptismo inseri in Ecclesiam, religionemque Christianam. Atqui Christus baptismum instituit dandum sub expressa invocatione Trinitatis, & qui baptizatur baptismo Christi fidei, & cultui Trinitatis sese devovet. Ergo qui baptizatur *in nomine Christi*, baptizatur in nomine sanctissimæ Trinitatis.

12. Prob. 4. Auctoritate Patrum,

IV. Postremo fulcitur assertio nostra eximiorum Patrum auctoritate S. Cyprianus laudata Epist. 73. ad Jubajanum pag. 284. de verbis Petri Act. II. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini JEsu Christi*, inquit, *JEsu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Frustra hunc nodum etiam injectis unguibus contrarii solvent. Nam Cyprianus, ut perspicue ostendat loqui se de expressa Trinitatis invocatione, statim repetit *formam* à Christo præscriptam, dicens: *Ubi post resurrectionem Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur.* Probat autem eo loci sanctus Martyr baptizatos *in solo nomine JEsu Christi* non posse consequi remissionem peccatorum, neque id sentientibus præsidio esse Apostolicam historiam, quandoquidem incredibile est Apostolos fuisse transgressos mandatum Christi, qui jussit *Gentes baptizari* (expendas hæc verba) *in plena & adunata Trinitate.* De Basilio dictum supra. Addo tantum, commonere eo loci unumquemque, ne in errorem inducatur ex quo nominis Patris, & Spiritus Sancti mentio in baptismatis commemoratione omittatur, *Neque ideo putet harum vocum usum, nominumque invocationem esse indifferentem*, μηδὲ διὰ τοῦτο ἀπαραιτήτου οἰέσθω τὴν ἐπίκλησιν εἶναι τῶν ὀνομάτων. Quæ verba nonnisi de invocatione expressa, nominumque prolatione possunt accipi. Hieronymus in III. Joelis supponens discipulos Ephesinos, de quibus Act. XIX. baptizatos *in nomine Domini JEsu* baptismo Joannis, scribit fuisse rebaptizatos, imo verum baptismum accepisse, *quia sine Spiritu Sancto, & mysterio Trinitatis quidquid in unam vel alteram personam accipitur, imperfectum est.* De hoc tamen loco vide quæ diximus cap. 2. hujus libri. S. Pater Augustinus hæreticum Arianum Maximinum, dicentem Spiritum Sanctum non esse Creatorem, quoniam de Filio dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt*, quasi legeret, *Omnia per ipsum facta sunt absque Spiritu Sancto*, hoc argumento refellit lib. III. nunc II. cap. 17. num. 1. *Si autem quia non est nominatus, quod etiam per illum facta sunt, ideo putas Dei Spiritum non esse creatorem; procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere quibus ait Petrus, Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini JEsu Christi; quia non ait, Et Spiritus Sancti: nec in Patris nomine, quia nec ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu Sancto, in nomine JEsu Christi jussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio Dei, Omnia per ipsum facta sunt; ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?* Audio insignem Scotistam contendentem hoc Augustini testimonio sententiam firmari suam, & hortantem ut accuratius Augustinum perlegamus, atque ita ipsa lectione convincamur: sensus enim Augustini est, si jussi baptizari in nomine Christi non nominatis Patre & Spiritu Sancto, censentur tamen baptizati in nomine Patris & Spiritus Sancti, quia nempe eadem est trium personarum virtus; cur facta per filium non censentur etiam facta per Spiritum Sanctum, cum eadem sit Filii, & Spiritus Sancti Potentia; Sane qui hæc reponunt, non tam nos faciunt bardos, quam Augustinum stolidum, & incautum. Maximinus quippe Arianus, si negabat omnia facta esse per Spiritum Sanctum, negabat quoque Filii & Spiritus Sancti eandem esse virtutem; negabat & consequenter in baptismo non nominato Spiritu Sancto totam Trinitatem intelligi, eo quod trium personarum virtus sit eadem. Insulse ergo, insscite, & casse omnino Augustinus prædicta comparatione Maximinum exagitasset; atque is merito reposuisset, Quid de *forma* baptismi objectas, quid comminisceris? Nec Spiritus Sanctus in baptismo habet eandem cum Patre efficaciam, & idcirco aliquando baptizarunt Apostoli in solo Christi nomine; quemadmodum per solum Verbum omnia facta esse inquit Joannes Evangelista. Meam ergo argumentationem non diluis, non enervas, Augustine, sed confirmas. Augustinus itaque supponit nun-

vindicatur Aug. contra Scotistam quendam.

nunquam Apostolos in solo Christi nomine baptizasse, idque putat etiam Maximino persuasum: eumque propterea hoc ratiocinio refellit: Ex quo in Actibus Apost. legatur Apostolos baptizasse *in nomine Christi*, non sequitur baptizasse non nominatis Patre & Spiritu sancto. Ergo ex quo cap. 1. Joannis scriptum sit, *Omnia facta esse per verbum*, non consequitur facta simul non esse per Patrem, & Spiritum sanctum. Atque ita stat sua argumentationi Augustini firmitas & libratio. Joannes Damascenus lib. IV. de Fid. Orthod. cap. 10. docet primùm, *rebaptizandos quicunque in sancta Trinitate baptizati non fuerint*: ὁσιοὶ δὲ μὴ εἰς τὴν ἁγίαν Τριάδα ἐβαπτίσθησαν, ἰουδαῖοι δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι. Deinde ait *Baptizari in Christo*, quod in sacris literis legitur, *non idem esse ac baptizari invocato solo nomine Christi, sed credentes in eum ablui*: τὸ οὖν εἰς Χριστὸν βαπτισθῆναι δηλοῖ τὸ πιστεύοντας εἰς αὐτὸν βαπτίζεσθαι. Addit *impossibile esse in Christum credere, non edoctos confessionem in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum*: ἀδύνατον δὲ εἰς Χριστὸν πιστεῦσαι μὴ διδαχθέντας τὴν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα ὁμολογίαν. Concludit idcirco Dominum Apostolis suis præcepisse, *ut baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: τὴν μὲν ἐπίκλησιν τοὺς οἰκείας μαθητὰς ὁ κύριος διδάσκων, ἔλεγε. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Facundus denique Hermianensis Episcopus libro 1. Operis, quod conscripsit pro defensione trium Capitulorum pag. 22. edit. Sirmondi, *Quod autem*, inquit, *in nomine Jesu, bi quos memoravimus baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis à Domino constituta forma baptismi: sed quia hoc erat insinuandum quod baptismo novo fuerint baptizati; sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in baptismo Joannis, neque in aliis baptismis Judaici ritus interfercbatur. Cæterum illis sacratis verbis, id est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizati mihi videntur.*

## ADVERSARIORUM OBJECTIONES DILUUNTUR.

13. Objicitur 1. Opp. 1. ex Scripturis: Mandatum illud Math. ult. *Euntes, &c.* non ad Judæos spectat, sed ad gentiles, ut constat ex illis verbis, *Docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Ex quo ergo Gentiles *in plena & adunata Trinitate* essent baptizandi, ut ait Cyprianus, minime sequitur eandem *formam* necessario fuisse servandam in baptizandis Judæis. II. Revera Judæos in solo Christi nomine baptizatos legitur in Apostolorum Actis cap. 2. 8. & 19.

Resp. ad primum, nego ant. quamvis enim *Gentium* nomine veniant aliquando pagani, & idolis addicti, eo tamen vocabulo significantur nationes, hominumque genera; nec aliud sonat Græcorum τὸ ἔθνος. Id vero præsertim Matth. ult. ubi additur adjectivum *omnes*, πάντα τὰ ἔθνη. Quare Persica lectio vertit, *totum mundum*, Aethiopica vero, *omnes generationes*, & recte; Marcus enim Matthæi abbreviator cap. XVI. 14. ea verba, *Euntes docete omnes gentes*, reddidit, *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* Voluit ergo Dominus ne discipuli se continerent duntaxat inter fines Palæstinæ, sicut mandaverat Matth. x. 5. sed ut, post lustratas Judæorum regiones, etiam ad exteras commigrarent. Et quidem Apostoli Domino obtemperantes primum Judæis, deinde gentibus reliquis Christum annuntiarunt, ut legitur Act. 1. 8. & XIII. 46. Sicut ergo τὸ *Docete omnes gentes* ad Judæos quoque spectat; ita & quod sequitur, *baptizantes eos, &c.* Fallitur itaque eximius Thomista, & oppositæ sententiæ vindex acerrimus, dum objectat discrimen illud Judæorum, atque Gentilium, &, jure exagitatur ab antagonista sodali Volum. 1. de Re Sacram. pag. 231. Animadverto ipsum discrimen ad rem non esse; quippe S. Thomas q. LXVI. art. 6. ad 1. scribit Apostolos ex speciali Christi revelatione in primitiva Ecclesia in ejus nomine baptizasse, *ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gentilibus honorabile redderetur*; unde infero eam œconomiam, sive dispensationem, si fuisset, tam in baptizandis Judæis, quam in baptizandis Gentilibus fuisse servandam. Addo fictum istud discrimen robur addere hæretico dogmati, quod baptismus conferendus tantum sit ex Dei mandato Ethnicis, ut in veram Ecclesiam inferantur, eo quod *baptisma sit introductorium in visibilem Ecclesiam*, ut ait Lightfootus in Matth. pag. 390., quandoquidem de solis Ethnicis Christus sermonem instituisset; tametsi impium illud dogma momentis aliis refellitur. Ad 2. distinguenda est propositio: Apostoli baptizarunt *in Christi nomine*, id est, baptismo à Christo instituto, & meritis Christi

Resp. ad 1.

ad 2.

peccata remittente, conc: Baptizarunt *in Christi nomine*, id est, solo Christi nomine invocato, nego. Vide supra num. 111.

14. Objiciuntur 2. Auctoritates Patrum. 1. Hilarii.

Opp. 2. Sententia adversariorum auctoritati Patrum innixa est: Hilarius in libro de Synodis num. 85. ait; *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt.*

2. Ambrosii.

Ambrosius lib. 1. de Sp. sancto, cap. 3. num. 42. inquit, *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum.* Et num. 44. *Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti.*

3. Ven. Bedæ & aliorum.

Idem scribit Venerabilis Beda in Act. x. Videtur idem innuere sanctus Basilius citato cap. 12. de Spiritu sancto, ubi ait: *Siquidem Christi appellatio totius deitatis est professio: quippe quæ simul declarat & Deum, qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum sanctum qui est unctio.* ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία, τοῦ παντὸς ἐστὶν ὁμολογία. δηλοῖ γὰρ τὸν τε χρίσαντα Θεὸν, καὶ τὸν χρισθέντα υἱὸν καὶ τὸ χρῖσμα τὸ πνεῦμα. Item Theodoretus in cap. ult. Lucæ pag. 546. *Christi nomen in se ipso continet & Patrem inungentem & unctionem Spiritum, & unctum Filium.* τὸ χριστοῦ ὄνομα ἐν αὑτῷ ἐμφαίνει καὶ τὸν πατέρα τὸν χρίσαντα,

4. S. Bernardi.

καὶ τὸ χρῖσμα τὸ πνεῦμα, καὶ τὸν χρισθέντα υἱόν. Denique S. Bern. in Epistola ad Henricum Archidiaconum Aurelianensem Tom. 1. pag. 236. interrogatus an ratum esset baptisma collatum puero periclitanti sub hac forma, *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ & veræ Crucis*, respondet ratum sibi videri, hac ratione producta, *Legimus sane in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.*

15. Resp. ad 1.

Resp. Hilarii sensum hunc esse, non deserendum vocabulum ὁμοούσιον, *quia vitiose à nonnullis soleat intelligi:* ad quod commonstrandum varia profert exempla, ut, delenda alioqui ex prima ad Timotheum ea verba, *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, quoniam abutitur hoc loco Photinus: damnandam igni, aut spongia abstergendam epistolam ad Philippenses, ne legat in ea Marcion, *Et habitu inventus ut homo;* aliisque allatis exemplis concludit novum quoque testamentum abjiciendum, si ob pravam quorumdam interpretationem aliqua supprimenda essent vocabula: quippe si legantur E. gratia Actus Apostolici, ubi narratur Apostolos baptizasse *in nomine Jesu*, si nugari velimus, Apostoli *reperientur in crimine*, utpote qui non observarint præscriptam à Christo *formam.* Quare ut liquet ex scopo Hilarii, & ex toto orationis complexu, idem est, *Tantum in Jesu nomine baptizaverunt*, ac, *Tantum in Jesu nomine baptizasse leguntur*, ut optime annotarunt PP. S. Mauri. Hilarius itaque supponit Apostolos baptizasse *in nomine Trinitatis;* aliàs perperam eorum exemplum produxisset ad probandum non esse vocem aliquam eliminandam ob ambiguam significationem, pravamque aliquorum intelligentiam. Haud nescio Christianum Lupum in dissert. de Actis S. Leonis p. 3. pag. 858. scribere *deserendum Hilarium:* sed detur mihi venia, si in re perlevi à sodali recedam.

15. Respondetur ad 2. triplici-ter.

Ambrosii testimonium intricatissimum esse fateor, adeo, ut excusandus sit Magister in ejus intelligentia deceptus; at illud nullatenus suffragatur adversariis. Primo namque inde sequeretur, non solum Apostolicis temporibus, verum & nunc ratum esse baptismum invocata una tantum persona collatum, cum ratio, quam inculcat Ambrosius, etiamnum subsistat, ut optime notatum ab Estio in IV. dist. 3. §. 5. Consequeretur etiam validum esse baptismum *in solo nomine Spiritus sancti*, de quo præsertim sanctus Antistes pertractat. Fieret & consequens, nullum esse baptismum absque fide Trinitatis datum, sive unius, sive etiam trium personarum invocatione. Hæc tria consectaria cum adversarii non probent, frustra à perplexo, & ambiguo Ambrosii testimonio præsidium quæritant. Sed videamus quid responderi soleat, & quænam responsio sit præeligenda. I. Ac primo animadverto Catechismum Romanum P. 2. de Baptismo n. 16. tradere revera Ambrosium loqui *de forma baptismatis*, sed nequaquam dum unam personam commemorat excludere alias, & quod scriptum est explicare, non quod actu perfectum: *Quamquam dubium* (inquit) *fortasse alicui videri potest, an hujusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint; si Ambrosii, & Basilii sanctissimorum & gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita baptismum in nomine Jesu interpretati sunt, ut dixerint iis verbis significari baptismum, non qui à Joanne, sed qui à Christo Domino tradi-*

I.

*tus*

*tus esset: tametsi à communi & usitata forma, quæ distincta trium personarum nomina continet, Apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatas usus videtur, cum inquit, Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, ut significaret, in fide Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator & Dominus noster servandam præceperat, baptizatos esse.* Hanc responsionem, utut vera sit, impos est ingeniolum meum cum textu Ambrosii conciliare; siquidem ita ille unius Personæ invocationem deprædicat, ut dicat sufficere, *si quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide.* 2. II. Communior est responsio, quam tradunt Estius, Sylvius, Nat. Alex. Juenin, & alii, non loqui Ambrosium *de forma baptismi*, sed *de operatione S. Trinitatis*, demonstrando in illis Scripturæ locis, ubi operatio tribuitur uni personæ, nequaquam excludi alias: atque hoc pacto, etsi in Act. Ap. legimus baptizasse Apostolos *in nomine Christi*, non sequitur aliarum personarum nomina siluisse. Ad quam responsionem confirmandam addunt illam Ambrosii doctrinam esse desumptam ex libro Basilii de Spiritu sancto, ubi hæc doceri nemo denegabit, qui Basilium perlegat oculis non lippientibus. Probabilis plurimum est hæc responsio: etenim Ambrosius initio hujus capitis inquirendum proponit, *Qua ratione, cum dixerit* (Apost. in 1. ad Corinth.) *Ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu sancto tacuerit*; respondetque: *Ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti designatur, non solum ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur ac Spiritum.* Atque ad hoc comprobandum agit postea de baptismo, cujus effectus modo in sacris literis tribuitur *Spiritui sancto*, ut Joan. 1. 27. & 1. ad Corinth. XII. modo *Jesu Christo*, ut Act. XIX. 5. Hinc Ambrosius num. 45. concludit: *Unitas ergo operationis, unitas prædicationis, quæ non potest separari.* 3. III. Responsio tertia traditur à Farvacquesio, ab Harduino, à Nat. Alex. à Ludovico Habert, à Tournely, ac præcedenti præfertur à PP. S. Mauri Tom. 2. Op. Amb. pag. 608. qui ajunt agere Ambrosium, non de sola operatione Trinitatis, sed etiam de fide eorum, qui suscipiunt baptismum, & hoc sanctum Præsulem intendere, catechumenos, quamvis interrogarentur de fide in unam personam sanctæ Trinitatis, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent, legitimum baptismum, & remissionem peccatorum consecuturos. Responsionem hanc cæteris & ego arbitror meliorem, quoniam Ambrosium loqui de pronuntiandis in baptismate divinis personis, tota orationis series demonstrat. Primo enim profert num. 41. exemplum Aethiopis Eunuchi Candacis reginæ, qui *baptizatus in Christo plenum mysterium consecutus est.* Legimus vero illum hanc fidei professionem emisisse, Act. VIII. 37. *Credo filium Dei esse Christum.* Deinde num. 42 ait S. Doctor: *Plenum autem est* (fidei Sacramentum) *si Patrem & Filium Spiritumque sanctum fatearis; si unum neges, totum subrues.* Quid est Trinitatem fateri, nisi credere? Sequitur Ambrosius: *Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum:* sermone comprehendere, est fidei professionem emittere, in qua professione, qui ait, *Credo in Dominum Jesum Christum*, si fidem ex auditu perceperit, & quis sit Dominus Jesus agnoverit, se in totam Trinitatem credere profitetur. *Ita* (ait subinde sanctissimus Præsul) *quamvis Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Hæc verba nequeunt accipi *de forma baptismi:* aliàs irritum esset baptisma *in nomine Trinitatis* collatum ab Ariano; intelligenda sunt ergo de fide suscipientium. Perspicua magis sunt, quæ sequuntur num. 43. *Quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide:* & num. prox. *Qui unum dixerit, Trinitatem signavit;* aliaque omnia, quæ ex dictis satis sunt obvia. Sane ex quo ad fidei professionem sufficiat dicere, *Credo in Dominum Jesum Christum*, modò animo etiam Spiritus sanctus ac Pater retineantur, non sequitur idem satis esse ad *formam* baptismi; quippe fides in corde sita est, Sacramentorum autem *forma* in verbis à Christo præscriptis, quæ non ex animo proferentium virtutem habent, sed ex merito institutoris. Vide quæ supra de Ambrosio diximus prop. 2.

Idem de Venerabili Beda dicendum est: nam eo loci Ambrosium exscripsit; ut recte vidit Estius in IV. dist 3. & Sylvius in art 6. q LXVI. Cæterum ipsemet Beda in libro Variarum qq. Tom. VIII. q. 14. quæ est de peccato originali, scribit: *Si quis baptizans dicit, Ego baptizo te in Christo Jesu, & non dicat, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* 16. Resp. ad 3.

*sancti, non est verus baptismus.* Ad Basilium & Theophylactum respondeo, explicare illos cur baptismus *in nomine Trinitatis* dictus sit baptismus *in nomine Christi;* quod recte dici animadvertunt, quoniam nomen Christi est totius Trinitatis appellatio. At ibidem docent Apostolos baptizasse *forma* sibi à Domino præscripta, ac decipi qui putant posse prætermitti, & indifferentem esse usum nominis Patris, & Filii, & Spiritus sancti: quod de Basilio constat ex dictis. Theophylactus verò eodem in loco hæc habet: *Quomodo autem baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, præsertim cum alias doceamur baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti? Igitur primam quidem dicimus quod quando dicimus baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quod oporteat in solius Christi nomine fieri, sed quod Christi baptisma spirituale sit, non Judaicum. Insuper baptisma in nomine Christi intellige in mortem Christi.* Tum subjicit rationem, de qua supra. Quare demiramur Frassenium, & alios probare sententiam suam ex Theophylacto, præsertim cum ibidem nec de baptismo collato ab Apostolis loquatur, ac demonstret *in solo nomine Domini* esse remissionem peccatorum, redarguens eos, qui baptizabant *in Montanum, Priscillam, & Maximillam.*

17. Responsio ad 4.

De Epistola D. Bernardi est judicium Estii spuriam esse, eique affictam. Tournely inquit Estium id asserere, non probare, & Jacobum Horstium genuinam agnoscere, eique subscribere doctissimum Mabillonium: ait tamen caute, *videtur.* Censeo Estio subscribendum. Primo animadvertit etiam Michael Bajus in Opusculo *de Forma baptismi*, cap. 4. pag. 228. hanc Epistolam unam esse ex triginta, quæ posterius additæ sunt, & de quibus an sint Bernardi certo non constat. Deinde Mabillon in Præfat. ad sancti Bernardi Opera testatur eandem Epistolam *in paucis manuscriptis inveniri; nec in ullo alio, præterquam in Sorbonico exemplari valde mutilo*, à se repertam. Tertio rationem allatam ab illius Epistolæ auctore, ratum illum baptismum, quia baptizans, *in eo quod addidit, sanctæ & veræ Crucis, manifeste commendavit Dominicam passionem*, quamvis Horstius appellat non spernendam, constat esse insulsam, & quam non credo ex ore Melliflui profectam. Ipsum enim Bernardum latere non poterat nunquam *nomen Crucis* formam baptismi constituisse. Demum & Horstius ait, *Si tamen ejus est hæc Epistola, nam plerique negant.* Verum si Bernardi est, dicendum cum eodem Horstio, *Hæc sententia hodie non recipitur à Theologis, & traditione Apostolica, & aliorum Patrum, ipsiusque sancti Augustini auctoritate refellitur.* Similia Juenin in fine quæst. IV. agnoscens hanc Epistolam tanquam germanum Bernardi fœtum. Auctor denique illius Epistolæ ait se *breviter* respondere, & absque *præjudicio sanius sapientis;* quo liquet aliis negotiis distentum, nec firma, certissimaque assertione hæc dictasse.

18. Objicitur

Opp. 3. Romani Pontifices definiere baptismum in solo nomine Christi collatum ratum esse ac legitimum, quoniam & Apostoli *sub illa forma* baptizaverunt. Talem fuisse sententiam Stephani in suis literis adversus Rebaptizantes, demonstratum à plurimis, præsertim à Joanne Launojo p. v. ep. 1. & liquet ex Cypriano ep. LXXIII. ad Jubajanum. Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap. 104. interrogatus an rebaptizandi essent baptizati à quodam Judæo, de quo ignorabatur an paganus esset, vel Christianus, respondit: *Si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum quippe, idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos.* Extat etiam in cap. *A quodam*, de Consecrat. dist. IV. ubi & Glossa Decreti ait valere baptismum *in solo nomine Christi*, quamvis modo sub ea forma baptizare non liceat.

Resp. Responsio.

Resp. sententiam Romanorum Pontificum nobis innotescere ex aliis ejusdem dist. rescriptis, ex can. nempe, *Ab antiqua, Si revera, Multi sunt, Hi vero hæretici*, aliisque citatis prop. 2. quò cum Auctore Glossæ candidatum nostrum remittimus. Ac de Stephano infra; nunc enim solum reponimus, ab ipso baptismum dici *in nomine Christi*, qui à Christo institutus est, & *forma* ab illo statuta collatus. De Nicolao autem, quamquam non desunt qui eum interpretantur eo pacto, quo nos supra acta Apostolica, & Ambrosium explanavimus, eo quod Pontifex hæc eadem commemorat? respondemus tamen illius definitionem irreformabilem esse in eo, quod statuit legitime baptizatum etiam à Judæo, vel Pagano, non esse rebaptizandum; in eo, autem, quod obiter pertractat de *forma*, sub qua baptizarunt Apostoli, quoniam de hac interrogatus non fuerat, inseruitque quod opina-

opinabatur, non attendens ad traditionem, & Prædecessorum decreta, privatum Doctorem egisse, non Romanum Pontificem: siquidem non de *forma*, ut dixi, sed de ministro, interrogatus fuerat à Bulgaris; nec quæstio proposita erat, num *forma* baptismi esset *Baptizo te in nomine JEsu Christi*, sed, an ratus esset baptismus *à Judæo, vel Pagano* collatus. Atque hanc responsionem datam à Bellarmino lib. IV. de Rom. Pontif. cap. 12. à Vasquesio disp. 143. cap. 3. à Cano lib. VI. de Locis cap. 8. ad 7. à Sylvio, Tournelio, innumerisque Theologis, nemo jure repudiabit. Addo urgere hoc argumentum etiam adversarios, qui fatentur post ætatem Apostolorum baptismum datum *in nomine tantum Christi* nullum esse: unde miramur præclarum Scotistam Henno q. VI. concl. 2. auctoritate Nicolai probare aliquando ratum fuisse baptismum in solo nomine Christi, dum concluf. præcedenti, qua statuit jam invalidum esse, ad objectam Nicolai auctoritatem, respondet, *Nego, quia non interrogabatur, an valeret baptismus collatus in nomine Christi, sed an valeret collatus à Judæo.* Gerit se eodem modo Frassenius Tom. X. pag. Rom. edit. 274.

19. Objicitur 4: ratio dispensationis. 1. Opp. ult. Decebat, ut plures Theologi inquiunt, in Ecclesiæ incunabulis reddere nomen Salvatoris nostri honestissimum ac celeberrimum, ejusque divinitatem palam testatam facere: quod melius fieri non poterat, quam invocatione hujus augustissimi nominis baptizando, atque in novam Ecclesiam inferendo. Hæc ergo erat dispensationis, quam propugnant complures, causa legitima & gravis. 2. Præterea videtur Joannes Lightfootus in Horis Hebr. pag. 270. haud contemnendam rationem afferre, cur Judæi *in Christi nomine*, Gentiles *in nomine Trinitatis* essent abluendi: quia nimirum cum Judæis summe controversum est de Messia, quem esse JEsum Nazarenum à gente illa perfida negabatur, ideoque non sine causa, imo non sine necessitate initio baptizatum est *in nomine JEsu*, ut sigillo isto firmaretur hæc veritas cardinalis, *JEsum Nazarenum esse* verum Messiam. At cum Gentilibus non erat controversia *de vero Messia*, sed *de vero Deo*, & ideo inter Gentiles necessum fuit, ut initiarentur credentes, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Respondetur ad 1. Resp. ad 1. jam demonstratum supra, gloriæ & celebritati nominis JEsu consultum magis adhibendo consuetam baptismi *formam*, quàm mutilam, qua Christi nomen à Patre, & à Spiritu Sancto pronuntiatum sit separatim. Quæ enim sublimior gloria, quàm Dominum JEsum *unum* substantia ac potestate cum summo Deo profiteri; Et quidem ex *forma* baptismi unam in tribus personis ostendi essentiam ac majestatem, vidimus lib. VII. cap. 3. & hæreticos male de Trinitate sentientes non semel hanc *formam* adulterasse, ostendimus paullo supra. Dictum quoque est baptismate initiatos credentes, & per Apostolicam prædicationem fide imbutos, ideoque non ignorantes quo sensu nomen *Filii* in sancto lavacro pronuntiaretur. Quod si celebritas ac dignitas venerandi nominis postulabat, ut singillatim enuntiaretur sejunctim à personis aliis, id in prædicatione potius, quam in baptismate erat faciendum; & si adversarii non putant, Apostolos, quibus dictum est, *Ite, docete, baptizate*, annuntiasse nomen solius Christi, non Trinitatem; nunquam mihi persuadebunt baptizasse *in nomine Christi* tantum, non *in nomine Trinitatis.* Addidi confictam illam dispensationis causam, si fuit unquam, & nunc in suo robore permansuram; commendoque Subtilem Doctorem, qui ait: *Non audeo dicere quod baptizatus hodie in nomine Christi non esset baptizatus, quia non lego ubi fuerit ea dispensatio revocata;* ac pariter excuso Magistrum, & Cajetanum, qui arbitrati sunt baptismum *in solo Christi nomine* etiamnum esse ratum, quoniam talis fuit Apostolorum ætate. At cum omnium consensu postrema hæc sententia falsa sit, eamque Scholæ omnes exuerint, mehercule non video, cur primam, à qua ista consequitur, pugnaciter defensitent, quasi decertantes pro aris. Neque enim illam dispensationem aut datam esse, aut cessasse possunt evincere, quantumvis lacertis viribusque se torqueant. Dixi postremo, me præfracte non denegare, quin Apostoli honoris gratia ad *Filii* nomen addiderint vocabulum *Salvatoris nostri JEsu Christi*, aut consimile; malo etenim id asserere, quàm incompertam illam dispensationem venditare. Sed de priori argumento hactenus.

In proximo, quod urget Lightfootus, non immorabor, siquidem & nunc Judæi virulentia illa, & Vatiniano atque capitali odio in Salvatorem nostrum laborant, & nunc denegant esse Messiam: nunquam vero sine prædicatione Christi, crucisque præconio caput baptismati nostro submittunt. Si ergo olim, etiamnum in solo Christi nomine baptizari illos

illos oportet. Neque tantum *Messiam* negant; oppugnant quoque *Trinitatem*, & cum Christus se *Unum* cum Patre asseruisset, adeo commoti sunt, ut lapidibus eum impeterent. Quod si filium Patris illum credidissent, nec Messiam abnegassent. Permulti denique Judæorum, ut olim Sadducæi, Spiritum Sanctum ignorant. Quantum ergo Judæos spectat; nulla baptismi *forma* congruentior, quàm vulgaris Christi divinitatem, mysteriumque Trinitatis significans. Idem dicendum est de Gentilibus, qui non solum pluralitati Deorum addicti sunt, verum etiam detinentur errore, quod adorandus non sit Christus affixus cruci: unde ajebat Apostolus 1. ad Corinth. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Mysterium item Trinitatis adversatur gentium polytheismo, earumque captum longe superat. Quæ ergo militat pro Judæis, eadem pro Gentilibus tenet ratio. quamquam illud nobis attendendum est, non quod imbecillis ratio suadet, sed quod Veritas ipsa præscripsit. Hæc autem, ut ultima primis respondeant, priusquam cœlum conscenderet, allocuta est Apostolos repetitis sæpe verbis, & quæ in fine Hist. Evang. numeris expressit Juvencus Presbyter:

*Pergite, & ablutos homines purgantibus undis*
*Nomine sub Sancto Patris, Natique lavate,*
*Vivisci pariter currant spiramina Flavus.*

## MONITUM.

QUamquam tertiam ac postremam propositionem certam, & valide communitam existimo; nullam contrariæ inuro censoriam notam, nec improbabilem illam arbitror, si expendatur sola argumenta ab auctoritate deprompta. Principio nec unus negat in eam conspirasse antiquiores Scholasticos, præsertim in 1 v. dist. Scotum, Durandum, Divum Bonaventuram, nec non 3. p. q. LXVI. art. 6. S. Thomam, atque his subscripsisse discipulos numero, doctrina, & fama præclaros. Scio D. Thomam à Natali Alex. V. Cl. diss. 13. sæc. 111. aliisque ita exponi, quasi *hypothetice* duntaxat, non assertive in eam sententiam abierit, nec *ad dispensationem* confugerit, *nisi ex hypothesi*, methodo Scholasticæ intentum. Si quod ajunt *hypothetice*, ita accipiant, ut S. Doctor noluerit factum discutere, ac verum supposuerit, sicut videtur innuere in notis ad præcitatum articulum Joannes Nicolai; Alexandro subscribam: si usurpent τὸ *hypothetice* ad commonstrandam beati Thomæ hæsitationem, aut factam argumentationis gratia συγχώρησιν, *concessionem*, id non assentiar; non enim S. Thomas ait, *si baptizabant*, sed, *baptizabant*: exponensque subinde auctoritatem Ambrosii, eum probat de Apostolorum ætate, in qua ait servatam formam baptismi traditam in Evangelio, *integritate intelligibili*: quod minime negat Adversarius Viri Cl. P. Josephi Augustini Orsi, cap. XVII. num. 2. Aperta præterea est mens S. Thomæ in 1 v. Sent. dist. 3. art. 2. quæst. 2. ad 3. ubi docet ab Apostolis mutatam *formam sensibilem*; quod nullibi retractatum invenio.

II. Non desunt præter Scholasticos, qui in eandem sententiam devenerint, præsertim Nicolaus I. supra laudatus, à quo insertam Rescripto ad Bulgaros opinionem, quæ nono sæculo non esset recepta, nequit salva æquitate affirmari. Patres quidem à præclaro Viro Jos. A. Orsi diligenter collectos, explicandos quomodo nos supra exposuimus Acta Apostolica, Ambrosium, Basilium, & Theophylactum, erudito illius Adversario arbitror concedendum. De Ferrando tamen Diacono ad Orsium accedo. Ferrandus enim non tantum ait Apostolos baptizasse *in nomine Christi*, quæ verba fateor esse ambigua, sed etiam rotundis verbis addit, nomen Patris, & Spiritus Sancti subticuisse: *In nomine Domini* (inquit Ferrandus in Epist. ad Anatolium pag. edit. Rom. 75.) *in nomine Domini JEsu Apostoli baptizabant: nunquid quia Patrem, & Spiritum Sanctum tacebant, ideo negabant?* Nequeunt hæc verba in sententiam nostram trahi, nisi per vim ac violentiam. Certe de mente Ferrandi non dubitat in notis ad Facundum Hermianensem vir summus Jacobus Sirmondus.

III. Veterum opinioni non opponitur Catechismus Romanus de Baptismo num. 15. Catechismum vero à selectis Theologis præside Cardinali Sirleto editum jussu Pii V. & à Gregorio XIII. approbatum, non pertenuis existimamus auctoritatis: in sententiam tamen nostram ejusdem Catechismi Auctores seq. n. 16. descendisse observatum est supra. Opinionem illam docuit è suggestu in Concilio Basileensi die XVI. Januarii an. 1433. Joannes de Ragusio Dominicanæ Familiæ Procurator Generalis; atque in Congregat. Gen. Synodi Tridentinæ die XVII. Junii an. 1562. Ludovicus Joannes Villetanus, uterque de Communione

nione sub utraque specie naviter disputans, & ex variatione *formæ* baptismi facta ab Apostolis inspiratione divina, probans argumento *à majori ad minus* non semper necessario servandam utriusque *speciei* communicationem: quod argumentum, tametsi ambiguo fluxoque principio innixum, ostendit tamen quid de *forma* baptismi ab Apostolis collati ad sæculum usque decimum sextum tenuerint celebriores Theologi. IV. Addam postremo in gratiam sententiæ oppositæ, hæc haberi in Synodo Nemausensi celebrato circa annum Domini 1484. imperante in Galliis Philippo III. *Dicimus infantem baptizatum esse, si baptizans dixit, Baptizo te in nomine Christi. Quod tamen non est laicis exprimendum, ne à forma statuta per Ecclesiam recedatur.* Extat prope finem Tom. XI. Conc. Labbei. Similia leguntur in statutis Synodalibus Eliæ Episcopi Uticensis, quæ non habentur impressa: de quibus lib. I. art. XIV. n. 20. eximius Martene. Hæc tamen mihi non videntur talis ponderis, quæ nos valeant removere a superiori sententia; cum nonnulla ex dictis etiam hoc tempore baptismum in solo Christi nomine datum comprobarent; cætera autem innitantur facto historico, in cujus perquisitione permulti operam minime locaverunt: quod præmonui hujus dissertationis initio.

# CAPUT X.

## Solvuntur nonnullæ quæstiones circa *formam* Baptismi.

## *SUMMARIUM.*

1. Validè baptizat, qui locô tò baptizo, dicit v. g. mergo, abluo &c.
2. An valeat baptismus sine expressione subjecti?
3. Qui dicit *in nominibus* locô to in Nomine, invalidè baptizat.
4. An valeat baptismus, si ter repetatur *in nomine*?
5. 6. 7. An valeat sub hac forma: ego te baptizo in Nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque.
8. An omissa particula & valeat baptismus.

I. Quæst. 1. An validè baptizet, qui loco tò *baptizo*, utitur v. g. *mergo, abluo, tingo?* Respond. 1. aliqui negativè,

COmmunem *formam* Baptismi hactenus explicavi. Verùm quid censes de illa *forma*, in qua minister pro verbo *baptizo*, aliud apponeret, V. G. *mergo, abluo, tingo?* Nullum tali in casu fore baptismum statuit Glossa Decreti, in cap. *Multi sunt*, de Consecr. dist. IV. quoniam, inquit, Mergo *non est synonimum cum eo verbo, Baptizo.* Etiam Innocent. IV. in cap. *Si quis puerum*, de Bapt. ait: *Loco hujus verbi, baptizo, non potest poni lavo, vel balneo, quia hoc verbum baptizo plus importat ex institutione, quam sit ejus propria significatio.* Idem ex

Respond. 2. Auctor affirmativè, Scholasticis opinantur Alensis q. VIII. de Baptismo art. 3. num. 3. & Gabriel in IV. dist. 3. At ratum, legitimumque baptismum in tali casu existimo, primò quoniam constat ex cap. 1. hujus libri hæc verba *baptizo, abluo, tingo, mergo*, revera esse synonima; unde corruit contrariorum præcipua ratio. Ad hæc apud Tertullianum pro *baptizare* legimus *mergitare*, ac *tingere*, lib. de Bapt. cap. 13. adv. Praxeam 26. & de Corona militis cap. 3. Cyprianus etiam epist. 22. ad Clerum Romæ consistentem pag. 78. ait: *In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti gentes tingui;* & epist. 25. ad Moysen pag. 82. aliisque in locis verba Matth. XXVIII. 19. sic recitat: *Ite ergo, & docete omnes gentes, tingentes eos, &c.* Hieronymus Tom. 14. pag 14. id est, in cap. ult. Matth. *Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua:* & post pauca, *Jussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent Sacramento.* Isidorus denique lib. VI. Orig. cap. 19. *Baptismus Græce, Latine tinctio appellatur.* Insuper Stephanus III. anno 754. in Responsis Carisiacis, (quæ tamen non esse exploratissimæ auctoritatis diximus pertractantes de bapismate in vino) num. 14. rite baptizatum puerum definivit, sub hac forma, *In nomine Patris mergo: & Filii mergo: & Spiritus sancti mergo.* Ad Glossam autem Decreti, & ad Innocent. IV. aliosque oppositæ sententiæ verbotenus hærentes, respondeo accipiendos esse in hypothesi, qua non intenderent lavantes puerum rem sacram peragere, nec facere quod intendit Ecclesia; cum revera sermonis nostri consuetudine verbum *lavare*, & *abluere* profanam actionem, non sacra-

mentalem significet. Dico etiam eum, qui non ignarus sermonis nostri, pro *baptizo* aliud verbum synonimum usurparet, etsi intentionem rectam haberet; scelus tamen grave patraturum; propterea quod, si verbum *Baptizo*, juxta Augustinum lib. VI. contra Jul. cap. 9. num. 26. à Latinis non adhibetur, *nisi in Sacramento regenerationis*; neque fas est ad usum Sacramenti transferre quæ humanis rebus etiam contaminatis promiscua facimus.

II.

2. Quær. 2. An Baptismus valeat, sine expressione *subjecti*? 1ma sent. affirmat.

Quid vero, si in forma baptismi nullo modo exprimatur *subjectum*, aut pronomine *Te*, aut æquivalenti vocabulo, validum ne conficietur baptisma? Sunt qui affirmant duplici ratione ducti. Petitur una ex præcitato Stephani III. Rescripto; in recensita enim *forma* nullatenus persona baptizata designatur. Depromitur altera ex Decreto Eugenii IV. asserentis perfici Sacramentum, *si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctissimæ Trinitatis invocatione*: quod, inquiunt, servatur in hac forma, *Ego baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Etenim verbum *Baptizo* comonstrat actum, qui à ministro exercetur; & quæ sequuntur, continent invocationem Trinitatis. Oppositam tamen sententiam tanquam probabiliorem amplector cum Dominico Soto in IV. dist. III. art. 5. Sylvio in 3. p. q. 66. art. 6. concl. 3. Vasquesio disp. 142. cap. 3. quibus omnes, si unum, vel alterum excipias, subscribunt. Movet me primum, quod in nullo Rituali, aut Euchologio *formam* aliquam baptismi deprehenderim, in qua persona ejus qui baptizatur, aut nomine, aut pronomine, aut adjuncto aliquo non explicetur; nec video cur Farvacques vellicet Præpositum id asserentem. Deinde in hoc Sacramentum baptismi situm arbitror, quod elementum *vi formæ* applicetur suscipienti. Insuper non video, quo pacto, nisi *subjectum* exprimatur, designetur certa & determinata actio, & non potius vaga & indifferens. Nec urgent contraria argumenta. In Rescriptis enim Carisiacis irrepsisse glossemata, nec constare eadem esse Stephani, dictum supra. Eugenius autem jam *formam* Latinorum Græcorumque descripserat, in qua exprimitur baptizati persona; ac propterea docens valere formam utramque, & Sacramentum perfici, *si exprimitur actus*, loquitur *de actu determinato*, ut exprimitur in forma Latinorum vi pronominis *Te*, in forma autem Græcorum vi adjuncti *servus Christi*.

ada negativa & Auctoris.

III.

3. Quær. 3. An valeat baptismus sub τὸ *in Nominibus*? Resp. negativè.

At quid, si minister τὸ *in nomine* pronuntiaret numero multitudinis, *In nominibus*? Nullum in hac hypothesi fore baptisma consentiunt omnes. Prior ratio infertur ex verbis Christi, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine*, sive ut Græci habent, εἰς ὄνομα, *in nomen*. Proxima petitur ex consuetudine, ac disciplina omnium sæculorum; nullam quippe Catholicam *formam* invenies ejuscemodi immutatione prolatam. Eruitur tertia ex Patribus. Ambrosius lib. I. de Spiritu sancto cap. cap. XIII. num. 132. de præcitatis Domini verbis ait: *In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus sancti; quia unus Deus*: nec aliter Auctor librorum de Sacram. quem Ambrosii nomenclatura laudamus, lib. II. cap. VII. num. 2. *In uno autem nomine baptizari nos jussit*, hac producta ratione, *Noli mirari quia dixit unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas*. Item Hieronymus in cap. IV. Epist. ad Eph. Tom. IV. pag. 362. *Et non baptizamur in nominibus Patris & Filii & Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus*. Nec aliter Augustinus lib. 2. adversus Maximinum cap. 22. num. 3. *In nomine, non in nominibus: hi enim tres unum sunt, & hi tres unus est Deus*: atque Tract. VI. in Joan. num. 9. *Intenti facti sumus cum audiremus, Ite, baptizate gentes. In cujus nomine? In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Iste unus Deus, quia non in nominibus, sed in nomine. Ubi unum nomen audis, unus est Deus*. Quarta ac postrema ratio ex dictis infertur, quia cum τὸ *in nomine* divinam substantiam, virtutem, potestatemque significet; si dicas, *in nominibus*, sensum omnibus orthodoxis oppositum, & quidem parvum, hæreticum, nefarium appingis præscriptæ *formæ*, eamque adulteras substantiali depravatione: atque rationem istam perlegas quoque in Catechismo Rom. P. 2. de Sacram. Baptismi num. 12.

IV.

4. Quær. 4. An ratum sit baptisma, si ter repetatur τὸ *in nomine*? Respondet: n: Bonacina negativè.

Si autem pronuntiet quidem *in nomine*, sed hanc particulam tertio repetat, dicens, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti*, baptisma reputandum erit legitimum? Haud vereor, quin sint negaturi Italorum complures, quibus magnus Apollo est Martinus Bonacina. Etenim is de Baptismo disp. 2. qu. 2. punc-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

puncto 4. parem casum hunc facit cum præcedenti, scribens num 5. *Quamobrem si quis baptizando dicat, Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. aut etiam si dicat, Te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, invalide baptizat, ut multi Doctores testantur apud Suarez, &c.* Rationem addit Bonacina, *Nam dicendo in nomine Patris, &c. non ostenditur unitas divinæ essentiæ.* Verum, si nonnihil sapio, nihil absurdius, & in re tam gravi ponderatum minus, poterat à Moralistarum signifero in vulgus spargi. Principio ea *forma* passim peracta Sacramentalia inficias non ibit antiquorum Ritualium inspector. Invenies enim in Ordine Baptismi Ecclesiæ Alexandrinæ Tom. IV. vet. Bibl. Parum pag. 58. effundi in aquam baptismalem sacrum Chrisma his verbis: *In nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, Amen.* Ex veteri Sacramentario Gallicano edito à Jo. Mabillonio Tom. I. Mus. It. ipsa baptismalis aqua hoc exorcismo expiatur: *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Domini nostri JEsu Christi Filii ejus, & Spiritus Sancti.* Nec aliter legas in Sacram. Gelasii. Interdum etiam quod significatur *Dei nomine*, synonimis repetitur, ut in Exorcismo salis Ritualia etiam posteriora, ac probatissima, *Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini nostri JEsu Christi, & in virtute Spiritus Sancti.* Nonnunquam adinvenies particulam *in nomine* semel tantum repetitam, & tertio loco positam æquivalentem, *in virtute*, ut in Exorcismo priusquam accedatur ad baptisterium, *Exorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine JEsu Christi Filii ejus & Judicis nostri, & in virtute Spiritus Sancti.* Vides in hisce exemplis aliquando duabus tantum, aliquando vero æquipollenti vocabulo τὸ *In nomine* pronuntiatum absque ullo prorsus fidei in Sanctam Trinitatem dispendio. Nec dicas his in locis repetitum *In nomine* commonstrare aliam naturam in Filio, id est, humanam: nam primum id affirmari nequit de Spiritu Sancto, in cujus invocatione repetitum *In nomine*, aut, *in virtute* apertum est. Deinde natura Christi humana non invocatur absque divina. Quem sensum denique appinges exscriptis ritibus, perspicies facile accommodari *formæ* baptismatis, de qua disserimus.

Respondet 2. Auctor affirmativè.

II. Si fas non est repetere particulam *In nomine*, propterea quod substantiam potestatemque significat; sacrilegum & erit iterato proferre hoc nomen *Deus*, cujus eadem est significatio. Damnabimus propterea probatam ab Ecclesia dæmonum adjurationem, *Imperat tibi Deus Pater: imperat tibi Deus Filius: Imperat tibi Deus Spiritus Sanctus.* Rejiciemus quoque symbolum Athanasianum, & universis Theologis temere audacterque refragantes nullum judicabimus baptisma datum hac formula, *Baptizo te in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus Sancti.* Si autem repetitum vocabulum *Deus* nequaquam divinam substantiam multiplicat; nec eam multiplicabit repetitio particulæ *in nomine.*

III. Nec attente Bonacina Suaresium perlegit, qui invalidam utique censet baptizandi formam, si pro *In nomine*, dicas *In nominibus;* at de replicato *In nomine*, loco, quem Bonacina citat, id est disp. XXI. in quæst. 66. 3. p. inquit: *Respondetur illam formam esse validam, quia unum & idem nomen potest iterum atque iterum nominari, & invocari absque pluralitate, & vere dicitur, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus.*

V.

5.

Quær. 5. An valeat *Ego te baptizo in nomine* Genitoris, Geniti & Procedentis ab utroque?

Tres personas *in forma* baptismatis singillatim exprimendas diximus sup. capite: si autem quis eas designaret istiusmodi verbis, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque;* ratumne censendum erit Baptisma? Respondeo me propriæ inscitiæ conscium nolle de hac quæstione proferre judicium: non enim me latet, nullum baptismum illum definire S. Thomam lib. IV. ad Annibaldum dist. 3. q. un. art. 2. Scotum in IV. sent. dist. 41. q. 2. num. 9. Thomistas omnes, Cajetano excepto, in 3. p. disp. LXVI. art. 5. & Scotistas cum Mastrio disp. 2. de Baptismo, & Confirm. q. 2. nec non Sylvium in cit. q. LXVI. concl. V. Suarez ibidem disp. 222. sect. 4. Estium in IV. dist. III. §. 6. Vasquez disp. 144. cap. 2. ac Nostrates cum Friderico Gavardi q. 2. de Baptismo art. 6. Quis vero cum talibus tantisque adversariis audeat subire certamen? Neque enim pugnant inermes, sed quod ajunt, sequentibus argumentis defendunt. Est primum, quod vocabula *Genitoris & Geniti* non significant personam subsistentem, sed proprietatem, & actum, prout Scholæ appellitant, *notionalem:* nam nomen *Patris* significat relationem, quæ constituit *hypostasim*, nomen vero *Genitoris* significat originem, *quæ non est constitutiva hypostasis*, ex doctrina S. Thomæ 1. p. q. 40. art. 2. Proximum argumentum

Resp. I. negativa est D. Thomæ, Scoti, & omnium Thomistarum &c. excepto Cajetano.

Prob. Responsio

1.

2.

tum est, quod sicut ex parte *materiæ* assumitur aqua communis & naturalis, nec sufficit æquivalens ex rosis, aut aliis floribus expressa ; ita *in forma* assumi debent nomina in ea lingua, in qua proferuntur, communia; maxime quod Dominus *materiam* ac *formam* baptismi determinavit: quæ ratio insinuatur ab eodem D. Thoma 3. p. q. LXVI. art. 5. ad 7. Addamus argumentum tertium: Constat Epiphanium hæresi LXXIII. quæ est Semiarianorum, reprobare baptismum datum in nomine *Ingeniti, & Geniti;* quod videtur hoc idem, de quo disputamus. Etsi enim hunc locum Epiphanii interpretantur quidam, quasi τὸ *in nomine Ingeniti & Geniti*, idem sit, ac, *In nomine increati, & creati*, quia disputat adversus Arianos inter creaturas divinum Verbum connumerantes; hi tamen decipiuntur, quoniam Epiphanius, ait, εἰς ὄνομα τῦ ἀγεννήτε, ϗ γεννητε, geminata litera *vv.* utiturque participiis verbi γενναόμαι, gignor, non γίνομαι, *fio:* de quorum verborum diversitate dixi cap. ult. libri VII. Constat autem pravam hæreticorum fidem vi Sacramentorum non obesse, modo verba idonea ab illis adhibeantur.

3.

6. Responsio secunda affirmativa, cui subscribit Auctor.

Et tamen hæc, ut dicam quod sentio, me à sententia Cajetani penitus non divellunt, quam video etiam probatam Glossæ cap. *Multi sunt*, de Consecr. dist. IV. & Scholasticis etiam nonnullis, inter quos Puteanus noster, Victoria, ac Ledesma, laudati à Guerrero pag. 424. Me autem primum permovet, quod libro IX. aliam sectatus physiologiam, nullam cum Gregorio Ariminensi agnosco intrinsecam formam à divina substantia distinctam, per quam constituatur *persona* : & hujus nomine nihil aliud percipio, quàm id quod est, non *absolute*, sed *connotative*, id est, cum ordine ad aliud. Atqui hoc vocabulo *Genitoris* designatur quod est cum ordine ad aliud, scilicet *Generans* cum relatione ad *Genitum*. Igitur hoc nomine significatur vere proprieque *persona*.

II. Si attendamus Grammaticalem significationem, hoc nomen *Christus* significat *Unctum*, non hypostasim; *Paracletus* etiam *advocatum*, & *consolatorem*, non personam, & nihilominus nomina sunt personarum, ratione, ut inquiunt scholæ, *concreti:* quoniam ille, qui unctus est, persona est; & ille, qui advocatus est, pariter persona est. Ergo, etsi nomen *Genitoris* actum demonstret gignendi, nihilo tamen minus, quoniam ille qui gignit, Pater est, & ille qui genitus est, Filius est; ratione *concreti* Genitor, & Genitus designare debent personas.

III. Quid metaphysicis perceptionibus mentem diverberamus? Ex communi usu exquirere debemus significationem vocabulorum: lingua vero tam latina, quam vernacula, *Patris*, ac *Genitoris* nomine promiscue utimur: nec aliter divina Scriptura Eccli. XXII. 4. singulas item Trinitatis Personas ita in pervulgato hymno veneramur, *Genitori, Genitoque laus & jubilatio, &c.*

IV. Nec nomina, quibus utimur frequentiùs, *Patris*, *Filii*, & *Spiritus Sancti*, spectata vi Grammaticali significant hypostasim ; sed omnino synonima sunt cum vocabulis *Genitoris*, *Geniti*, & *Spirati*, actumque *notionalem*, non rem subsistentem designant: & singulorum consequenter eadem est ratio. Dicitur *Genitor* à *gignendo*, & dicitur *Pater* juxta Varronem lib. IV. de Lingua Latina, *à patefaciendo semine:* aut à Græco πατὴρ, derivato à πάω, id est, *alo*, quod Pater sit *altor prolis*, sive, ut placuit Eustathio, ἀπὸ τοὺς παῖδας τηρεῖν, *à parvulos asservare ac tueri.* Item *Filius* est à φύω, *parior*, *nascor*, transeunte *v.* in *i.* aut, quemadmodum quidam volunt, à φιλέω, *amo*, quoniam amor omnium constantissimus est parentis in filium : alterum item vocabulum Græcum τέκνα, *filius*, à τίκτω, *pario*, Spiritus quoque à *spirare*, sicut, & Græcorum πνεῦμα ἀπὸ τοῦ πνεῖν, quod est *spirare ex ore.* Hebræi etiam Patrem dicunt אב *Av*, ab אָבָה *velle*, & *concupiscere*, Filium vero בֵּן *Ben* ex בָּנָה *ædificare*, quasi sit Patris *ædificium*; & Spiritum רוח, *Ruah*, à רוח *spirare.* Ex quibus apparet eandem prorsus esse rationem de nomine *Patris*, *Filii*, & *Spiritus Sancti*, atque de nomine *Genitoris*, *Geniti*, *ac Spirati*, sive vim Grammaticalem, sive usum attendas.

7. Respondet Auctor ad rationes primæ sent.

Ad primam ergo objectionem respondeo vocabulum *Genitoris* significare actum quidem *notionalem*, sed *in concreto*, quod omnino apparet etiam in vocabulo *Patris*; idque repono de nomine *Geniti*, & *Spirati.* Ad alteram dico Christum determinasse materiam & formam Sacramentorum *in specie*, non *in individuo*; & synonima idem significantia non immutare substantiam vocabulorum. Ad tertium dico Epiphanium jure reprehendere Semiarianos, qui pravo animo nomina adulterabant : nec denego graviter peccaturum qui mutaret consuetam baptismi *formam* aut intentione perversa, aut animi vanitate tametsi

Ad 1.

Ad 2.

Ad 3.

tametsi persisteret substantia verborum. Affirmo etiam non valere baptismum datum *in nomine Ingeniti, & Geniti*, quoniam *Ingenitum* significat attributum Patri, & Spiritui sancto commune, neque in ea *forma* Spiritus sanctus exprimitur, Salvo itaque meliori judicio baptismum datum *in nomine Genitoris; &c.* validum censeo, nec reiterandum, nisi forte sub conditione.

8. Quær. 6. An omissâ particulâ & valeat baptismus? Respondent 1. aliqui negativè.

VI.

Postremò (nam si quæ sunt alia, quæ in quæstionem venire possunt, expedita fuere libro præcedenti cap. XII.) dubitant aliqui, num baptisma ratum sit prætermissa duntaxat minima particula *Et*, quoniam etsi parvi momenti videatur, demonstrat tamen divinarum personarum distinctionem: atqui his videtur accedere Gabriel in IV. dist. 3. & Augustinianus Belga Leonardus Vanroy cap. 1. de Bapt. q. v. At ego absque ulla hæsitatione ratum baptisma illud existimo, propterea quod vocabula *Patris, Filii, & Spiritus sancti*, nativa, propriaque significatione demonstrant oppositionem relationis, ideoque distinctionem personarum. Quamquam nec minima illa particula omitti debet; & qui eam prætermitteret Sabelliana pice inquinatus, subjiceretur anathemati, quod anno D. 538. Vigilius scribens ad Eutherium intorsit in quosdam, qui, *ut minuerent Trinitatem*, in fine psalmorum sublata syllaba conjunctiva dicebant: *Gloria Patri, & Filio, Spiritui sancto.* Adeas Tom. V. Conciliorum pag. 312.

Respondet 2. Auctor affirmativè.

# CAPUT XI.

## Pertractatur de Ministro Baptismatis.

## *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. 3. Jus Solemniter baptizandi convenit principaliter Episcopis, & dependenter ab horum auctoritate Presbyteris.
4. Diaconus hoc tantùm potest ex delegatione.
5. Quondam tamen Diaconis collatum fuit officium baptizandi.
6. 7. An Diaconus possit esse minister ordinarius?
8. In necessitate etiam laicus validè & licitè baptizat.
9. 10. Solvuntur objectiones.
11. Etiam mulieres in necessitate validè baptizant.
12. 13. Satisfit objectionibus.

I. Status quæstionis.

SEquitur, ut dissertationem instituamus de Baptismi ministro: quod ut ordinata præstetur methodo, primum de baptismo solemni ritu, & extra necessitatem dato, deinde de privato, collatoque periclitantibus, pertractabimus. Ac ministrum quidem solemnis baptismi esse Episcopum, ac Presbyterum, nec non ex delegatione Diaconum, ipsi Novatores consentiunt. In necessitate autem baptizare etiam minores Clericos, imo & Laicos, doctrina Catholicorum est, cui opponuntur Calvinus lib. IV. Institut. cap. XV. n. 20. & Græci quidam recentiores apud Petrum Arcudium lib. 1. Concordiæ cap. XI. pag. 24. Controversia major videri potest de mulieribus, quas nonnulli Patrum, & antiqui canones negant habere potestatem baptizandi: contra vero Marcionitæ, Pepuziani, & Collyridiani munere solemniter baptizandi fœminas honestabant. De hisce omnibus hoc capite agendum est.

2. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Jus baptizandi solemni ritu Episcopis principaliter datum est, deinde Presbyteris id comissum, non tamen absque Episcoporum auctoritate.

Jus solemniter baptizandi convenit principaliter Episcopis: dein Presbyteris, non tamen absque Episcoporum auctoritate. Prob. ima Pars. 1.

Demonstratur prima pars. I. Apostolis, quorum Episcopi successores sunt, dictum est à Domino Matt. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & Paulus Epist. ad Corinth. prima, se, aliosque Apostolos appellat cap. IV. 1. *Dispensatores mysteriorum Dei.* 2.

II. Apostolos ac Discipulos ministrasse baptismum ex historia novi testamenti aperte constat; ubi legimus Petrum baptizasse tria millia hominum Act. II. 41. à Paulo baptizatum Crispum, Cajum, & domum Stephanæ 1. Corinth. 1, 14. 16. Lydiam Act. XVI. 15. & ibidem 33. custodem carceris Philippensis. 3.

III. Non aliud docent antiqui Patres. Tertullianus de Bapt. cap. 17. inquit: *Dandi* (baptismum) *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ Tom. III. pag. 1673. ait:

*Sacerdotes autem, qui dant baptismum, faciunt oleum Chrismatis, manus imponunt, catechumenos erudiunt, Levitas, & alios constituunt Sacerdotes.* Ex hoc loco, & ex præcitato Tertulliani, atque ex Auctore librorum de Sacram. inter Opera Ambrosii lib. III. cap. I. num. 4. intelligimus olim Episcopos dictos simpliciter *Sacerdotes*, aut etiam *Summos Sacerdotes.* Idem Hieronymus adversus Luciferianos p. 2. Tom. IV. pag. 259. ait: *Sine Episcopi jussione neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi.* IV. Idem ostendunt exempla sanctissimorum Episcoporum, qui suis manibus baptizarunt. De Macario Jerosolymorum Antistite scribit Theodoretus lib. II. H. Ec. cap. 27. veste aureis filiis contexta donatum à Constantino, *ut ea indutus divini baptismi ministerium perageret*, ἵνα ταύτην περιβαλλόμενος, τὴν τε θείε βαπτίσματος ἐπιτελῆ κειτεργίαν, pag. edit. Val. III. Ambrosius, auctore in ipsius Vita Paulino *ejus notario* (errant permulti, qui illam adscribunt S. Paulino Nolano Episcopo) num. 9. *postulavit non se, nisi à catholico Episcopo, baptizari:* & num. 38. *In rebus divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi tempore, quo decessit, vix implerent.* Licentius in carmine ad S. P. Augustinum olim præceptorem suum, apud ipsum August. Epist. XXVI. olim 39. num. 3.

*An te voce vocem, clari quem Rector Olympi*
*Fontibus infantum præfecit, & abdita jussit*
*Ubertate animi longe ructare fluenta:*

4.

5. Quibus verbis supponit munus esse Episcopi tam *docere*, quam *baptizare.* V. Non Solum jus baptizandi Episcopis est, verum etiam hi tantum in primis Ecclesiæ sæculis baptizabant, quod duplici argumentorum genere demonstratur. Ac primum depromitur, ex quo olim in qualibet civitate unum duntaxat baptisterium extaret, idque prope Cathedralem Ecclesiam, ut annotarunt summi viri Panvinius noster in libro de præcipuis urbis Basilicis cap. de Baptist. Lateran. Joseph Vicecomes lib. I. de Antiq. Rit. cap. 8. Lupus de Appel. Eccl. Africanæ cap. 28. ubi è Baptisterio demonstrat Carthaginensem Basilicam Fausti, in qua baptizabat S. Eugenius, fuisse Cathedralem, Martene lib. I. cap. I. art. 2. num. 15. atque in priori Notificat. doctissimus Bononiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, nunc Oecumenicus, & Vigilantissimus Christiani populi Rector. Confirmat tantorum virorum assertionem, quod in vetustis Martyrologiis invenio commemoratam III. Kal. Julii dedicationem *antiqui Baptisterii Romæ*: in Concilio Toletano XVII. celebrato anno 694. de Regulis fidei, mandatum Episcopis, ut propria manu claudant, *suisque signaculis obsignent* ostia Baptisterii; in Hispaniis denique non nisi post annum Domini 890. baptisteria fuerunt multiplicata, ut constat ex cap. XII. Synodi Triburiensis Tom. IX. Conc. 345. Persistere antiquitatis vestigium, quantum ad unicum Baptisterium, Florentiæ, Bononiæ, Parmæ, Pisis, & Urbeveteri scripsit citato loco Panvinius. Nulla autem congruentior unius baptisterii, & prope Cathedralem constructi potest ratio assignari, nisi quod olim soli Episcopi baptizarent. Argumentum alterum conficiunt historica monumenta, quæ ante Martenium, & recentiores Theologos, collegit in Appendice ad Ephesinum Latrocinium eximius Lupus: Epistola nempe Cleri Edessæni ad Photium & Eustachium, quæ extat in Actis Conc. Chalced. Act. X. rogantis, ut imminenti Paschali festivitate ad propriam sedem Ibas remitteretur, quoniam ipsius præsentia opus erat *propter catechismos, & propter eos, qui digni sunt sancto baptismate.* Epistola S. Gregorii Papæ 32. libri I. nunc 33. ad Romanum Patritium, & Exarchum Italiæ, suffectum à Mauritio Imperat. in locum Smaragdi, qua illum hortatur, ne in civitate Ravennate detineat Blondum Hortensis civitatis Episcopum, quod eo absente fieret, *ut Ecclesia sine Rectore, & populus quasi sine pastore grex*, defluereret, *& ibidem infantes absque baptismate* morerentur. Sapienter in notis ad hanc Epistolam PP. S. Mauri: *Quare absente Episcopo infantes sine baptismate moriebantur? Quia baptismi ordinarius minister est Episcopus, & in illa solum civitatis Ecclesia, in qua Episcopus sedebat, olim erat Baptisterium: hodieque Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, Bononiæ, &c. in solis Ecclesiæ Cathedralis Baptisteriis infantes sacris aquis intingui solent.* Similia legas in Epistola Hincmari LII. ad Odacrum invasorem Ecclesiæ Bellovacensis, de qua Lupus citato loco Tom. I. vet. edit. pag. 855. & Tournely de Sacram. Bapt. pag. 140. *Odoacrum* hi duo pronuntiant: at Hincmarus *Odacrum.* De prima parte propositionis hactenus.

Secunda

3. Prob. 2da Pars. 1.

Secunda pars de Presbyteris probatur. I. In Constitut. Apostolicis lib. III. cap. XI. legimus: *Permittimus baptizare solos Episcopos ac Presbyteros, ministrantibus Diaconis*, ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν μόνοις ἐπισκόποις, καὶ πρεσβύτεροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς ὑπὸ διακόνων. Innoc. I. Epist. ad Decentium cap. 3. Tom. 2. Concil. ait de Presbyteris: *Seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant.* Concilium Florentinum Tom. XIII. pag. 535. in Decreto pro Armenis, *Minister hujus Sacramenti* (baptismi) *est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Idem eruitur ex Responsis Stephani III. aut II. non semel laudatis, à num. X. usque ad XV. Tomo Conciliorum Labbei Sexto. Non aliud colligas ex Vet. Ordine Romano pag. 696. Tom.

2. XIII. Bibl. Patrum. II. Idem constat auctoritate Majorum. De Tertulliano, Hieronymo paulo supra. S. P. Augustinus serm. 33. de diversis, nunc CCCXXXIV. narrans miraculum beati Stephani apud Uzalim patratum, quo revixit infans in gremio mulieris Divi opem implorantis, inquit: *Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus Sacramentis assumptus est.* Ac Theodulphus Aurelianensis Antistes editus à Sirmondo, de Bapt. cap. 17. *Presbyteris* (inquit) *sive absentibus, sive præsentibus Episcopis, baptizare licet.*

3. III. In hoc tantum difficultas aliqua occurrit, an Presbyteri sint *Ordinarii* ministri baptismatis, an *Delegati.* Esse enim *ordinarios*, & *ex officio*, constat ex Florentino Concilio. ex Catechismo Romano, tit. de Baptis. num. 23. ex D. Thoma 3. p. q. 67. art. 2. ex ratione pervulgata, quoniam presbyteri ad Eucharistiam consecrandam institituti sunt, ideoque etiam ad illa administranda, per quæ ejusdem Eucharistiæ quilibet particeps esse possit. Econtra habere presbyterum solam potestatem baptizandi *delegatam*, videtur colligi ex præcitatis testimoniis Tertulliani, & Hieronymi, asserentium presbyteros non habere jus baptizandi nisi *ex jussione & auctoritate Episcoporum:* nec aliter Ignatius in Epist. ad Smirnenses, & Epist. 88. ad Episcopos Germ. & Galliæ (si tamen suppositia non est, ut visum Quesnellio) Magnus Leo. Accedit & ratio, quia baptizare & in Ecclesiam recipere Pastorum, Rectorumque munus est. Attamen, etsi Catech. Rom. ibid. ait antiquos Patres, ubi affirmant Sacerdotibus sine Episcopi venia jus baptizandi non esse permissum, accipiendos de certis anni diebus, quando solemni ritu Episcopi baptizabant; arbitror facilius omnia conciliari, si dicamus Sacerdotes omnes habere *vi Ordinis*, ut præsint Christianæ plebi, ideoque & doceant, & baptizent, & Sacramenta omnia (Ordine, & Confirmatione exceptis) ministrent: quamobrem Episcopus sacram ordinationem celebrans inquit, *Presbyterum oportet præesse*; sed hac in re attendendam esse Ecclesiasticam politiam, atque Antistitum jurisdictionem. Quare dum Episcopi baptizabant, non poterant id muneris arripere presbyteri; uti & modò, si illi doceant, hos tacere necessum est. Ita si nunc adsit Parochus, non debet baptizare alius Sacerdos, nec parentes possunt ad aliam Parœciam deferre baptizandum infantem. Ac propterea optime in Rituali Romano præscriptum legimus solemnis baptismi ministrum *esse Parochum, vel alium Sacerdotem à Parocho, vel ab Ordinario loci delegatum.* Dicam brevi: Quilibet Sacerdos vi ordinationis habet baptizandi potestatem, non autem jurisdictionem.

4. Propositio 2. Diaconus tantùm ex delegatione baptizat solemniter. Prob. 1.

PROPOSITIO II. Diaconus nonnisi ex delegatione, potest solemni ritu baptismum administrare.

Probatur 1. auctoritate Tertulliani & Hieronymi, qui affirmant Diaconis *absque Episcoporum jussione* potestatem baptizandi non esse. Auctor Constit. Apostol. lib. VIII. cap. 28. pag. 411. *Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit vero ab Episcopo, & presbytero, non baptizat, &c.* Citatur hic locus in fine Responsionum Nicetæ Heracleensis ad Constantinum Episcopum. Epiphanius in h. LXXIX. quæ est Collyridianorum: *Nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur, sed hoc duntaxat, ut eorum quæ perficiuntur, ministri sint.* Καὶ γὰρ οὔτε Διάκονοι ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιτρεύθησαντι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλα μόνον διακονεῖν τα ἐπιτετελεσμενα 2. II. Probatur ex definitione Canonum. In cap. *Diaconos*, dist. XCIII. cap. 3. legitur: *Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis ordinibus, seu officiis longius constitutis, extrema necessitas compellat.* Depromptus est canon ex Epistola Gelasii ad Episcopos Lucaniæ cap. VII. Extat. Tom. IV. Concil. Similia legas in cap. 19. *Constat*, de Consecrat. dist. IV. desumpto ex libro 2. Isidori de Offic. cap. 24. Nec aliter canone IV. Concilii Rothomag. celebrati anno MLXXII. Volum. Conc. IX.

Dia.

5. Certum est Diaconis quondam collatum esse officium baptizandi.

Diaconis vero commissum aliquando baptizandi munus, nequit in dubium revocari: Philippum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginæ Æthiopum constat ex cap. VIII. Actuum II. Habemus Concilii Illiberitani canonem LXXVII. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel presbytero aliquos baptizaverit, &c.* quo permittitur Diacono jurisdictione Ecclesiastica prædito baptizare, non autem baptizatum per benedictionem *perficere*, id est, *confirmare*: quod Episcoporum munus est. III. Ex præcitato Ordine Romano liquet Diaconos in Sabbato sancto præsertim baptizasse, quod nempe hoc eis indulgeretur propter multitudinem ad baptismum confluentem, ut observarunt Andreas Saussay in Panopl. Sacerdot. lib. 2. cap. 6. Ferdinandus de Mendoza lib. III. de Conc. Illiberit. cap. 77. Thomassinus de Eccl. disciplina lib. 2. primæ partis cap. 29. Franciscus Hallier de Hier. Eccl. lib. 3. act. 3. §. 3. & in tit. 28. lib. v. Decret. Emman. Gonzalez. IV. Idem eruitur ex Catech. Rom. P. II. cap. 2. n. 23.

6. Refertur sententia dicentium Diaconos esse Ministros Baptismi *ordinarios*: una cum rationibus

Non desunt tamen, qui putent Diaconos posse *ex officio* conferre baptismum, ejusque dici *ordinarios* ministros, ut apud Franc. Hallier cit. loco tenet Ludovicus Cellotius. Hujus opinionis hæ probationes produci possunt. I. Diaconi ex citato cap. 28. lib. VIII. Const. Apostolicarum, & cap. *Pervenit.* dist. XCIII. dispensare valent Eucharistiam: igitur & conferre baptismum. II. Possunt Diaconi & pœnitentiam dare, cap. *Fures*, 2. de furtis. Quare non baptismum? III. Episcopus consecrans Diaconos, inquit: *Provehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare, &c.* Spectat igitur ratione proprii officii ad Diaconum baptizare. IV. Tandem Tertullianus & Hieronymus eodem modo loquuntur de Presbyteris, ac de Diaconis: ideoque si illi *ex officio* baptizant, hi quoque ordinaria potestate baptismum conferunt.

1.

2.

3.

4.

Sed Refutatur & Respondetur

At communior est, ac vera sententia, Diaconos nonnisi extraordinarios, & delegatos baptismi ministros esse; non enim quidquam probant argumenta nuper producta. Ad primum quippe dicimus, neque dispensare corpus Christi spectare ad officium, ac munus Diaconorum, neque id posse Diaconos præstare extra necessitatem, & sine Episcopi, aut Presbyterorum mandato, ut docet Sanctus Thomas 3. p. q. 82. art. 3. Citato lib. VIII. Const. Apost. legitur; *Oblatione ab Episcopo, vel presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat presbyteris.* Expende hæc verba, οὐχ ὡς ἱερεὺς, ἀλλ' ὡς χειροτονούμενος ἱερεῦσι. Id ipsum *Diaconi* nomen commonitrat. Non aliud infertur ex cap. *Pervenit.* quo decernitur Diaconos, tanquam ministros Episcopi, & inferiores presbytero habendos esse, ac debere gratiam communionis recipere presbytero porrigente. At non habere illos jus baptizandi, liquet ex cap. *Præsente presbytero*, ead. dist. Inde etiam patet non nisi urgente necessitate concessam Diaconis Dominici corporis dispensationem. Tantum, cum vigebat usus communionis *sub utraque specie*, Diaconi dispensabant Sanguinem in calice, quia id agere poterant, quamvis non tangerent Sacramentum, ut ait cit. art. ad 1. Doctor Angelicus, & lib. x. Moral. cap. 23. Azorius. Hoc duntaxat commissum Diaconis constat etiam ex off. S. Laurentii martyris. Hinc de Levitarum manu lib. 1. Hist. Apost. Arator:

*Quæ pocula vitæ*
*Misceat, & laticem cum sanguine porrigat Agni.*

Ad secundum dicimus nunquam Diaconos administrasse Sacramentum Pœnitentiæ sed tantum ex delegatione Episcopi recepisse eos, qui solemnis pœnitentiæ gradus expleverant, non absolutionem impendentes, sed excipientes pœnitentium deprecationem: id vero duntaxat affirmat *Palea* in cap. *Fures*, nec aliud innuit perdifficile illud Cypriani Ep. XVII. *Apud Diaconum exomologesim facere*, ut annotarunt Ferd. de Mendoza lib. 2. de Concil. Illiberit. cap. 65. & observat. XXVII. libri 2. doctissimus Albaspinæus. ad 2.

Ad tertium dicimus Diaconum *vi ordinis* accipere potestatem baptizandi ex commissione & delegatione, non tamen virtute proprii gradus, quo constituitur presbytero subjectus, non præses, nec minister baptismi ordinarius, ut liquet ex cap. *Diaconos*, dist. 93. Idque ex Scholasticis docent Soto in IV. dist. 4. q. un. art. 1. & Vasquez disput. 147. c. 4. & Gonzalez, aliique Jurisconsulti in cap. 1. de Clerico non ordinato. ad 3.

Ad ultimum resp. Presbyterum & Diaconum non posse baptizare absque jussione Episcopi, eo præsente; sed presbyterum *vi ordinis* esse solemnis baptismi ordinarium ministrum, Diaconum vero extraordinarium tantum, ac delegatum, ut constat ex dictis. ad 4.

CORO-

*COROLLARIUM.*

7. An diaconus, absque delegatione baptizans, fiat irregularis? rationes pro- & contra.

Sequitur ex hac thesi probabilem esse sententiam quorundam asserentium Diaconum, si absque delegatione baptizet, fieri irregularem, ex cap. 1. *De Clerico non ordinato*, lib. v. Decret. tit. 28. Ita censent Paludanus, Sylvester, Sylvius, Navarrus, Habertus, Tournelius. Ratio est, quoniam ex præcitato canone irregularitatem contrahunt, qui baptizant, aut divinum officium exercent *in gradu*, *quem non habent*. At diaconus, ut diximus, *vi ordinis* habet tantum, ut sit minister baptismi solemniter dati *ex delegatione*. Si igitur non delegatus baptizat, exercet id quod excedit sui muneris potestatem. Sunt tamen, qui in tali casu Diaconum ab irregularitate faciunt immunem. I. Quoniam *vi ordinationis* plus quidpiam habet in solemnis baptismatis administratione, quàm inferior clericus, aut laicus. II. Ex cap. *Diaconos*, dist. 93. conceditur Diaconis baptizare in extrema necessitate, si absint Episcopus & presbyteri, quod videtur accipiendum esse de baptismo solemni; ingruente enim necessitate possunt baptizare absque solemnitate laici quoque, & mulieres. Hinc Glossa in præcit. cap. ait: *Ubi necessitas exigit, & presbyter est absens, potest Diaconus etiam jure suo baptizare.* III. Quod Diaconus sit minister ex delegatione, oritur ex eo, quod pendeat à presbytero, debeatque ipsius jussa capessere, non quod non constituatur *vi ordinis* ad baptizandum idoneus; ideoque si non delegatus administrat solemnem baptismum, lædit quidem presbyteri jurisdictionem, sed non arrogat sibi munus, quod nemo valeat exercere nisi constitutus in Ordine superiori. IV. Communis est regula canones in odiosis restringendos esse, non ampliandos. Ob hæc momenta ita priori sententiæ adhæreo, ut postremam, quam tenet Franciscus Henno disp. 3. de Bapt. q. 3. non ausim censoria nota configere.

Auctor adhæret affirmativæ.

8. Propositio 3. In necessitate etiam laicus valide & licite baptizat.

PROPOSITIO III. In casu necessitatis quilibet homo, etiam laicus, potest absque solemni ritu administrare baptismum.

Dixi absque *solemni ritu*, quoniam cæremoniarum, solemnisque ministri apparatus ad casum necessitatis non attinet, ideoque eo uti fas est ministris tantummodo ordinariis. Propositio itaque probatur

Prob. 1. Definitionibus Ecclesiasticis.

I. Definitionibus Ecclesiasticis. Eliberitanum Concilium can. 38. decernit: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate.* Hoc canone affimari laicum valide, si compellat necessitas, baptizare, perspicuum est. Sola emergit difficultas, cur canon excipiat bigamum, & qui baptisma integrum non perceperit: de quo miratur Petavius in suis ad Epiphanium notis scribens pag. 341. *Ergo ne à bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?* Sed animadvertendum, canonem esse accipiendum, *si plures adsint*: quo in casu decens admodum & congruum est, ut potius baptizatus, quam paganus, & potius paganus, quam bigamus tingat: quod observarunt ante recentiores Theologos in notis ad prælaudatum canonem Ferd. Mendoza, & Gabriel Albaspinæus. Gelasius Papa in præcit. Epist. ad Episcopos per Lucaniam & Brutios constitutos, *Quod*, inquit, id est, baptizare, *& laicis Christianis facere plerumque conceditur.* In Concilio Lateran. IV. cap. *Firmiter*, de summa Trinit. §. *Una vero*, habetur: *Sacramentum baptismi à quocunque rite collatum proficit ad salutem.* Concilium Florentinum in Instruct. Armeniorum: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest.* Idem definitur cap. *Quod quodam*, Causa 1. q. 1. num. 97. cap. *Ad limina*, XXX. q. 1. n. 7. cap. *Sanctum*, de Consecrat. dist. IV. n. 36.

De Bigamo quid speciale.

2. Testimonio Veterum.

II. Deinde probatur propositio veterum testimonio. Tertullianus de Baptismo cap. XVII. ait: *Baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest*; & postquam commonefecit, ne laici absque verecundia & modestia id muneris coram Episcopo assumant, *Sufficiat* (inquit) *in necessitatibus ut utaris; sic ubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit.* Addit subinde rationem, quam Theologi omnes insinuant, petitam ex summa baptismi necessitate: *Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod liberè potuit.* S. Pater Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. *Si laicus*, ait, *aliqua pereunti dederit* (baptisinum) *necessitate compulsus, quod cum ipse acceperit dandum esse addidicit: nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum.* Certe Gerardus Vossius disp. XI. th. VII. ait Augustino hoc in loco non videri adeo certum, quid fieri conveniat, scilicet, an repetendum sit baptisma

in necessitate à laico collatum. At Vossius fallitur, non enim S. Pater hæsitat de validitate baptismi, sed an impietatis damnanda sit opinio contraria; nam subjectis verbis legitimum appellat baptismum laici, etiam extra necessitatem: *Quamvis recte dici possit illicite datum*, ob alieni juris usurpationem: concludit vero, *Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est.* In libro quoque VII. de Baptismo cap. LIII. num. 102. asserit verum esse baptismum, *ubicunque, & à quibuscunque verbis Evangelicis consecratum.* Prætermitto Isidorum lib. 2. de divinis Offic. cap. 24. Walafridum Strabonem cap 26. & Catechismum Romanum P. 2. cap. 2. n. 24. Probatur denique propositio hæreticorum ipsorum consensione. Calvinus enim lib. IV. Instit. cap. XV. §. 20. fatetur, *ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum: ut in periculo mortis laici baptizarent; quamvis* temere subjiciat: *Non video qua firma ratione defendi possit.* De Anglicana Ecclesia scribit Isaac Casaubonus in Resp. ad Cardin. Perronium: *Laicorum vero baptismum, aut fœminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuntians, etsi non legitime administratum.* Similiter Georgius Abbas in Prælect. Oxonienses laudatis à Vossio: *Male igitur factum est, si laicus; pejus factum, si fœmina rem sacrosanctam hanc attigerit: sed factum est, & quod factum est, infectum esse non potest.* Neque enim à nobis negatur laicos illicite baptizare, si præsto sit Presbyter, aut Diaconus.

9. Opp. Nunquam laicis baptizare licitum infertur ex Scriptura, ex Patribus, ex ratione. Etenim Matth. ult. Christus Dominus solis Apostolis baptizandi contulit potestatem, dicens: *Euntes, docete, &c.* quibus verbis constat mandatum, ut baptizarent, ordinariis tantum verbi ministris. Auctor Constit. Apostol. lib III. cap. 10. hæc habet: *Sed neque laicos concedimus aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, baptismum, manuum impositionem:* id vero attentanti minatur τὴν τῆς Ὀζίου τιμωρίαν, *Oziæ pœnam.* Et S. Basilius in Epist. ad Amphiloch. can. 1. reprobans baptisma hæreticorum, ait tinctos ab his, repurgandos, *veluti à laicis baptizatos*, ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους. Primum objecit Calvinus loco cit. Hæc duo autem testimonia inculcat Gerardus Vossius disp. XI. n. 3. & 9. Addamus depromptam ex historia rationem. Diximus prop. 1. absentibus Pastoribus infantes sine baptismate periisse, ideóque Gregorium Magnum lib. 1. Epist. 33. rogasse Exarchum Ravennatem, ut dimitteret Hortensem Episcopum Blondum. Etiam S. P. Augustinus Epist. ad Honoratum 180. nunc 228. num. 8. hortabatur ministros, ne fugam arriperent in persecutione Vandalica, eoquod magnus tunc fieret in Ecclesia concursus, *aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, &c.* Cur hæc inculcare, si urgente necessitate baptizare possint & laici?

Objicitur 1.

2.

3.

Resp. Nihil ex his erui, nisi Apostolos esse baptismi, ac prædicationis ordinarios, principésque ministros, & qui exspectare non debeant antistitum jussa: nam præterquam quod in exponendis scripturis debemus attendere Ecclesiæ judicium, ac traditionem majorum, constat ex Actis Apost. etiam Philippum Diaconum administrasse baptismum Eunucho, & Ananiam Paulo. Scio respondere Calvinistas, etiam Philippum ac Ananiam fuisse *verbi ministros.* At ex hac responsione subinfero, Diaconos, qualis erat Philippus, ex delegatione, posse solemni ritu & baptizare & prædicare, ideoque Christi mandatum Matth. ult. non ita spectare Apostolos, ut nequeat alios comprehendere. Dicent, si de Diaconis sermo sit, nec hæreticus diffitetur. Verum & in casu necessitatis, domi saltem, laici docere possunt, ex priori ad Corinth. XIV. 35. Similiter ergo privatim baptizare non prohibentur. 10. Resp. ad 1.

Auctor Constitutionum Apost. loquitur de baptismo solemni, & extra necessitatem dato: perstringit enim laicos, qui munera Sacerdotalia, exemplo Core Num. 16. & regis Oziæ 2. Paralip. 26. usurpabant, ut constat legenti præcitatum cap. X. & ultimum libri VIII. Hoc loco videtur etiam negari Ananiam, qui baptizavit Paulum, fuisse Diaconum, quamquam oppositum censet Oecumenius in Act. IX. Videsis canonem XVI. Nicephori Confessoris in Jure Græco-Rom. & LI. apud Glycam pag. 3. Annalium, necnon Cotelerium in notis ad PP. Apost. 1. Volum. pag. 282. De mente Basilii pertractandum infra: sufficit modo, si dicamus in eadem ad Amphilochium Epistola definiri: *Quod oporteat consuetudine uti, & sequi patres, qui quæ ad nos pertinent providerunt*, Tom. 2. pag. 759. ad 2.

Postrema ratio nil probat: nam nisi adsit Episcopus, error & ignorantia invalescunt, sicuti lupi grassantur, dum pastor dormitat: atque id præsertim sua ætate Augustinus & Gregorius exaggerabant, quando laici spe sanitatis decepti diffe- ad 3.

differebant baptismum, maximaque propriæ, & alienæ salutis torpebant negligentia. Vide quæ adversus Gussanvillæum PP. S. Mauri annotarunt ad Epistolam illam Gregorianam.

11. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Et mulieres valide in necessitate baptizant.

Sequitur ex dictis, eadem enim mulierum & laicorum est ratio. Decretum etiam Concilii Florentini comprehendit mulieres: similiter & Lateranensis IV. Idem definit Urbanus Papa II. in Epistola ad Vitalem Brixiensem presbyterum, ut patet ex cap. *Super quibus*, Causa XXX. q. 3. num. 4. Probat insuper dandum baptisma etiamsi nullus adsit præter fœminas, argumentum supra ex ejus necessitate depromptum. Præterea Patres indiscriminatim pertractantes de laicis, legitimumque pronuntiantes baptismum *à quocunque* verbis Evangelicis consecratum, mulieres nequaquam excludunt. Non aliter sentiunt Græci Orthodoxi, ut ex præcitato canone XVI. Nicephori, & ex Hieremia Patriarcha Constantinop. cap. VII. suæ Censuræ, demonstrat lib. I. Concordiæ cap. 10. Arcudius.

Bellarminus de Bapt. cap. VII. probat hanc assertionem exemplo Sephoræ, quæ Exodi IV. Filium suum circumcidit, atque idem exemplum strenue vindicat à Calvini commentationibus. Responderunt postea Bellarmino Georgius Abbas quæst. 2. Oxoniensi, & Vossius disp. X. th. 4. nusquam in vet. testamento, nec in Philone, aut Josepho legi, utrum voluerit Deus fieri circumcisionem per Sacerdotem, aut patremfamilias, per fœminam ne, an marem. Etiam Serrius ex Catholicis Exercit. XXXIII. existimavit puerum Jesum non circumcisum à Sacerdote, ejusdem Sephoræ exemplo non prætermisso. Addunt Sephoram peccasse, nec factum ejus esse pro exemplo afferendum. Hæc tamen argumentum Bellarmini minime enervant, tametsi quæ attigimus sint validiora. Etenim dato quod ministerium circumcisionis fuerit laicale, (quod non opus est in præsentia discutere,) circumcisio tamen per Sephoram facta repeti non poterat, & figura erat baptismi, qui semel datus nequit reiterari, ut inquit Augustinus Epistola ad Maximinum Donatistam 203. nunc 23. num. 4. & lib. 2. contra lit. Petil. cap. 72. Igitur nec reiterandus est baptismus à muliere collatus; ideoque est validus. Deinde quæ olim circumcisionis, eadem nunc baptismatis est necessitas. Ad hæc non sola Sephora filium circumcidit, verum etiam id præstiterunt piæ mulieres, de quibus in I. Machab. I. 63. & in 2. libro VI. 10. Nec est, cur dicant hæretici hos libros non esse in canone hæbræorum: illos quippe ut Augustinus ait lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 36. *Ecclesia pro canonicis habet.*

12. Objectio. Oppones: Mulierum baptismum damnat Tertullianus de Baptismo cap. 17. scribens: *Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere. utique non etiam tingendi jus sibi pariet.* Et in libro de Virginibus velandis cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, &c.* Et de Præscript. cap. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Epiphanius h. 42. num. 4. pag. 305. damnat Marcionem, quod mulierculis tribueret, ἐπιτροπὴν βαπτισμα διδόναι, *permissionem baptizandi:* & h. 49. num. 2. pag. 48. eundem errorem redarguit in Pepuzianis, sive Quintillianis: quod & notavit hæresi 27. Augustinus. Idem Epiphanius hæresi LXXIX. num. 3. de beata Virgine inquit, ἀλλ' οὐδὲ βαπτισμα διδόναι πεπίστευται, *Sed nec baptisma dare ei concreditum est:* quod repetit infra num. 7. S. Joannes quoque Chrysostomus hom. de sanctis Bernice, & Prosdoce, quæ extat Tom. I. edit. Com. pag. 640. descripto *baptismi nomine* sanctarum Virginum martyrio, post hæc verba, ἐβάπτισε δὲ αὐτὰς ἡ μάτηρ. *Baptizavit autem illas mater,* (Domina scilicet, quæ filias aqua necatas Deo obtulit,) statim addit, τι λέγεις; γυνὴ βαπτίζει; *Quid ais? mulier baptizat?* ostendens his verbis fœminam posse quidem mysticum celebrare baptismum, at non verum. Demum Concilium Carthaginense IV. celebratum anno 398 canone 100. inquit: *Mulier baptizare non præsumat.* Adverte Bellarminum cit. cap. 7, respondere ipsum Concilium excipere casum necessitatis, quoniam Petrus Lombardus in IV. sent. dist. 6. & Gratianus cap. *Mulier*, de Consecrat. dist. IV. num. 20. addunt clausulam, *nisi necessitate cogente*; sed posteriores hæretici observarunt hanc clausulam in nullis Conciliorum libris reperiri: atque ita esse liquet ex collectione Labbei Tom. II. pag. 1207.

13. Solutio. Resp. his tantummodo evinci fœminas baptizare non posse in Ecclesiæ conventu, solemni ritu, extra necessitatem, & si virorum adsit copia. Manifestum id est præcitatos auctores legenti. Tertullianum perstringere *petulantiam mulierum*, quæ ex fabula Teclæ munia presbyterorum obi-

obibant, quales erant Quinctilla, & Priscilla, tam apertum est, ut negare non audeat Vossius disp. XI. th. 10. Grotius in dissert. de administrat. Cœnæ, ubi non sunt pastores, Tom. IV. pag. 509. ait Tertullianum agere adversus mulieres, *quæ in hæreticorum parasynagogis publice docebant populum*, &, si videtur Tertullianus sensisse, nec privatim baptizare licitum fœminis; restringendum id esse ad circumstantiam, ubi adsint viri. Didicimus ex Apostolo 1. ad Corinth. XIV. turpe esse mulierem loqui *in Ecclesia*, quod docere dominii & auctoritatis indicium sit, ex eodem Apost. 1. ad Timoth. II. Vide quæ scripsimus cap. 9. libri XXVIII. Privatim ergo, & nisi vir adest, ut docere, ita baptizare fœmina potest, ac debet, *Tunc enim* (inquit ipse Tertullianus,) *constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis.* Epiphanius pariter de his loquitur, *apud quos mulieres Episcopi erant, ac presbyteri*, Ἐπίσκοποι τὲ παρ' αὐτοῖς γυναῖκες, ϗ πρεσβύτεροι γεναῖκες: Tales erant Peputiani, Cataphryges, Collyridiani: quos & valide refellit, quoniam Mariæ potius, quam Quinctillæ, aut mulierculæ alteri Sacerdotalis dignitas fuisset collata, εἰ ἱερατεύειν γυναῖκες θεῷ προσετάττοντο, ἢ κανονικὸν τί ἐργάζεθαι ἐν Ἐκκλησία, *si Sacerdotio fungi mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidpiam præstare in Ecclesia.* Non alia mens Chrysostomi triumphum Bernicis & Prosdocis celebrationi mysteriorum, solemnique sacrificio, personante oratione comparantis. Ad canonem 100. Synodi Carthaginensis nemo, me judice, respondit melius Doctore Aquinate, qui 3. p. q. 67. art. 4. ad 1. ait vetari hoc canone mulieribus ministerium publici, solemnisque baptismi; siquidem præcedenti canone 99. legitur, *Mulier, quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat.* In proximo itaque canone eadem exceptio subintelligitur, *In conventu;* non quam affixit Gratianus, *nisi necessitate cogente:* nam *in conventu*, sive *in Ecclesia*, adsunt Sacerdotes, & viri, nec ulla necessitas compellit fœminas baptizare. Cæterum quod ait Gratianus, posse mulierem baptizare, si cogat necessitas, verissimum est, & reliquis sanctionibus comprobatum. Ex hoc canone Carthaginensi refellitur error Attonis Vercellensis, autumantis Diaconissas posse *in conventu Ecclesiæ* alias fœminas baptizare: de quo errore Spicilegium Acherianum, & Cotelerius ad caput 9. lib. III. Constit. Apostol. Quid peregerint in fœminarum baptismo Diaconissæ, dictum supra in Appendice capitis sexti.

# CAPUT XII.

## Nonnulla ad praxim spectantia de ministro baptismi quæsita producuntur & explanantur.

### *SUMMARIUM.*

1. Ministri debent hic observare Hierarchiam.
2. Laicus baptizans peccat mortaliter, si id faciat præsente Presbytero.
3. An in casu necessitatis præferendus sit excommunicatus Sacerdos mulieri.
4. à pluribus simul baptizantibus unus tantùm sit baptismus. Elinguis & truncatus brachiis non videntur baptizare valide.
5. Nemo se ipsum valide baptizat.
6. Laicus solemniter baptizans fit irregularis.
7. Parochus graviter peccat domi &c. baptizando, nisi agatur de prole Regia &c.
8. Baptizans nequit recipere pretium.

1. Ministri hîc debent ordinariè observare Hierarchiam.

CONtingere potest, ut in lucem editus infans agat animam, eique sit salvifica unda succurrendum; pluribus autem in puerperæ domo existentibus, clericis, laicis, fœminis, inquiquiratur cui id muneris sit committendum. Extra dubitationem positum est, ordinem dignitatis esse servandum; nec mulieri baptizandum si præsto sit masculus, neque laico si adsit clericus, nec diacono si sacerdos sit præsens. Ita docent cum Hugone Victorino lib. 1. Erudit. Theologiæ cap. 13. ac D. Thoma 3. p. q. 67. art. 4. omnes Scholastici. Petitur autem ex dictis superiori cap. aperta ratio; enim vero Augustinus lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 13. num. 29. de laico baptizante inquit: *Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est.* At si adsit

quispiam è clero, nulla necessitas laicum compellit; ideoque alienum jus temere invadit. Idem dicendum de minori clerico, dum adest superior: administratio siquidem baptismi spectat ad Ecclesiasticam Hierarchiam, in qua dignitatis, quantum fieri potest, servandus est ordo. Mulier quoque id non debet præsumere, quoniam auctore Apostolo in 1. ad Corinth. XI. 3. *caput mulieris vir:* quod & insinuat eo loci sanctus Thomas. Hæc præscribit Rituale Romanum de ministro bapt. *Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius, quàm virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam, & modum baptizandi.* Recte apposita est exceptio pudoris, & ritus cognitio; quoniam *sancta sancte tractanda sunt*, nec Sacramentum exponendum est periculo nullitatis. Id etiam Diana animadvertit p. v. tract. 9. res. 87. Toletus in Summa lib. 1. cap. 29. Vide & Catechismum Rom. de Sacram. Bapt. num. 25.

Excipitur circumstantia pudoris, & cognitionis rituum.

II.

2. Laicus baptizans peccat mortaliter, præsente Presbytero

Gravior videtur difficultas, an si laicus, vel mulier obstetrix baptizent præsente Clerico in sacris constituto, lethale crimen committant, an veniale duntaxat. Verum si præsens sit presbyter, mortale peccatum patrari, indubitatum est, quoniam ille baptismi minister est *ex officio*, nec fas est cuilibet alienum munus in re gravi usurpare, & violare jus conferendi Sacramenta, tametsi non sequatur contemptus, & Sacerdos præsens consentiat, ut adversus Valentiam, ac Petrum Ledesma tenet illustris JC. Gonzalez in Tit. XXVIII. libri V. Decret. Si vero non adsit Sacerdos, sed Diaconus, aut alius Clericus; laicum, aut fœminam baptizantem venialiter tantum peccare, tenent Quintanadvennas, Diana, & præcitatus Gonzalez, necnon Dominicus Soto in IV. dist. IV. art. 2. Sylvius in 3. p. q. 67. art. 5. & Salmant. tract. 2. cap. IV. Horum argumentum est, quoniam nulli Clericorum, si Sacerdotem excipias, incumbit *ex officio* baptizare, ideoque non violatur in tali casu jus alicujus, nec fit Sacramento notabilis irreverentia. Verum argumentum istud non est, ut putant, firmissimum & palmare: sed videtur falsum in casu necessitatis non devolvi jus baptizandi ad illum, qui cæteris præeminet, nec lædi ordinem Hierarchiæ, jure divino, ac naturali præscriptum. Quare in hoc etiam casu jus violatur alienum, ut tenent Vasquez disput. 147. cap. 5. ex nostris autem Farvacques cap. IV. de Baptismo q. VI. Vanroy Tom. IV. cap. IV. de Bapt. q. 2. Antonius Guerrero Tract. VII. disput. 2. num. 80. Huic sententiæ, salvo jure alterius, subscribo, maxime quod in rebus ambiguis conscientiæ securitati sit consulendum.

Præsente Diacono &c. tantùm venialiter juxta aliquos,

Juxta Auctorem verò graviter.

III.

3. In necessitate Sacerdos etiam excommunicatus licitè baptizat ante mulierem. Juxta aliquos.

At duo tantum præsentes sunt, obstetrix, & Sacerdos vinculo excommunicationis innodatus; quis horum tinget periclitantem puerulum? Audio Navarrum, Sylvestrum, aliosque bene multos præferendum tali in casu laicum, eo quod Sacerdos excommunicatus Satanæ traditus est, segregatus à communione fidelium, & suspensus ab ordinis exercitio. Quod si opponas Sacerdotem illum in casu necessitatis rite absolvere; reponent disparem esse rationem, propterea quod in nulla necessitate valeat laicus absolutionem impendere. Verum Leander Tract. 2. de Excom. §. 1. & Farvacques laudato in loco putant hos decipi, aut saltem infirmo niti argumento. Siquidem administrare baptismum absque solemni ritu, & impellente necessitate, non est *actus ordinis*; alioqui id exequi non posset mulier, nec laicus. Igitur vi excommunicationis, qua Sacerdos arcetur ab exercitio Ordinis sui, non prohibetur baptizare necessitate urgente. Et quidem si tali in casu baptizet: consensu omnium, non fit irregularis, quoniam non exercet actum Ordinis, peragitque quod conceditur laico; ut recte Suarez de Censuris disp. XI. sect. 3. num. 20. & in cap. 1. de Clerico excommunicato Jurisconsulti. Si autem excommunicatione à privatim baptizando prohiberetur; proculdubio ex præcit. cap. 1. fieret irregularis. Non videtur ergo tali in casu denegandum presbytero jus, quod ei tanquam viro competit supra mulierem. Adde jus baptizandi persistere in *charactere* Ordinis, nec constare quod velit Ecclesia illius usum in necessitate quoque prohibitum: nullam vero *ex ordine* habet obstetrix conferendi baptismatis facultatem. Hæc illi. Verum à priori communique sententia arbitror non recedendum. Nam per excommunicationem Ecclesiæ, velut mortuus, à communione fidelium quis separatur, cap. *Per venerabilem. §. Sunt autem*, lib. IV. Decret. tit. XVII. num. 13. Atqui mulier in ministerio baptismi præferenda est homini segregato ab Ecclesia. Igitur & presbytero excommunicato. Neque robur habent argumenta contraria: non primum, quia Sacerdos

Illicitè juxtà auctorem.

excommunicatus non ut laicus habendus est, sed ut segregatus à communione fidelium: non alterum, quia in privato baptismate non requiritur *character* Sacerdotalis.

IV.

4. A pluribus simul baptizantibus unus tantùm perficitur baptismus.

Ut revertamur ad puerum agentem animam, ne pereat decedens absque regenerationis lavacro, ex adstantibus plures eum abluunt baptismi forma prolata: quæritur autem: an Sacramentum perficiant. Respondemus nullum de hac re dubium esse, si materiam singuli adhibeant, pronuntient verba, rectamque habeant intentionem. Quod enim posset opponi, unum, eundemque effectum non produci à duplici causa totali, locum non habet in hac quæstione; cum ministri baptizantes sint causæ instrumentales, non principes: effectus quoque supernaturalis sit, earumque causarum excedat virtutem. Hinc unum baptismum tunc fieri docent S. Thomas 3. p. q. 67. art. 6. nec non Scotus in IV. dist 6. q 2. & utriusque Scholæ Theologi. Extra controversiam quoque est, si unus prius altero verba proferret, illum duntaxat baptizaturum; eum vero, qui postea pronuntiaret *formam*, patraturum sacrilegium, & tanquam repetentem baptisma fore puniendum.

Elinquis, & truncatus brachiis non videntur baptizare validè.

Quid autem, si adessent duo, quorum uni truncata esset manus, alteri evulsa lingua? Negat ibidem S. Thomas in responsione ad tertium, integrum fore baptismum, quoniam qui verba proferret, ipse non immergeret, nec posset dicere, *te baptizo*, id enim præstaret alter brachia, non linguam habens. Imperite autem, ut credo, Cajetanus recedit hoc in loco à D. Thoma, respondens posse omnes scrupulos vitari adhibita forma Græcorum, *Baptizetur servus Christi*: nam & in hac forma intelligitur actio ministri. Forte melius Paludanus in IV. dist. 5. ubi ait duos illos homines, elinguem, brachiisque truncatum, unum integrum repræsentaturos, & eum, qui loqueretur propria lingua, manu aliena quidem baptizaturum, sed vicaria. Accedit Paludano Joannes Chapeaville in Tractatu de Sacramentis ministrandis tempore pestis, quæst. 20. At non excedunt hæc fines exiguæ probabilitatis: ac tali pacto baptizatum, iterum sub conditione baptizandum esse affirmamus.

5. Nemo se ipsum validè baptizat.

V.

Oritur nunc quæstio quinta, num baptismi indigus, non quidem puer expers rationis, sed catechumenus, & adultus, sese prospiciens in mortis periculo, nec ministerium inveniens ullum, baptizare queat semetipsum? Respondemus negative cum Innoc. III. cap. *Debitum*, lib. 3. Decret. tit. XLII. num. 4. ubi rescribit Theodorico Metensi Episcopo, denuo esse baptizandum ab alio, *qui in mortis articulo constitutus in aquam seipsum immersit, dicens, Ego baptizo me in nomine Patris &c.* quod Pontifex hac ratione demonstrat: *inter baptizantem debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, Ite, baptizate omnes gentes, &c.* Addit comparationem carnalis generationis, in qua alius est qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur, *& sic*, inquit, *in Sacramentali generatione, qua soboles ex aqua, & Spiritu sancto renascitur, alius debet esse qui generet, & alius qui spiritualiter generetur.* Concludit etiam in baptismo paternitatem & filiationem inveniri, *quibus baptizatus & baptizans ad invicem referantur.* Consentiunt omnes in hac parte Theologi. Neque dicas aliquando etiam laicos propria manu sumpsisse Eucharistiam, viros quidem cava nudaque dextera, & mulieres nitido tecta linteamine: ut constat ex Palladio cap. 143. Cyrillo Hier. Catech 5. mystag. & Serm. inter Augustinianos de Temp. 252. nunc 229. Ap. num. 5. ex quo depromptæ sunt lectiones Brev. Rom. in festo dedicat. Eccl. Discrimen quippe est maximum inter baptizari & communicare, quemadmodum inter gigni & nutriri.

VI.

6. Laicus solemniter baptizans fit irregularis.

Proxima quæstio est, num laicus, quem certum est non posse solemni ritu baptizare, nec privatim necessitate urgente, si presbyteri, vel ministri alii inveniantur, ut dictum est cap. præced., & liquet ex c. *In necessitate*, de Consecrat. dist. 4. num. 21. si audeat solemniter baptizare, quemadmodum gravissime peccat, & alienum munus usurpat; ita & contrahat irregularitatem, cui ex cap. *Si quis baptizaverit*, lib. v. Decret tit. 28. num. 1. subjicitur Clericus. In tali casu laicum solemniter baptizantem non fieri irregularem censent Laymanus, Bonacina, Diana, aliique innumeri; quoniam, inquiunt, constat ex titulo agi ibidem *de Clerico non ordinato*, ac præsertim de Diacono, qui non promotus ad presbyteratum rem divinam perageret. Sed revera laicum illum fieri irregularem existimo. Primo quia cum verba perspicua sunt, frustra confugitur *ad titulum:* qui num recte adjectus sit, ignoramus. At verba canonis sunt,

*Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur:* ex quibus verbis constat Hormisdam non loqui tantummodo de Diacono missam celebrante, sed de quocunque non ordinato quodlibet Sacramentum, ac singillatim solemnem baptismum administrante. Atqui, subsumo, laicus tali in casu exercet aliquod divinum, & quod nonnisi ab ordinato potest eo ritu administrari. Igitur laicus abjiciendus est, & tanquam irregularis non est ordinandus. Praeterea in Editione Gregoriana annotatur, haberi in VII. Mss. hunc titulum: *De non ordinato ministrante*, & Glossa: *Nota hic poenam non ordinati ministrantis.* Cum etiam superiori titulo 27. pertractum sit de ordinatis, quibus administrare Sacramenta non licet, subnectitur titulus, *De ministrante non ordinato:* ideoque appositus, *De clerico non ordinato*, ita spectat ad Diaconum celebrantem, aut absolventem, ut non excludat laicum baptizantem. Postremo si laicus solemniter baptizet, fungitur ordine, quem non habet, non minus quam Clericus non ordinatus: quod ergo de Clerico non ordinato, idem de laico judicium est pronuntiandum. Atque ita saniori quidem sententia, quam pervulgati Tractatores, tradunt Paludanus in IV. dist. 5. Suarez Tom. 3. in 3. p. disp. 3. sect. 4. Sylvius in q. 67. art. 1. Gonzalez in praecit. cap. *Si quis*, aliique percelebres.

7. Parochus peccat graviter, baptizando extra necessitatem domi &c. nisi agatur de prole regia &c.

VII.

Seguitur quaestio, an recte se gerat Parochus, qui ut salutem infantis in tuto statuat, exspectetque patrinum de longinquo venturum, puerum extra necessitatem domi baptizat, perfecturus post adventum patrini rituum solemnitatem in templo. Ad hanc quaestionem respondemus Parochum grave peccatum patrare, nisi agatur de Regum ac principum filiis, ut in Man. cap. 22. num. 7. asseruit Navarrus, q. 8. de Min. baptismi Farvaques, Henno ibid. q. 3. & cum caeteris Canonistis Joan. Petrus Gibert de Bapt. sect. 9 num. 4. patet ex Clementina lib. III. tit. XV. cap. unico: qua in Viennensi Concilio sub Clem. V. anno 1311. statutum est, *ne quis in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare, qui autem secus praesumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant.* Eadem legas cap. 48. Synodi Meldensis celebrati anno 845. Dictum supra cap. VI. p. 2. Clinicos domi baptizatos non fuisse ad presbyterii gradum promotos, id vetante canone 12. Concilii Neocaesarienſis. Et quamquam olim rabie persecutionum furente, nec sacris aedibus constructis, baptizatos invenimus Catechumenos privatis in domibus, in carceribus, & ubique locorum; baptisteriis tamen aedificatis nullibi legimus baptismum extra necessitatem datum privato in loco. Imo ad baptisteria augustissimos reges, eorumque liberos accessisse, tradunt Historici, ut de Theodosio juniore Marcus Gazaeus apud Baronium ad annum 401. & de Clodovaeo rege, ejusque filio Ingomiro Hincmarus Remensis Archiep. in vita S. Remigii. Ratio quoque postulat, ut quemadmodum suscipiendi baptismatis eadem causa est singulorum; ita omnes publice ad communem matrem Ecclesiam accedant. Atque hinc patet Viennensem Synodum novum potius Regibus contulisse privilegium, quam reliquos recenti lege obstrinxisse, neque ullatenus contemnendam Rituali Pii V. praeceptionem: *Itaque necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, & in aqua baptismali de more benedicta.*

VIII.

In quaestionem denique venit: quid de baptizantibus sentiendum sit, qui olim à compatribus munera recipiebant, vel collocato super altare puerulo baptizato, vel concha, in quam nummi immitterentur, exposita. Respondemus autem praeter universales inhibitiones, quibus indicitur sacris ministris, ne quidquam exigant pro aliqua administratione Sacramentorum, cujusmodi sunt canones Lateranenses Concilii celebrati anno 1179. cap. 9. alterius Later. anno 1216. cap. 42. Burdigalensis anno 1255. cap. 26 aliique innumeri, producti à pertractantibus de Simonia; peculiares haberi canones, distinctaque mandata, ne quidpiam accipiatur in collatione baptismatis. Illiberitanum Concilium anno 315. cap. 4. prohibuit, *ne qui baptizantur nummos in conchâm immitant.* Gelasius Papa anno 494. in Epist. ad Episcopos Lucaniae, cap. 5.

8. Baptizans nequit recipere pretium.

*Bapti-*

*Baptizandis* (inquit) *consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præfigant.* Concilium Toletanum XI. anno 675. cap. 8. *Si pro baptizandis* (ait) *pretia quælibet vel præmia voluntarie oblata susceperit Presbyter, tribus mensibus excommunicatione plectatur.* Prætermitto Canonem 5. Concilii Remensis anni 1049. canonem 16. Concilii Rothomagensis anni 1050. Acta Ecclesiæ Mediolanensis P. 1. lib. 2. aliaque plura decreta, quæ legi possunt apud Martenium lib. 1. de Antiquis Ritibus cap. 1. art. IV. num. 6. vel apud Joannem Petrum Gibert de Ecclesiæ Rectoribus Tit. X. cap. V. §. 5.

# CAPUT XIII.

## De Anabaptismo, sive Rebaptizantium errore, historica theoremata.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Multi hæretici rebaptizârunt.
3. 4. Quidam veteres voluerunt, hæreticos esse rebaptizandos.
5. Hisce adhæserunt Firmilianus, & Cyprianus.
6. 7 Solvuntur objectiones contra primam partem.
8. Probatur quoad Cyprianum.
9. Usque ad 16. satisfit objectionibus.
16. Stephanus tantùm ratum habuit baptisma, quod collatum fuit in Nomine Trinitatis.
17. 18. Solvuntur objectiones.
19. 20. Stephanus neque Cyprianum, neque Firmilianum à sui communione removit.
21. 22. Solvuntur objectiones.
23. Non est certum, quòd Cyprianus, & Firmilianus à propria de rebaptizandis hæreticis sententia recesserint.
24 Solvitur objectio.
25. Multa excusant rebaptizantes, & S. Cyprianum.
26. Ex facto Cypriani non labefactatur Romanorum Pontificum judicium irreformabile.
27. &c. Cyprianus existimavit, quæstionem rebaptismatis spectare ad meram disciplinam, non ad fidei decreta.
31 32. 33. Solvuntur objectiones.
34. Quorumdam Patrum de rebaptismo sententia est obscura, & ambigua.
35. Auctor Dionysium accenset rebaptizantibus.
36. Solvitur objectio duplex.
37. An Athanasius fuerit inter rebaptizantes.
38. An etiam optatus Milevitanus.
39. An insuper S. Cyrillus.
40. 41. Concilium plenarium, cujus meminit S. Augustinus, erat Nicænum.
42. 43. 44. 45. Solvuntur objectiones.
46. Etiam aliæ definitiones Ecclesiæ probârunt baptismum hæreticorum.
47. Etiam Augustorum legibus proscriptus est rebaptismus.

1. Status quæstionis.

PRæmissam de ministro baptismatis dissertationem consequitur altera de *Anabaptismo*, id est, de errore illorum, qui ab hæreticis, vel improbis tinctos iterum baptizarunt. Est enim hæc eadem quæstio, ac si in disputationem veniat: num etiam hæretici & impii administrent validum, ratumque baptisma. De impiis autem universim diximus superiori libro: ideoque agendum hoc in loco de hæreticis: de quorum baptismo tractationem hucusque distulimus, non una causa impellente. Principio enim de baptismo hæc dissidia præsertim efferbuerunt; deinde expresse Sess. VII. Canone 4. de baptismo dato ab hæreticis sententiam dixit Synodus Tridentina: ac præterea non desunt, qui salva fide negant posse hæreticos quædam sacramenta conficere, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem; quod jam nullus de baptismate pronuntiabit, Hanc ergo sedem præsenti controversiæ haud immerito constituimus. In historiam vero dilucidandam animum initio intendimus; & investigabimus quinam hæreticorum à catholicis tinctos rebaptizarint: posthac quinam catholicorum tinctos ab hæreticis, qua in re viri maximi in judicium trahendi sunt, Tertullianus, Dionysius Alexandrinus, magnus Basilius, ac præsertim Firmilianus ejus prædecessor, ac Cyprianus; nam hos duos ab impacto Rebaptizantium errore vindicat, ut alibi diximus, peracutus & eloquens Italus: tum videndum, qua ratione se gesserit in hac causa Romanus Pontifex Stephanus; ac tandem quomodo gravis hæc controversia finita sit, & quibus terminis circumscripta. Atque his, ut statim aggrediar dissertationem, arbitror lectorem satis attentum reddi, rerumque dicendarum exspectatione suspensum.

2. Propositio I. Multi hæretici rebaptizârunt.

PROPOSITIO I. Permulti hæretici baptismum repetere consueverunt.

1. Himerobaptistæ.

Veniunt primo loco Himerobaptistæ, principio hujus libri commemorati, qui non semel, sed quotidie sese abluebant, & à quibus initium Anabaptismi nonnulli arcessunt: sed puto illos, non Sacramentum certis consecratum verbis, sed lustrationes Pharisaico more iteravisse.

II. Se-

2. Cælicolæ.

II. Sequuntur Cælicolæ, quorum sectam Vossius disp. XVIII. de Bapt. appellat *obscuram*, & de qua in Codice Theodosiano tit. VIII. *de Judæis, Cælicolis, & Samaritis*, legitur: *Cælicolarum nomen inauditum quodammodo novum crimen superstitionis vindicavit.* At in eodem Codice plura hujus sectæ deprehendo vestigia. Primum ex præcitato titulo, in quo *Cælicolæ* Judæis, Samaritisque junguntur, infero Cælicolas fuisse *Judæos genere*, Mosaicos ritus, & Christianum baptisma simul retinentes; non enim, si generis fuissent alieni, cum Judæis, & Samaritis invenirentur permixti. Eodem insuper titulo, l. XIX. de Cælicolis legimus, coegisse quosdam Christianos *fœdum, tetrumque Judæorum nomen induere.* Præterea idem *Cælicolarum* nomen commonstrat Judæorum progeniem, de qua fuit olim Ethnicorum opinio *cœli* duntaxat *lumen* adorare. Ita Satyra XIV. vates Aquinas, citatus vol. I. pag. 90. cui addimus Petronium in Catalectis:

*Judæus licet & porcinum numen adoret,*
*Et cœli summos advocet auricolas:*

quo tamen in loco legerem, *Et cilli summas advocet auriculas;* nam videtur poeta respexisse ad fabulam *de capite Asinino*, explosam eodem volumine primo pag. 82. siquidem ὀνολὸς apud Dores est *asinus.* Opponit Vossius Augustinum scribentem de Donatistis Ep. 163. ad Eleusium, nunc 44. num. 13. *Jam enim miseramus ad Majorem Cælicolarum, quem audiveramus novi apud eos baptismatis institutorem extitisse.* Quomodo, Vossius inquit, Major ac præses Judæorum, Donatistis, qui Christiani erant, potuit accenseri? Sed oppositionem dirimunt, quæ habentur l. 44. Cod. Theod. tit. de Hæreticis: *Donatistarum hæreticorum, Judæorumque nova atque inusitata detexit audacia, quod Catholicæ fidei velint Sacramenta turbare.* Hinc intelligimus, Majorem Cælicolam, & Judæum simul cum Donatistis probasse Anabaptismum, atque labefactasse Christiana Sacramenta superstitione Judaica; unde Augustinus illum appellat *novi* apud Donatistas *baptismi institutorem:* quamobrem Cælicolæ una cum Donatistis ab Honorio & Theodosio Augustis anno 408. leg. XLIII. *de hæret.* nominatim proscripti sunt.

3. Marcion.

III. Marcion apud Epiphanium h. XLII. num. 4. non semel, sed tertio baptismum repetendum asseruit: *nam cum virginem in patria constuprasset, & ingentis flagitii convictus aufugisset, alterum sibi circumforaneus iste baptismum adscivit; licere pronuntians ter omnino aquis elui, ac baptismo peccatorum ad condonationem expiari*, Tom. I. pag. 304. De Marcione plura lib. I. cap. 8. Rebaptizantibus permulti ex Philastrio accensent *Montanistas;* quos tantum mortuos baptizasse idem Philastrius scribit cap. 49. unde Vossius opinionem perstrinxit istam. At cum idem Philastrius cap. 63. scribat: *Montanistæ sunt, qui rebaptizant si quos seduxerint homines;* non illa opinio perstringenda erat, sed explicanda. Montanistæ itaquæ à Montano dicti, sive Pepuziani à Pepuza Phrygyæ oppido, unde & Cataphryges appellati sunt, rebaptizasse non legimus neque apud Philastrium h. 49. neque apud Epiphanium h. 49. & 50. neque apud Augustinum h. 26. & 27. At fuerunt alii, *Montanistæ* à Philastrio nuncupati, qui re ipsa iterum baptizarunt.

4. Libellatici seu Montanistæ &c.

IV. Horum nomine intelliguntur Lapsi, qui cum Felicissimo, quem Novatus Diaconum constituerat, & cum Fortunato Carthaginensi, se à D. Cypriano separarunt circa annum CCL. quod contenderent lapsos, modò libellum à martyribus & confessoribus afferrent, statim esse recipiendos, & Cyprianus assereret id adversarii Ecclesiasticæ disciplinæ: cumque hi *Libellatici* cum Felicissimo in monte communicarent, *Montanistæ* à Philastrio una cum Donatistis dicuntur. Hi ergo, sicut & Novatiani, ad se confugientes iterum baptizabant; atque eò usque abrepti sunt, ut Ecclesiam, à qua segregati erant, crederent Satanæ conventiculum, nec in ea vera esse Sacramenta, sed pollutiones Sacramentorum & cæremonias inanes; unde se, suosque talia execrantes, καθαροὺς, id est, *mundos* appellitabant. Rebaptizarunt deinde hæretici Donatistæ, quorum schisma exortum est anno CCCXII. juxta Valesium, Pagium, & Norisium, cum sedata persecutione ageretur de eligendo in locum Mensurii Episcopi Carthaginensis vità functi Cæciliano: adversus quem steterunt Majorinus domesticus Lucillæ, ac Donatus, à quo Donatistæ, qui sectæ initio dicebantur *Pars Majorini:* unde Augustinus Epist. 68. ad Januarium, nunc 88. ait: *Pars Donati primo apud Carthaginem pars Majorini dicebatur.* An verò Donatistis nomen dederit Donatus Numida à Casis Nigris domesticus Lucillæ, an Donatus, qui Majorino successit, non consentiunt Scriptores. De Donato à Casis Nigris assertorem habeo Augustinum Ep. 185. sive libro de correct. Donatistarum n. 47.

Alterum Donatum sectæ ducem facit Optatus lib. III. adversus Parmen. cap. 3. Sed puto facilè hanc litem dirimi, neque Optatum adversari Augustino: nam S. Pater de hæresibus num. 69. tradit Donatum Numidam adversus Cæcilianum divisisse Christianam plebem, Donatum verò successorem Majorini hæresim eloquentia sua confirmasse. De his ergo Donatistis inquit ibidem Sanctus Pater: *Audent & rebaptizare Catholicos:* nec male illos appellavit Philastrius *Montanistas;* quamvis de Philastrio attendi debeat ejusdem Augustini judicium in priori epistola ad Quotvultdeum, nunc CCXXII. num. 2. Enimverò Donatiani dicuntur *Montenses* ab Optato lib. 2. cap. 4. & à Hieronymo in Chronico ad an. 36. & in fine Dialogi adversus Luciferianos, nec non ab Augustino lib. de Unit. Eccles. cap. 3. & ep. 53. olim. 156. num. 1. quibus in locis invenies etiam dictos *Campitas, Rupitanos, Cutzupitas:* quoniam exemplo antiquioris sectæ sub Feliciſſimo, montibus, rupibusque coadunabantur.

5. Ariani. V. Ad hæc Catholicos ad se transeuntes rebaptizarunt Ariani: de quibus S. Pater h. 49. *Rebaptizari quoque ab Arianis Catholicos novimus: utrum & non Catholicos, nescio.* Vide & Ambrosium de Tradendis Basilicis, sive sermone contra Auxentium Arianum, num. 37. De Eunomio insuper scribit Epiphanius h. 76. n. 6. pag. 992. *Iterum baptizat Eunomius, non modo qui à Catholicis, aut aliis hæresibus, sed eos etiam, qui ab ipsismet Arianis deficiunt.*

6. Anabaptistæ. VI. Rebaptizant denique Anabaptistæ, perditissimi hæretici, vates mendacissimi, hominumque propudia. Horum caput fuit Nicolaus Pelargus, qui anno 1521. fretus opera Carolostadii, & Munceri sectam primus instituit Witthembergæ. Tum eam excitavit Tiguri in Helvetia Georgius quidam à Conrado Grebe rebaptizatus. Illinc à Zuvinglianis expulsi Zollicæ quinto à Tigurina urbe lapide se receperunt. Post Tigurinum colloquium an. 1525. inde etiam edicto Senatus fuerunt ejecti. Anno 1530. regem creare Augustæ ausi sunt, Augustinum Vader, forcipibus propterea laceratum, plexumque capite: & tamen adeo pestis grassata est, ut circa hæc tempora in una Moravia septuaginta Anabaptistarum millia numerata fuerint. At de his plura in Historia Anabaptistica Arnoldus Meshovius.

3. Propositio 2. Quidam veteres, præsertim Agrippinus & Tertullianus voluerunt hæreticos esse rebaptizandos. Prob. 1. De Agrippino.

PROPOSITIO II. A Catholicis rebaptizandos hæreticos nonnulli Veterum tradiderunt, inter quos secundo sæculo desinente Agrippinus Carthaginensis Episcopus, ejusque gentilitius Tertullianus.

Recte Epiphanius in libro, quem inscripsit Brevem Catholicæ, Apostolicæ fidei Expositionem, num. XIII. ait: *Etiam alii ex Catholicorum partibus, præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra generalis Concilii decretum* ab hæreticis *ad suas partes transeuntes iterum baptizant.* Hos inter commemorandum Agrippinum Carthaginensem Episcopum, satis constat. Cyprianus enim epist. 71. ad Quintum, ubi nititur ostendere baptismum hæreticorum irritum esse, inquit: *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coepiscopis, qui eo tempore in provincia Africa, & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit.* Et Epist. 73. ad Jubajanum, *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.* Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. VIII. num. 13. excusans Cyprianum ait: *Quam tamen consuetudinem, nisi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam Coepiscopi ejus etiam per Concilii sententias deserere tentavissent, non auderet iste saltem ratiocinari adversus eam.* Similia lib. III. cap. 12. num. 17. & lib. IV. cap. 6. num. 8. Sanctus Vincentius Lirenensis in Commonitorio num. 9. pag. postremæ edit. Rom. 17. hæc habet: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem & instituta majorum, rebaptizandum esse censebat.*

4. Prob. 2. De Tertulliano.

Eandem fuisse mentem Tertulliani demonstrant quæ sequuntur. Libro de Baptismo cap. 15. ait; *Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet: ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ita ademptio communicationis.* Recentiores post Dupinium in Geographia sacra Africæ, quæ præmittitur Op. Optati pag. XXX., contendunt Tertullianum his verbis, *Ad nos enim editum est*, respexisse ad Concilium Agrippini, quod proinde coactum putant ante annum 200. non 215. cui illud affixit Harduinus. At obscurissima sunt verba illa Tertulliani,

ni, ut notavit Pamelius, ac forte hunc sensum reddunt, *Sicuti vera fides, ita verus baptismus nobis commissus est, non hæreticis:* hæc quippe interpretatio nostra periodo illi, ac sententiæ cohæret; nec exposuit alia ratione Carolus Moreau, scribens, *Ad nos editum, nobis traditum.* Itaque Joannes Salinas, vir alioqui doctus, haud invicte in notis ad S. Vincentii Commonit. Harduinum refellit. Ante annum Christi 215. aut secundum Baronium 217. edictis Imperatorum, Christianorum conventus fuerant prohibiti: unde hoc tantum anno ab Africanis actum de rebaptizandis hæreticis tenent cum Harduino Baronius ad annum 217. num. 2. Vossius disp. 19. de Baptismo, & Pagius ad an. 215. ex quorum sententia infertur non à Tertulliano commemoratum Agrippini decretum, sed potius à Tertulliano Agrippinum in errorem inductum: quod Baronius animadvertit proximo num. 5. Ut ad Tertullianum revertatur oratio; tradidit eundem errorem de Pudicitia cap. 19. scribens; *Apud nos ut Ethnico par, imo & super Ethnicum hæreticus, etiam per baptisma veritatis utroque homine purgatus admittitur.* Ubi nostrum appellat *baptisma veritatis*, quod ejus sententiâ apud hæreticos *falsum* sit. Etiam de Præscript. cap. 12. *Nemo* (inquit) *ab eo illuminatur, à quo contenebratur:* quo in loco *illuminationem* dici baptismum quidam docti arbitrantur; cum tamen Tertulliani verba, ut alia permulta, subobscura sint, & commode queant accipi pro doctrina. Baptismum quidem *illuminationem* appellari, manifestum est ex libri hujus initio.

Explicatur Eusebius.

Ex his constat Eusebium, ubi libro VII. H. Eccl. cap. 3. ait: πρῶτος τῷ τότε Κυπριανος τὴν κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, καὶ ἄλλως ἢ διαλεπτὰ πρότερον τῆς πλάνης ἀποκαθηραμένας πρόσιεσθαι δεῖν ἡγεῖτο, *Primus omnium Cyprianus, qui tum temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos, admittendos, esse censuit,* & Nicephorum idem scribentem lib. VI. cap. 7. non ita esse accipiendos, quasi Cyprianus *primus hujus sententiæ auctor fuerit*, cum ipse Agrippinum & Ecclesiæ suæ traditionem laudaverit; sed quod Cypriani præsertim auctoritate, & occasione dissidii cum Stephano exorti, tum primum Rebaptizantium opinio evaserit celeberrima, Afrorumque præsertim Ecclesias turbaverit. Addo adverbium τοτε in textu Eusebii conjungendum cum articulo præcedenti, ita, ut sensus sit, *Cyprianus primus inter homines ejus ætatis*, ut vertit Christophorsonus pag. edit. Colon. 155. non ut supra recitavimus ex Valesio: unde nonnulli, inter quos Joannes Cestriensis in Annalib. Cyprianicis ad an. 256. num. 6. demonstrant apertissime falli Valesium, & Joannem Gerardum Vossium, qui putant Eusebium fuisse deceptum: quem in scopulum impegisse video & Jueninum q. VI. de Baptism. cap. 2. art. 3. Facile errant, qui emendandos putant antiquiores, summosque viros.

§.

Propositio 3. Firmilianus & Cyprianus etiam adhæserunt errori rebaptizantium.

PROPOSITIO III. Rebaptizandos hæreticos tertio labente sæculo propugnarunt Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & Cyprianus Episcopus Carthaginensis: quorum de hoc argumento Epistolas tanquam genuinas recipimus.

Hanc propositionem nos, ut credimus, omnium primi inserimus Theologicis Dissertationibus, adacti tamen necessitate; siquidem Raymundus Missorius inclyti Ordinis Min. Conv. ut diximus lib. XXIII. cap. 5. expolito & eleganti Opere ab errore Rebaptizantium cum Firmiliano S. Martyrem Cyprianum studuit acerrime vindicare. Hujus quidem universa argumenta discutere instituti nostri ratio non sinit, neque refutandi peracutum Scriptorem gloriam iis eripiemus, qui hanc provinciam subiere: quos inter sunt aliqui, ut fert rumor, quorum elucubrationes jam sub prælo sudant. Interim ergo, dum exspectamus aliorum judicium, nostrum citato libro XXIII: elapso jam anno prolatum, confirmabimus; frustra enim proxima asserta subjicerentur, si Firmiliani & Cypriani de Rebaptizandis Epistolæ spuriæ essent, neque hi duo doctrina, ac sanctitate percelebres revera stetissent adversus Stephanum. Aliter ergo rem se habere, ac Missorius contendit, de Firmiliano primum asserimus his momentis subnixi.

Prob. ima Pars de Firmiliano.

I. Firmiliani Epistola inter Cyprianicas LXXV. rebaptizantium continere errorem, & adversus Stephani sententiam esse conscriptam, nemo in dubium revocat. Atqui eam Epistolam genuinum fœtum esse Firmiliani evidentissimum est. Igitur Firmilianus adversus Stephanum adhæsit Rebaptizantium errori. Prob. mi. Quamquam hæc Epistola in editione Manutii sit prætermissa; atque hinc oriri posset aliqua suspicio suppositionis: nihilo tamen minus in auras suspicio hæc evanescit, si animadvertatur reperiri in vetustissimis codicibus, quos vidit Pamelius, in Anglicano, Affliginensi, Blandino, Marchiano, Dumensi, & Cauchiano. In his autem codicibus haberi

haberi testatur Nicolaus Rigaltius pag. prioris editionis suæ Op. Cypriani 144. Addit ipse Rigaltius extare hanc Epistolam in Regio Codice sub num. cccv. Joannes quoque Oxoniensis in editione sua Bremæ pag. 217. testatur à se repertam in septem antiquissimis Mss. quorum ipsi copia facta est: cum decem aliis contulit Editor Benedictinus. Habetur etiam in Ms. Angelicæ Bibliothecæ, quem ex vetustiori, sedente Nicolao V., exaravit Hieronymus Pistoriensis. Cur autem hæc Epistola desideretur in editione Manutiana, culpam in se transfert Latinus scribens pag. 177. Bibl. Sacræ: *Ego Latinus omisi, non Manutius; cum majorum exempla secutus, tum hominis petulantiam detestatus.* Hinc merito typis cusam habes à Pamelio, insertamque editionibus Morelli, Rigaltii, Joannis Oxoniensis, Baluzii, ac PP. S. Mauri. Abjudicare ergo hanc Epistolam Firmiliano, est detrahere vetustissimorum codicum, qui hac in re sunt *prora & puppis*, auctoritati.

Prob. 2. II. Percipere nequit Missorius quomodo hæc Epistola Romanum Pontificem aceto perfundens, & inhumanitatis redarguens prodierit à Firmiliano præclaro Antistite, ac sanctitate conspicuo. Absit, ut nos derogemus meritis Firmiliani. Haud ignoramus quam honeste de tali viro loquantur apud Eusebium PP. 2. Concilii Antiocheni, & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis: scimus quoque Firmiliani nomen inscriptum die 26. Octobris Menologiis Græcorum. At non id sat est ad amandandam hanc Epistolam inter spurias. Videbatur quippe Firmiliano, nondum veritate eliquata, rebaptizantium opinio innixa traditioni, certa, aut saltem probabilior, præsertim quod accepisset propugnari à Cypriano tanti nominis viro; atque ægre proinde ferebat, injuste (ut falso opinabatur) sibi velle Romanum Pontificem indicere anathematis pœnam. Nec unum occurrit exemplum, in quo eximios viros ad contentiosas epistolas conscribendas, librosque amariori stylo exarandos, imaginariæ veritatis impulit studium. Omitto quæ Theophilus Alexandrinus, & Epiphanius Cypri Episcopus adversus virum incomparabilem Joannem Chrysostomum attentarunt: quæ adversus Cyrillum edidit Theodoretus: quæ ad Augustinum conscripsit Hieronymus: quæ in trium Capitulorum Oppugnatores Facundus Hermianensis: quæ in prædicatores Gratiæ Vincentius Lirinensis, aliaque id genus sexcenta, ex quibus deprehendimus magnorum virorum aut in aliis reprehendendis libertatem, aut acrimoniam in sugillandis. Sat enim est, si ad mentem revocemus Asianorum Patrum, præsertim Polycratis Ephesini, necnon Præsulum Galliæ, ac in primis S. Irenæi, acerrima cum Victore Papa de die Paschatis celebrandi dissidia: videtur quippe causa causæ consimilis; nam Victor Quartadecimanis, Stephanus Rebaptizantibus excommunicationem comminatus est, ac tam Rebaptizantes, quam celebrantes Pascha luna Martii XIV. putabant se pro antiquo more, & Ecclesiarum suarum disciplina certare. Si autem una alteri causæ est præferenda, profecto Tesseradecitarum majori contentione, animisque pervicacioribus fuit agitata. Quod ergo afferri potest in tot Episcoporum excusationem, id plurimum valet ad excusandum Firmilianum: & si contendas nulla ratione posse excusari, malo credere culpam pœnitentiâ expiasse, quàm detrahere nominis ejus celebrati.

Prob. 3. III. Firmilianum fuisse inter Rebaptizantes, atque ea de causa voluisse Stephanum in illum pœna excommunicationis animadvertere, testatur Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII. Hist. Eccl. cap. 5. pag. edit. Valesii 252. Dionysii hæc de Stephano verba sunt: ἐπεςάλκει μὲν ὄυν πρότερον καὶ περὶ Ελένε, καὶ περὶ φιρμιλιανε, καὶ πάντων τῶν τε ἀπὸ τὴν Κιλικιας, καὶ Καππαδοκίας, καὶ Γαλατίας, καὶ πάντων τῶν ἐζῆς ὁμορούντων ἐθνῶν, ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν ἐπειδὴ τοὺς αἱρετικοὺς (φησὶν) ἀναβαπτίζεσι: *Antea quidem literas scripserat de Heleno, & Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, Galatiam, cunctasque finitimas provincias constitutis, se ob eam causam ob eorum communionem discessurum, quod hæreticos rebaptizarent.* En aperte Dionysius, & ex illo Eusebius, quorum silentium objectat vindex Firmiliani, tradunt huic Rebaptizantium maculam insedisse; nec scribunt tantum à Stephano nominatum cum Heleno Firmilianum, quod præter cæteros fuerint Antistites maximi nominis; sed insuper manifeste, nullaque sermonis ambiguitate dicunt voluisse Stephanum in illos intorquere anathema, quod Rebaptizantibus adhærerent. Atque de hoc maxime conqueritur cum Cypriano in sua Epistola Cæsareensis Episcopus.

Prob. 4. IV. Cuinam de mente Firmiliani assensum potius præbeamus, quam magno Basilio ejusdem urbis Episcopo, ac tanta literarum gloria percelebri? Is quidem Epistola 1. Canonica ad Amphilochium

chium Tom. 2. pag. edit. Morell. 759. postquam scripserat rebaptizandos omnium sententiâ Montanistas, qui tingebant in Patrem, Filium, Montanum, atque Priscillam, ait videri sibi rebaptizandos omnes promiscuè hæreticos, ut visum olim Cypriano, ac prædecessori suo Firmiliano: *Verum enim vero* (inquit) *antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subjicere*, πλὴν ἀλλ' ἐδοξε τοῖς ἀρχαίοις, τοῖς περὶ Κυπριανόν λέγω, καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἡμέτερον, ταύτους πάντας μιᾷ ψήφῳ ὑποβαλλειν.

Prob. 5. V. Cum ex tam illustri testimonio, accedente etiam prælaudata Epistola Dionysii, constet Firmilianum, Cyprianumque in dogmate rebaptizantium conspirasse, nec ulla spongia attributus sanctissimis viris error abstergitur; nec inverisimile est Cyprianum per literas Cæsareensem Episcopum consuluisse: nec qui probe noverit, quam vehementi stylo pugnarunt veteres pro Ecclesiarum suarum disciplina, mirabitur Firmilianum adversus decreta Stephani excanduisse: nec demum ob frivolas conjecturas, quantumvis pompa verborum & rhetorico pigmento illitas, vetustissimorum codicum, quos tineis, blattisque excussis pervolutarunt viri laborum patientissimi, despiciet fidem, ac deludet auctoritatem.

6. Objectio 1. Opponit vir eruditissimus: Firmilianus in Epistola ei suppositа non tantum in virum sanctissimum, innoxium, nemini secundum, omnibusque probatum, id est, in Stephanum Romanum Pontificem evomuit horrenda probra, & convitia; verum etiam controversiarum infallibilem Judicem, & universalem Ecclesiæ Pastorem asperrime pertractavit. Ne ergo id asseramus de viro sanctitate clarissimo, epistola, quæ illi morum probitatem & fidem adimit, est inter spurias rejicienda. 2. II. Hujus suppositionis invictum est argumentum profundum silentium Eusebii, Dionysii Alexandrini, Augustini, ipsorumque Donatistarum, qui cum in Carthaginensi Collatione omnem verterent lapidem ut statuerent *Rebaptismum*, minime tamen Firmiliani testimonium in ea disceptatione protulerunt. 3. III. Neque hujus Epistolæ mentionem aliquam factam esse in Concilio III. Carthaginiensi constat ex ejus Actis editis ab Erasmo, & nunc insertis Editioni Cyprianicæ. Cur autem lectæ in eo Concilio fuerunt literæ Jubajani, qui Afrorum sententiæ aut nunquam, aut sero, aut frigide adhæsit & non potius perlectæ literæ Firmiliani, qui ad Xysti usque tempora in ea opinione perstitisset? 4. IV. Totius Rebaptizantium historiæ non injuria architectus videtur signifer Arianæ factionis Eusebius Cæsarienſis, qui occasione hæresis Cataphrygum & Paulianistarum omnia permiscuit, universa de Orientalium Afrorumque anabaptismo historia conficta. Neminem quippe latet quomodo Arianos inter ac Donatistas interceſſerit necessitudo, & vinculum communionis, ut in Epistola ad Bonifacium 85. & in Colloquio habito cum Fortunio Donatista Epist. 45. tradidit Augustinus. 5. V. Constat Historia Eusebiana plurimum Orientalibus probata in errorem inductum S. Basilium; nam is de baptismo hæreticorum multa narrat minus idonea: & invicem pugnantia: scribit à Dionysio Alexandrino Paulianistarum, & Cataphrygum baptisma fuisse receptum, ac fuisse illum apud Romanam sedem veluti Heleni, & Firmiliani sequestrum, quod aperte exscripsit ex Eusebio lib. VII. cap. 5. Quare perperam testimonium Basilii adversus Firmilianum paulo supra productum est.

7. Responsio. ad 1. His ad hunc modum respondemus. Primo Firmilianus existimabat se pro causæ æquitate pugnare, præsertim acceptis per Rogatianum literis Cypriani, ex quibus etiam Afrorum Episcoporum agnoverat consensionem: unde in priori sententia confirmatus, permotus etiam minis excommunicationis, quam sibi immerito intentari putabat, indignatione accensus convitia jactavit in Stephanum; nec fidem pessumdedit, si judicio Romani Pontificis ausus est refragari, siquidem servans Ecclesiarum unitatem sibi decertandum esse putabat pro consuetudine ac disciplina, quam perantiquam arbitrabatur, hac in re antiquiorum complurium, præsertim Asianorum antistitum, exempla secutus. Respondeo ad secundum, Eusebium, Dionysium, necnon Basilium Magnum asserere Firmiliani *Rebaptismum*, ac duos priores innuere etiam Stephani in Firmilianum, Helenum, aliosque Rebaptizantes indignationem; unde satis apparet sententia Firmiliani, atque causa & occasio conscriptæ ad Cyprianum epistolæ. Ex Augustini autem & Donatistarum silentio nil jure inferas. Certo siquidem Augustini ætate vulgata erat Historia Eusebii, qui obiit anno 338. terebantur manibus Opera Basilii, qui decesserat ineunte anno 379. Poterant ergo disceptantes de *Rebaptismo* Helenum, Firmilianum, ipsum Basilium laudare. Id non fecerunt, quoniam cum Orientales communicarent cum Africanis, ipsi autem Donatistæ separationem suam pugnacissi-

ad 2.

gnaciſſime tutarentur, dicebant ipſos Orientales ſuam de Rebaptizandis hæreticis ſententiam retractaſſe, & ideo non cum Donatiſtis, ſed cum Catholicis unitos eſſe. Quare Auguſtinus lib. IV. contra Creſconium cap. 17. num. 20. ſcribit: *Nam quod dicis Orientales ideo veſtrorum communione diſcretos, quia poſtea nobis conſentiendo judicium ſuum quod habuerunt de baptiſmo reſcindere maluerunt, ſi hoc ab aliquibus paucis Orientalibus factum eſt (quod quidem intereſt utrum poſſit oſtendi) profecto ſuum judicium correxerunt.* Quo in loco Auguſtinus dubitat, an Orientales, qui tamen cum Catholicis communicabant, depoſuerint ſuam de *Rebaptiſmo* ſententiam, & ex eorum communione exagitat, oppugnatque ſchiſma Donati; atque ex retractatione ſententiæ, quam Donatiſtæ obtrudebant, horum confodit *anabaptiſmum*. Nec moror quod prolixe & ornate proſequitur Miſſorius, non extare literarum Firmiliani Græcum exemplar, nec illas latina toga induiſſe Cyprianum, cujus ſumma charitas nequaquam petulantiam Orientalis Epiſcopi prodidiſſet: hæc enim neminem cordatum poterunt permovere; quin ex deperdito Græco exemplari, perſuaſum mihi eſt, literas Firmiliani non eſſe Donatiſtarum vafritie confictas, quippe Græce, non Latine tantum eas fabricaſſent. Cyprianus vero patrocinium ſententiæ ſuæ in literis Firmiliani duntaxat contuebatur, non acerbitatem verborum, vehementi proinde flagrans charitate, dum coepiſcopi conſenſionem quærebat, expreſſamque literis, licet duris & concitatis, evulgabat; atque, ut opinor, anathematis, quod minabatur Stephanus, à ſe, ſuisque fulmen avertere nitebatur. Ex his autem argumentis ex veterum ſilentio, conjecturisque petitis, iſta potius videntur eſſe inferenda: Euſebius quidem, quem Miſſorius putat hiſtoriæ Rebaptizantium conſarcinatorem mendaciſſimum, non confinxit literas Firmiliani. Donatiſtæ uſque ad tempora Auguſtini earundem non meminerunt, nec ipſi illarum dicendi ſunt auctores. Nullus Donatiſta poſterior eaſdem literas, quæ tandiu delituerunt, in vulgus ſparſit, nec ſolent eximii impoſtores quæ ad alios decipiendos excogitant, in tenebris ſepelire. Novatores, qui iſtiuſmodi literis abutuntur adverſus Romani Pontificis auctoritatem, eas non peperiſſe codices ſupra viginti ipſis Novatoribus antiquiores commonſtrant. Quem ergo ſuppoſitarum literarum auctorem, quam figmenti hujus cauſam, quem finem, quam ætatem, quodnam commodum profert eloquentiſſimus adverſarius? Sed ad reliqua progrediamur.

Tertium Carthaginenſe Conſilium in altera diſſertatione pro Cypriano confictum pariter, & repugnans Epochæ Stephani, contendit vir doctus: in eo igitur potuiſſet poſterus Fabricator, Firmilianicæ epiſtolæ mentionem facere. At concilium pariter genuinum eſt, rectæ Chronologiæ non repugnat, nec in illo commemorari potuerunt literæ Firmiliani. Nos Stephanum in ſummum Pontificem electum aſſerimus anno 254. Valeriani I. quo anno die 3. Martii obiit Lucius, ſeditque Stephanus uſque ad annum 257. & IV. nonas Auguſti Valeriano IV. & Gallieno III. Coſs. in propria ſede capite truncatus eſt. Quod perſpicuum erit legentibus diſſertat. 2. Scheleſtratii cap. 7. Vol. I. Antiq. Eccl. ac Notas Blanchini, aliorumque Tom. 2. Anaſtaſii pag 216. Epocham vero Epiſtolarum Cypriani, & Conciliorum Carthaginenſium in cauſa Rebaptizantium, hanc ſtatuit Auctor Vitæ Cypriani, Monachus Sancti Mauri accuratius, quàm præſtiterint Pearſonius, Tillemontius, & alii. Non improbat ille exortam in Africa controverſiam de *Rebaptiſmo* initio anni 255. Potes illam deducere etiam ab anno ſuperiori, imo & à 253. nam prius inter ſe Afri decertarunt, quàm cum Stephano. Epiſcopi Numidæ ſcribentes ad Cyprianum, huic occaſionem præbuere ſententiam dicendi ſuam: nam Epiſtola Cypriani, & aliorum XXX. Epiſcoporum laudat ipſos Numidas. Hæc Epiſtola nunc inter Cyprianicas LXX eſt Synodica primi Carthaginenſis congreſſus habiti anno 255. aut forte præcedenti. Paulo poſt Concilium hoc primum ſcripſit Cyprianus ad Quintum, à quo per Lucianum conſultus fuerat quid in Synodo cum cæteris coepiſcopis decreviſſet; atque hæc eſt Epiſtola Cyprianica XX. Celebrata deinde anno 255. paulo poſt primam (ſi habitam contendas hoc anno) ſecunda Synodus Carthaginenſis Epiſcoporum LXXI. atque Cyprianus cum aliis LXX. ſcripſerunt ad Stephanum Epiſtolam inter Cyprianicas LXXII., in qua proinde fit mentio Epiſtolæ LXXI. ad Quintum, & Synodicæ LXX. ad Numidas. Subſecuta eſt ſecundum Concilium Epiſtola Cypriani ad Jubajanum; nam in ea fit mentio ejuſdem Synodi, ad quam Epiſcopi LXXI. convenerant: recte idcirco hæc Epiſtola locata eſt inter Cyprianicas num. LXXIII. Pervenerunt interea temporis in Africam literæ ad 3.

teræ Stephani, quarum cupidus Pompejus Sabratensis scripsit ad Cyprianum, hic autem Pompejo morem gerens rescripsit Epistolam LXXIV. in qua & Stephanum studuit refellere. At Cyprianus videns adversari sibi Romanum Pontificem scripsit etiam, misitque Rogatianum ad Firmilianum Episcopum Cæsareæ, coegitque Concilium Tertium ex Episcopis LXXXV. Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ. Celebratum est calendis Septembris anno 256. superstite adhuc Stephano: qui anno proximo, ut diximus, martyr occubuit. Pervenit eodem anno, Synodo jam soluta, ad Cyprianum Epistola Firmiliani, n. LXXV. inter Cyprianicas recensita: atque in hac Epistola Cæsareensis auditis iis, quæ rescripserat Stephanus, & fortassis legati amplificaverant, in eundem Stephanum acuit stylum. Firmiliani vero Epistolam conscriptam anno 256. jam dudum docti viri observarunt ex Epocha Alexandri Severi, à cujus obitu præteriisse ibidem dicuntur anni fere XXII. Occisus est autem Alexander die 15. aut 18. Martii anno 235. Scriptam post Concilium III. à Cypriano Epistolam ad Magnum censent eruditi recentiores, unde positam legimus num. LXXVI. at alii contendunt hanc esse priorem in hac materia, quòd nullius Concilii, aut aliarum litterarum occurrat in ea vestigium: quare nihil nostra interest hujus Epistolæ Epocham investigare; de qua Pearsonius in Annalibus Cyprianicis, & Pagius ad annum 255. num. X. Apparet ex dictis, cur litterarum Firmiliani nulla fiat mentio in tertia Synodo Chartaginensi, & quomodo hæc non pugnet cum Epocha Stephani, ut perperam nititur demonstrare Missorius.

Ad 4. Ad quartum hanc tene responsionem. Quidquid sit de fide Eusebii, de qua disserui alio in loco, nequit dici sine injuria maxima, & aperta falsitate commentor historiæ Rebaptizantium. Quamquam enim Donatistæ captarent Arianorum consuetudinem; Eusebius tamen *Rebaptismum* improbat eodem libro VII. cap. 2. 3. 7. & 9. scribens Stephanum pro antiqua traditione stetisse, ac Dionysium cælesti quoque voce admonitum, opus non esse recipiendis hæreticis iterato baptismate. Neque dicas Eusebium reprobasse Rebaptisma, ægre ferendo tinctos iterum à Catholicis Paullianistas: quantum enim hos adversaretur, apparet ex eodem lib. VII. H. E. cap. 27. imo nec ulla affinitas est Arianos inter, ac Samosatenses, sed ex Sirmiensi Synodo laudata Tom. 2. pag. 16. hos inter, & illos eruitur pugna & contentio. Eusebius ergo, sive Arianum dicas, sive Orthodoxum, neque in gratiam Rebaptizantium, neque in gratiam Paulianistarum mentitus est. Quanta insuper aversione Eusebius prosequatur schisma Novati, cujus Donatianum est surculus, constat ex libro VI. cap. 43. & lib. VII. cap. 8.

Ad 5. Postremum diluam hoc pacto. Sit Eusebii Historia, fueritque apud omnes magno in pretio, quod me quidem judice promeretur; nego ejus lectione deceptum Basilium, qui sane non opus habebat res gestas prædecessorum suorum è scriptis exterorum delibare. Falsus est insuper quisquis ait Basilium scripsisse in I. Can. probatum Dionysio baptisma Paulianistarum. Ait Basilius duntaxat pag. 757. τὸ δὲ πεπεξηγῶν οὐδένα μοι λόγον ἔχειν. ἠ ἐθαύμασα πῶς κανονικὸν ὄντα τὸν μέγαν Διονύσιον παρῆλθον. *Pepuzenorum autem* (baptismus) *nullam mihi rationem habere videtur: & miratus sum, quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit Canonicus, præterierit.* Dionysius ergo Pepuzenorum, sive Cataphrygum (quorum non una erat secta, ut dicam Prop. IX.) baptisma probavit, non Paulianistarum; quamvis Basilius, qui adhæsit Rebaptizantibus, nitatur eo loci contra Dionysium ostendere idem de omnibus hæreticis, Catharis, Montanistis, aliisque asserendum. Narrat præterea Eusebius Dionysium Alexandrinum, nec non Dionysium & Philemonem Presbyteros apud Romanam Sedem egisse, ne Helenus & Firmilianus anathemate mulctarentur, sed hæc in Epistola Basiliana nequaquam leguntur; ideoque non uno commento utitur Missorius, ut probet Basilium deceptum ab Eusebio: quamquam si eadem à Scriptore narrarentur utroque, esset id veritatis fulcimentum, non argumentum erroris. At de Firmiliano quod instituti nostri, erat, persolvimus: modò ad Cyprianum convertimur.

8. Prob. secunda. Pars de Cypriano.

Cyprianum itaque accensent Rebaptizantibus quotquot ad hæc usque tempora floruerunt, imo nec Missorii sententiam secuti sunt, qui adversus Bossuetium postremo tempore Romanorum Pontificum propugnaverunt auctoritatem, quamquam illud, si haberet probabilitatis speciem aliquam, ad conterendas oppositiones è Cyprianicis testimoniis depromptas videretur aptissimum. Nec tantùm secuti non sunt, ejus tanquam ineptæ fabellæ nec meminerunt cum Joseph-Augustinus Orsi, tum Joseph-Maria Platina, viri ambo literatissimi, & alter quidem ejusdem cum Missorio instituti. Perpaucos nos lauda-

laudaturi, primas deferemus Eusebio, quem non esse fabulæ architectum diximus paulo supra. Scimus ad Eusebii elevandam auctoritatem reponi, Cyprianum non fuisse Rebaptizantium *omnium primum*, ut inquit Eusebius in editione Valesii, nec etiam *primum ejus ætatis*, ut melius legerunt Christophorsonus & Pearsonius: sed animadvertimus dici *primum* ab Eusebio Cyprianum, quod tunc temporis ejus opera, auctoritate, ac Synodorum celebratione sententia Rebaptizantium evaserit celebrior, & cornua erexerit. Christophorsoni quoque versionem ita probavimus, ut πρῶτος τότε, non sit nobis *primus ætate*, sed merito, atque doctrina. Addimus modò, Eusebium commemorare subinde epistolas Dionysii, & Synodos ab Orientalibus in causa Rebaptizantium celebratas; unde liquet compertum Eusebio, alios ante Cyprianum pugnasse pro *Rebaptismo*.

2. II. Sequitur Magnus Basilius, quem historiá Eusebii non esse deceptum, (præterquam quod nec ipsum Eusebium lapsum, falsumque contendimus,) eximii Doctoris nomen præclarissimum, exquisita eruditio, præmissaque contrariæ suspicionis confutatio probo cuique viro suadebunt.

3. III. Accedit Hieronymus, qui adversus Luciferianos Tom. IV. pag. 303. inquit: *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcirco hæreticorum baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à beato Petro vicesimus sextus fuit, super hanc rem Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra sunt.* Laudat Hieronymus paullo infra Cypriani ad Jubajanum epistolam, innuitque etiam litteras ad Pompejum, dum ait suis in Epistolis *lacerare Stephanum Romanæ urbis Episcopum.* Atque hæc nemo dixerit ex Eusebio Hieronymum exscripsisse, cum nullam ille mentionem faciat Africanæ Synodi, neque Cyprianicæ ad Pompejum epistolæ, neque alterius ad Jubajanum.

4. IV. Plurima ex Augustino proferri possunt: nam Cypriani litteras laudat lib. I. de Baptismo cap. XVIII. n. 28. Epistolam ad Quintum expendit lib. II. cap. I. num. 2. De litteris ad Jubajanum agit eodem libro cap. II. num. 4. & lib. III. cap. II. num. 4 cap. IV. num. 6. cap. XI. num. 16. Epistolam ad Pompejum refellit lib. V. cap. XXIII. num. 31. Vellicat simul litteras ad Jubajanum, ad Quintum, & ad Pompejum lib. VI. cap. VII. num. 10. Addit ibidem epistolam, quam Cyprianus scripsit ad Magnum, nec non alteram ad quosdam Collegas, id est, ad Numidas: nec silentio præterit eodem libro cap. XV. num. 25. epistolam, quæ periit, ad Stephanum. Mitto loca alia quamplurima.

5. V. Contendit vir doctus Augustinum *facti quæstionem* refugere, ejusque adversus Donatistas disceptationem esse *hypotheticam*, quoniam scilicet factâ hypothesi Cyprianum revera illas Epistolas conscripsisse, illarum auctoritate perspicuè & valide refutabantur Donatistæ, propterea quod in Epistolis Cyprianicis unitas Ecclesiæ apertissime commendatur. Superstruit autem systema istud *hypotheticum* dubitationi, quam alicubi præfert Augustinus, num revera Cyprianus rebaptizandos hæreticos scripserit, & docuerit. Extant quidem aperta hujus hæsitationis vestigia lib. I. contra Cresconium cap. XXXII. num. 38. lib. II. cap. XXXI. num. 39. & in Epistola ad Vincentium Rogatistam XCIII. num. 38. atque ad Macrobium CVIII. num. 9. Verum hæc dubitatio ad systema illud *hypotheticum* stabiliendum nequaquam sufficit. Dubitat siquidem Augustinus, imo potius ait alios dubitare, tum spectata Donatistarum præsumptione, & mentiendi libidine, tum quod nequeat integritas, atque notitia unius quamlibet illustris Episcopi custodiri, quemadmodum custoditur Scriptura canonica; sed apud ipsum Augustinum tenuissimam esse dubitationem istam argumentationes plures evincunt. Ac prima sit, quod locis numero præcedenti citatis, expendens epistolas Cyprianicas, non ait, *In literis Cypriano attributis*, sive *afflictis*, sed, *Extant beati Cypriani in ejus literis magna documenta: His verbis beati Cypriani: Hoc enim ipse etiam Cyprianus cum cæteris statuit: Ad Pompejum etiam scribit Cyprianus: Epistolam, quam Jubajano scripsit, illam quam ad Quintum dedit, illam, quam cum quibusdam collegis ad quosdam collegas, illam, quam ad Pompejum;* & alia his consimilia, in quibus aperte Augustinus agnoscit Cyprianum earundem epistolarum auctorem. Deinde ubi S. Pater excusat Cypriani errorem, non scribit de hoc immerito S. Martyrem insimulari; sed modo inquit, Dominum ei veritatem non aperuisse, *ut ejus pia humilitas & charitas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace pateſceret.* ita lib. I. de Bapt. cap. 18. modo non ausurum fuisse ipsum Cyprianum ratiocinari adversus universalem consuetudinem, *nisi prior ante & Agrippinus, nonnulli per Africam Coepiscopi ejus etiam per Concilii sententias deferere tentavissent;* ita lib. 2. de Bapt. cap. 8. modo apparere in Epistolis Cypriani simplicitatem potius, quam duplicitatem, dum ait *admissos sine baptismo in unitatem corporis Christi*

de

*de divina misericordia mereri indulgentiam, & ab Ecclesiæ muneribus non separari;* ita libro 2. contra Cresconium cap. 33. modo ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta, *ut & charitatis, qua excellebat, luce illa obumbratio fugaretur;* ita in libro de unico Baptismo contra Petilianum cap. 13. Quorsum vero hæc, aliaque multa ad elevandum, & excusandum errorem, quem idem Augustinus confictum, nullumque crederet? Præterea Augustinus, dum ait de Cypriano, *Si scripta ejus esse constat*, aut phrasi consimili *hypothetice* loquitur: ad quorundam potius, quam ad sui ipsius attendit dubitationem: inquit enim ad Vincentium scribens: *Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant;* & ad Macrobium, *Illud Concilium, vel illa scripta, si vere ipsius sunt, & non sicut aliqui putant sub ejus nomine conscripta atque conficta*: sed postmodum sententiam promens suam, ita sanctus Pater loquitur priori loco: *Nos tamen non negamus illud sensisse Cyprianum;* & de Epistola ad Stephanum lib. VI. de Baptis. cap. XV. num. 25. *Nam & ipsam in isto cœtu sacerdotum lectam esse dixit: quod factum omnino non dubito.*

6. VI. Idem Augustinus citata ad Vincentium epistola num. 39. duo profert argumenta, ob quæ ipse haud negat Cyprianum adhæsisse Rebaptizantibus: ac primum est: *Quod stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci.* Retinet enim cum puritate orationis genium Africanum, ornatus simul est, placidus, ac ratiocinio potens, & est quasi Tertullianici moderamen & expolitio. Interdum quidem variat Scriptorum oratio, nec semper graditur eodem incessu: sed tandem uniuscujusque se prodit indoles & ingenium. Ad hæc ut faciem faciei perraro aliquam, sed singulari & insigni, propriisque delineamentis affectæ prorsus nullam invenimus simillimam; ita stilum stilo nonnunquam reperiemus consimilem; sed talem, qui à peculiari, suisque lineis, notis, figurisque distincto minime secernatur, inventum iri non arbitror. Atque ita à Livio Sallustium, Tullium à Cæsare, Terentium à Plauto, Ovidium ab Horatio, quasi ex forma vultus, Grammatici è stili proprietate plurimum differre cognoscunt. Habent faciem pariter singularem inter Afros Tertullianus, Cyprianus, Optatus, eamque statim discernunt ipsorum lectioni paululum assueti. Hinc ob stili dissimilitudinem adjudicamus Cypriano Epistolam Celsi ad Vigilium de singularitate Clericorum: ac de libro *de Spectaculis*, qui tamen ad stilum S. Martyris proprius accedit, scite scribit in ejus vita Monachus Benedictinus num. XXXV. *Inest dissimilitudo, quam aures legendo Cypriano assuetæ & contritæ facile percipient.* Hanc profecto dissimilitudinem non offendes in epistolis *de Rebaptismo*: quæ, etsi multæ sint, habent nihilominus singulæ *propriam* illam *faciem*, in quam Augustinus conjiciens oculos ait: *Nos tamen duas ob res non negamus illud sensisse Cyprianum: quod & stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci: & quod* (en Augustini Donatistam alloquentis alterum argumentum) *& quod ibi magis contra vos nostra causa monstratur invictior, vestræque separationis præsumptio, videlicet ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate subvertitur, cum apparet in literis Cypriani communicata esse cum peccatoribus sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam qui secundum vestram, & sicut vultis, illius sententiam baptismum non habebant.* Hinc ita ratiocinamur: Primo in literis Cyprianicis nullum anathema dictum est in approbantes baptisma ab hæreticis datum, imo significatum expresse servandum esse cum illis inviolatum vinculum communionis. Sat est unum illud Cypriani testimonium, *Neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes:* de quo Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 6. aliisque in locis. At Donatistæ se à non rebaptizantibus segregabant, illósque adversabantur tanquam nefaria contaminatione pollutos. Ergo Donatistæ Cyprianicas Epistolas minime fabricarunt. Nullus deinde, quantumvis Minervæ pinguis, & ignarus, reprobat hæresis, erroriſque sui motivum præcipuum. Atqui causa princeps hæresis, & schismatis Donatiani fuit segregatio à Catholicis, tanquam à peccatoribus & immundis. Igitur nullus Donatista, tametsi ignarus & imprudens, comendare potuit assertam in Epistolis Cyprianicis communionem. Rursus Donatista, quem fingis Epistolarum earundem artificem, aut vafer erat & callidus, aut imprudens ac stolidus: si primum affirmas, quomodo callidus Donatista probare potuit unitatem Ecclesiarum? si sentis alterum, quomodo stolidus Donatista potuit tam bene Cypriani imitari orationem, sectari virtutem, assequi acumen, nectere ratiocinia, eximiique cujuslibet impostoris non modo explere partes, sed superare? Insuper nullo validiori argumento revinci, ac subverti

possunt Donatistæ, quam petito ex epistolis Cyprianicis. Hinc Augustinus septem de Baptismo libros conscripsit, ut exemplo & auctoritate Cypriani contereret ipsorum Donatistarum perversitatem, quemadmodum testatur eodem in Opere à capite ad calcem, necnon in 2. Retract. cap. 18. Adversus igitur semetipsos acerrimi Catholicorum hostes arcem illam, munitissimumque propugnaculum minime construxerunt.

7. VII. Confirmat dicta hactenus Facundus Hermianensis scribens lib. x. de Tribus Capitulis pag. edit. Sirmondi 428. cap. 3. *Nemo sapiens Ecclesiam credit hæreticam, quia doctrinam beati Cypriani Carthaginensis Episcopi & Martyris laudat; cum ille non solum privatim, ut ei visum est, verum etiam congregato Concilio definierit, ut omnis hæreticus ad Ecclesiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus à Stephano Antistite Romano restiterit, suamque sententiam scribens ad Pompejum quanta potuit humana argumentatione defenderit.* Et contra Mocianum pag. 577. *Idcirco beatus quoque Stephanus Præsul Apostolicæ Sedis, cum sanctum Cyprianum, atque alios Afros Episcopos de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret, quamvis ut dictum est nullo interposito anathemate, neque adversus ulla Concilii generalis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis talem sententiam protulissent; continuo tamen ei denuntiavit, quod si qui hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur.* Valde ibidem Hermianensis commendat Augustinum, quoniam auctoritate beati Martyris Cypriani compressit Donatistas, non ex *systemate hypothetico*, quod Missorius miratur nec deprehendisse Norisium in Donatistarum Historia, sed quia cum revera Cyprianus *aliter, quam plures aliarum provinciarum Episcopi de Baptismo saperet, non tamen se, quemadmodum ipsi Donatistæ, ab Ecclesia segregavit.*

8. VIII. Ad subvertendam opinionem, quæ inveteravit, ac possessionis jure fruitur, pondus non habent momenta infirma, atque inutilia. Cyprianum vero stetisse pro *rebaptismo* sententia est, quæ Scriptorum omnium insedit animis, Mss. & editorum librorum firmata consensu, probata Historicorum suffragiis, nullumque ante Missorium, vel Tourneminum (cui namque hujus commenti tribuenda sit origo prima, nil ad nos attinet) illam è propria sede ausus est dejicere ac deturbare. Ut ergo merito censeatur illinc delapsa, proferri debent argumenta pondere gravia, rerumque circumstantiis inspectis multas habentia opportunitates. At quæ proferuntur argumentationes, nullius, ut mox ostendam, sunt roboris; nec video cur expediat in illas omnes eloquentiæ nervos, totumque acumen mentis intendere. Nova enim sententia nil ad Cypriani laudem, meritorumque ipsius confert celebritatem; cum in ea potius disceptatione illius charitas in unitate servanda, studium in perquirenda veritate, temperamentum & eruditio in epistolis conscribendis, cura antiquioris disciplinæ tenendæ, animique egregii dotes aliæ magnopere eniteant, & si quid humani lapsus occurrit, id purgatum fuerit falce martyrii, & igne flagrantissimæ dilectionis: quibus rationibus Augustinus jam ostendit novam hanc in Cyprianum devotionem tenuissimis stimulis excitari. Imo, si quod sentio fas est ingenue proferre, quamquam novam istam in Cyprianum devotionem commendo plurimum, pluris tamen beatissimum Martyrem ex hisce epistolis æstimo, in quibus deprehendo tot probitatis, virtutisque argumenta, simulque commoneor, quantum mihi trepidandum sit in sententia aliqua pronuntianda, cum tantorum meritorum viro noluerit Deus justissimo, altissimoque judicio veritatem hanc revelare. Nihil præterea ex nova opinione percipient commodi qui Romanæ Sedis propugnant auctoritatem; quæ enim hoc in dogmate objiciuntur ex Cypriano, à singulis Controversiarum Scriptoribus diluuntur, nec horum aliquis respondit Cypriani epistolas esse confictas; ac si id respondisset, jure persisteret adversarius, contendens nos prorsus devictos & superatos ad inaudita, novaque figmenta confugere. Denique si Cypriano recensitæ epistolæ adjudicandæ sunt, pereunt argumenta, quæ inde erui pro confirmandis Traditionibus dixi libro XXIII. cap. 5. nec arduum erit illa ratiocinandi methodo semel recepta, complura facta, quibus Romanæ Ecclesiæ dogmata fulciuntur, inter hominum commenta rejicere. Saltem hoc sibi promittunt hæretici in Actis Erudit. Lipsiæ anno 1736. pag. 26. ubi non tantum Missorii laudes prosequuntur, (quod factum bene omnique jure fatemur) verum etiam hæsitanter in hæc verba prorumpunt: *Dubitavimus vero, an Auctor applicationes regularum suarum sit admissurus, simul ac Protestantes iis uterentur in dijudicandis factis ab Ecclesia Romana probatis.*

Brevi-

9. Objectio 1. Breviter jam præcipuas adversarii argumentationes expendam. Quarum prima est, nec unum reperiri auctorem, qui in adversariis oppugnandis ad systema *hypotheticum* non deflectat: quod præstitisse Augustinum, cui aperta erat Donatistarum astutia & fallaciloquentia, demonstrat primum hæsitatio, quam pluribus in locis de facto, scriptisque Cypriani significat, tum quod probans rite ab hæreticis conferri baptismum ex Cypriani sententiis & opusculis receptissimis, si Rebaptizantibus sanctum martyrem accensuisset, damnasset eundem supini erroris, & manifestissimæ *antilogiæ*. Responsio. Huic argumento responsum est paulo supra. Nunc tantum addimus probare & nos systema *hypotheticum*, quo adversarii ex suppositione ipsorum doctrinæ facilius revincuntur & refutantur, nec denegamus Augustinum in Donatistas Cypriani auctoritatem objicientes, valide ejusdem Cypriani exemplo, & scriptis insurgere. Sed ideo insurgit, ideo Donatistas premit: quod Cyprianus *de baptismo aliter sentiens, quam res se habebat, in catholica unitate permansit, illumque nævum in candore sanctæ animæ charitatis ubera contegebant.* Vide lib. 1. de Baptismo postrema capita. Et si alicubi anceps est, aut de Epistolis Cyprianicis, aut de Carthaginensi Concilio; dubitat spectata Donatistarum perversitate, & Cypriani sanctimonia; at postquam egregie hanc vindicavit, sensisse Cyprianum hæreticos esse rebaptizandos non negat, & adversus semetipsos illas Epistolas à Donatistis confictas, nequit prudentissimus Augustinus sibimet suadere. Nec propterea Cyprianum arguit *antilogiæ*, quippe nullum, quem invenerim, Cypriani locum profert ex receptis illius Operibus Augustinus, in quo aperte probetur hæreticorum baptismus; quamvis Missorius scribat pag. 281. *Compluribus Cypriani sententiis & receptissimis opusculis literisque collectis probat* (Augustinus) *baptismum rite ab hæreticis conferri.* Producere Augustinum contra Donatistas permulta testimonia Cypriani ad probandam Ecclesiæ unitatem, necnon ad commonstrandam in Ecclesia bonorum, malorumque commixtionem, cum ex Epistolis controversis, tum ex Epistola ad Antonianum, ex altera de lapsis, ex alia de zelo & livore, verum est: plurima, imo unicum afferre testimonium, in quo diserte Cyprianus asserat *baptismum rite conferri ab hæreticis*, id falsum est penitus; abitque inter figmenta reliqua, objecta Cypriani *antilogia*, & contradictio.

10. Objectio 2. Petitur secunda objectio ex silentio S. Optati Milevitani, qui scribens adversus Parmenianum libros septem (nam & postremum recipiunt Critici) nullibi mentionem facit Cypriani, quam feciſset utique, si fuisset Rebaptizantium dux & coriphæus. Tanta est autem Optati auctoritas, ut apud ipsos Donatistas promeruerit æstimationem, eumque in Collatione tertiæ diei legi postulaverint. Accedit quod argumentis Optati probantis Majorinum recessisse à cathedra Petri, vel Cypriani, si docuisset is rebaptismum, Donatistæ reposuissent, non Majorinum, sed Cæcilianum recessisse à cathedra Cypriani, cum in eadem de Rebaptismo sententia Majorinus ipse perstitisset. Huic argumento respondendum est ad hunc modum. Pertractans ipse Missorius de auctoritate argumenti negantis pag. 205. recte observat, necessum esse, ut illud vim habeat, prætermissa fuisse ab auctore, quæ neutiquam fuissent prætermittenda, ita causa, quam egit, postulante. Atqui sententiam Cypriani de Rebaptismo prætermitti debebat ab Optato: nullam ergo vim habet argumentum à silentio Optati depromptum. Quod sententia Cypriani fuerit ab Optato prætermittenda, demonstro ex eodem Optato, qui libro v. ubi disputat de Baptismo, num. 3. ait: *De hoc Sacramento non leve certamen innatum est, & dubitatur, an post Trinitatem, in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, Licet: Nos dicimus, Non licet. Inter Licet vestrum, & Licet nostrum nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt Judices: si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. Deforis quærendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. De cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio Testamentum?* Anne vides Optatum de baptismate disputantem ad sola divina testimonia recurrere, ac prævenire etiam Donatistas, ne aut Cyprianum, aut Orthodoxum alium opponat, ad solum Evangelium provocans adversarios, propterea quod etiam apud Catholicos exorta fuerint hac in parte dissidia? Optatus igitur debebat Cypriani Epistolas, sententiamque alto silentio præterire. Quid, quod Optatus scribens adversus Parmenianum, nec meminit Epistolæ ejusdem Parmeniani ad Tychonium, quam S. P. Augustinus egregio Opere refutavit? Nunquid ex Responsio.

Optati silentio epistola Parmeniani judicabitur spuria? Probationes autem silentio Optati subjectæ nil omnino concludunt. Nam Donatistæ in Collatione Carthaginensi *petierunt Optatum legi*, quia arbitrabantur inde se probaturos *Cæcilianum ab Imperatore damnatum:* quod cum minime in Optato invenissent, *Donatistæ dixerunt hoc se non petiisse recitari, stomachantes adversus eos, qui risum tenere non poterant*, ut narrat Augustinus in Breviculo Collat. tertii diei cap. xx. num. 38. Hæc vero quid faciant ad præsentem de Cypriano controversiam, non video. Nec momenti alicujus est, quod Optatus scribit lib. 1. cap. x. *Non enim Cæcilianus exivit à Majorino avo tuo, sed Majorinus à Cæciliano: nec Cæcilianus recessit à Cathedra Petri, vel Cypriani: sed Majorinus, cujus tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat.* Eo enim loci Optatus probat schismatis originem non à Cæciliano, sed à Majorino esse repetendam, quod Cæcilianus successerit Mensurio, suffragio totius populi electus, & rite à Felice Autumnitano, seu Aptuginensi ordinatus, Majorinus vero contra Cæcilianum ordinatus fuerit à Traditoribus, & se à communione catholicorum sejunxerit, erecta Episcopali sede, quæ ante ipsum Majorinum non erat. Atque hanc esse Optati mentem præcitata verba declarant, confirmantque totius libri contextus. Ut ergo Donatistæ diluerent argumentationem Optati, non debebant respondere Majorinum secutum sententiam Cypriani de Rebaptismo, de quo ibidem S. Optatus non loquitur; sed debebant ostendere Majorinum, non Cæcilianum esse legitimum successorem Mensurii, & Cæcilianum, non Majorinum, nova erecta sede schisma conflasse. Quamquam & de Rebaptismo longe distat sententia Donatistarum à Cyprianica; cum illi non solum hæreticos, sed etiam à pace deviantes rebaptizandos judicarent: quod monuit Augustinus lib. 1. de Baptism. cap. xix. num. 29.

II. Objectio 3. Tertia objectio promitur ex silentio Pontii, qui cum fuerit Cypriani Diaconus, ejus amantissimus, exilii voluntarius comes, vitamque & passionem ipsius Cypriani conscripserit, nullam hujusce sententiæ fecit mentionem; enimvero si Cyprianus docuisset Rebaptismum, id Pontius gestorum ejus Scriptor diligentissimus minime prætermisisset: & si Cyprianus à priori errore resiliisset, & istud Pontius mandasset literis, ne videretur se delectari errore ipso Magistri. Scribit namque Augustinus ad Vincentium Rogatistam haud esse improbabile, *quod Cyprianus correxerit istam sententiam, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt.* Non ego hanc adhibebo responsionem, meminisse Pontium & sententiæ Cypriani, & Cathaginiensium pro ea stabilienda conciliorum, ut in Apparatu lib. iv. art. 14. num. 10. scripsit Petrus Annatus: nam revera hæc non habentur apud Pontium, sive pervolutes Editiones omnes Cypriani, sive Acta Martyrum Ruinartii, sive Codicem nostrum prælaudatum. Ac si Annatus singularem aliquem nactus esset aliisque incompertum, indigitasset utique, erroriscque tam obvii à se abjecisset suspicionem. Nec respondebo Dupinium in nova Bibliotheca asserere Pontii Opus cum tanta eloquentiæ affectatione conscriptum, ut posset merito venire in suspicionem falsitatis, nisi illud Hieronymus agnovisset pro genuino. Nec denique illud reponam, non videri hunc Pontii librum turgido stylo, rhetoricisque figuris ornatum idem esse Opus, quod præcitatus Hieronymus de Script. Eccl. cap. 68. *volumen* appellat *egregium*, Caveus autem diligentissime scriptum censet, at *stilo simplici & inelaborato.* Sit per me quidem Pontii fœtus, sit egregium præstantissimumque volumen, nec affectata editum eloquentia, sed vera. At Missorius ad vim argumenti à veterum silentio deducti, id etiam recte ac sapienter exigit, ut Auctor, cujus profundum silentium opponitur, fuse, & ex instituto quæstionem, de qua agitur, pertractaverit.

Respondent aliqui.

Nego itaque Pontium *fuse* res à Cypriano gestas, editasque ab eo literas recensuisse. Ipse enim fatetur num. x. præterire *multa alia, & quidem magna*, nec inverisimile est ea duntaxat narrasse, quæ ad Cypriani laudem, aliorumque ædificationem potissimum serviebant. Imo Pontius nec meminit Epistolæ XL. in qua Cyprianus pertractat de presbyteris factionis Felicissimi, qui illum subruere tentarunt; neque Epistolæ LII. ad Antonianum, aliorumque, in quibus disseruit de Libellaticis, & quæ haud exiguam rerum à Cypriano gestarum partem continent. Præterit Pontius & Cypriani Concilium celebratum anno 252. in causa Victoris presbyteri, omnesque ad Romanum Clerum, & ad Cornelium epistolas de lapsis ad pœnitentiam recipiendis. Quid plura? Epistolam LV. ad eundem Cornelium, qua se Cyprianus defendit adversus Schismati-

Respondet Auctor.

maticos, LVII. de ipsius Cornelii confessione, necnon LVIII. ad Lucium, in qua de hujus ab exilio reditu gratulatur, frustra perquires in Pontii libro. Ibi Xystum solum ex Romanis Episcopis invenies commemoratum num. XIV. quem Pontius appellat *pacificum Sacerdotem*, forte (si levioribus conjecturis est indulgendum) quod Cyprianus cum Xysti prædecessore aliquam habuerit dissensionem. Cum vero Pontius, ut firmissime teneo, Magistri sui adhæserit opinioni, non Cypriani errore delectatum dicimus, sed doctrina meritisque devinctum, adactumque ne scriberet quod nil conferebat ad scopum & dignitatem suscepti operis.

12. Objectio 4.

Opponit IV. loco Missorius silentium auctoris Anonymi Tractatus adversus Rebaptizantes, necnon summum, diuturnumque silentium ipsorum Donatistarum ante Augustini tempora: silentium præterea ipsius Donati, qui convictus à Miltiade Papa, Romanoque Concilio, causatus est exiguum Episcoporum numerum formulasque judiciorum; & damnatus à Synodo I. Arelatensi, & provocans ad Constantinum, ab eoque de sacrilega appellatione objurgatus, nunquam protulit aut Cypriani literas, aut ejusdem, sive Agrippini Concilia: altissimum denique silentium, quod extat in Actibus Synodicis, in gestis proconsularibus, & in legibus Imperatoriis, ubi nullum facti Cyprianici deprehendi potest vestigium.

Responsio.

Resp. & argumentationem istam nullius esse roboris. Nam si silentium aut scriptis, aut factis adimeret auctoritatem, cum literis de Rebaptismo rejicienda foret celeberrima Cypriani Epistola ad Fortunatum de Exhortatione Martyrii, altera ad Antonianum de Cornelio & Novatiano, quæ in XI. antiquis Cod. desideratur, ac præsertim LXVII. ad Stephanum de Marciano Episcopo Arelatensi; quam, licet Launojo, aliisque videatur conficta, Missorius tamen & genuinam agnoscit, & ex ea prolixam nectit ratiocinationem, de qua inferius est differendum. Primæ enim, ac tertiæ harum Epistolarum nemo veterum meminit, ut constat ex notis posteriorum Editionum Cypriani ad Epistolam LXVII. nec istas in tantis Mss. Codicibus adinvenies, in quantis leguntur agentes de Rebaptismo. Quo ergo se vertet adversarius ut Cypriano adjudicet nunc commemoratas Epistolas, eo nos convertimur, ut quas explodere nititur, propugnemus; & potiori quidem jure, cum istæ jam ab ætate Hieronymi & Augustini Cypriani sub nomine legerentur. Sed est aliud, quod præmissæ objectationi reponamus. Enim vero, quantum attinet ad librum Anonymi de Rebaptismo, si scriptum dicas adversus Cyprianum tertio sæculo, ut est communis sententia, fatearis necessum est Cyprianum pro Rebaptismo pugnasse, eumque suppresso nomine ab Anonymo carpi, & vellicari; & Cyprianum ipsum esse virum illum *magnæ prudentiæ & constantiæ*: quem adversarius clanculum mordet, appellatque audacter *hæreticorum stupore præditum*. Si vero Missorium audias, & librum de Rebaptismate editum velis contra Donatistas, quod difficulter mihi, aliisque persuadebis, commendare debes silentium Anonymi, qui oppugnans pervicacissimos Donatistas, beatissimi Martyris famæ pepercerit. At quantum ad antiquiores Donatistas attinet, principio dicam ad nos usque ipsorum scripta & facinora minime omnia, & singula perveniisse; & ne aliò divagetur disceptatio, libenter legeremus Acta Romanæ Synodi sub Miltiade, quam hic objectat vir eruditus, præter fragmenta, quæ proferunt in Collatione III. diei Augustinus, & lib. I. cap. 24. adversus Parmenianum Optatus. Quod si dicas fuisse seniores Donatistas oculatiores posterioribus, nec obtrudisse Cyprianum, quod norint hunc servasse cum impiis unitatem, & hæreticorum quidem, sed non improborum expunxisse baptisma, aut potissimum fuisse intentos in subvertenda ordinatione Cæciliani, & avertenda à se origine schismatis; hoc etiam temere non inficiabor. Donatistæ præterea factam à Miltiade damnationem putabant se posse facilius eludere, si Melchiadem ipsum de crimine traditionis arguerent, aut negarent potuisse sub Melchiade Cirtæ Synodum congregari, aut assererent falsa esse concilia, quæ diem, & consules haberent inscriptos, quale præsertim erat Cirtense. Atque hoc fuisse Donatistarum perfugium, constat ex Collat. 3. diei cap. 17. & 18. & ex libro ad Donatistas post Collationem cap. 14. Donatus vero appellans ad Constantinum, (non à Melchiade, ut existimarunt Baronius & Balduinus refutati à Norisio P. I. Hist. Donat. cap. 9. sed appellans à Synodo Arelatensi,) nullo pacto exemplum proferre poterat Cypriani. Sanctus enim Episcopus Synodos Catholicorum in Proconsulari provincia coegit, non appellavit ad Cæsarem. In legibus

denique Imperatoriis, quæ collectæ extant in postrema Edit. Dupinii Operum Optati pag. 215. & seqq. nullum invenitur judicium Ecclesiasticum habitum in causa Donatistarum, non Concilii Cirtensis, non Romani sub Melchiade, non primi Arelatensis. Acta autem Proconsularia antiquiora, quæ extant in causa Donatiana, sunt Flavii Marcellini, & anni 411. quo Carthagine mense Junio habita est Catholicorum, & Donatistarum Collatio. Sunt ne Synodi Cirtensis, Romana, & Arelatensis fictitiæ? Anno ne 411. Donatistæ non objecerant sancti Cyprianı auctoritatem, nec Augustinus libros VII. de Baptismo conscripserat? At de frondoso, inanique argumento dictum satis.

13. Objectio 5. 1. Conatur insuper Missorius expungere tertiam Synodum Carthaginensem, pluraque, ut illam ostendat suppositam, momenta congerit. Primum est, quod vero non videatur simile sub cœlo Africano convocatum XC. fere Episcoporum conventum, æstuoso tempore, nec gravissima urgente causa, ut agerent nempe 2. de Rebaptizandis hæreticis, quod jam aliis in Synodis definierant. Alterum, quod in Conciliorum actis omittere diem & Consules, ut omittuntur in Synodo Cyprianica, videtur positum in more Donatistarum, ut liquet ex Augustino in Breviculo Collationis 3. III. cap. 15. Tertium, quod idem Augustinus citatis in locis, ac præsertim lib. 1. contra Cresconium cap. 32. de hac Synodo dubitat, scribens: *Nam & vos profertis Concilium Cypriani, quod aut non est factum, aut à cæteris unitatis membris, à quibus ille non divisus est, merito superatum.* Quartum, 4. quod hac in Synodo perlectæ dicantur literæ ad Jubajanum, non aliæ ejusdem argumenti; sitque inter Episcoporum sententias contradictio apertissima, cum Cyprianus dixerit de Rebaptismate à se prolatam sententiam *semel atque iterum & sæpe*, Geminus autem à Furnis & Junius à Neapoli dixerint, *Semel decrevimus, semel censuimus.* Quintum, 5. quod Carthaginensis hæc Synodus nequeat cum Epocha Stephani concordare. Consignandus est enim obitus Lucii cum eximio Petavio anno Chr. 255. P. Licinio Valeriano Aug. III. & P. Licinio Gallieno II. Coss. eodemque anno sub initium mensis Aprilis Stephanus inauguratus est Pontifex. At Stephanus martyr occubuit IV. Nonas Augusti eodem anno, seditque non amplius, quàm menses quatuor. Hoc autem exiguo intervallo, quomodo potuerunt Epistolæ inter Cyprianum, & Stephanum intercedere, plura celebrari Concilia, & ea evenire, quæ in Africa & Romæ dicimus contigisse? Detur quoque gratis, & summâ agatur benignitate, detur decessisse Stephanum non anno 255. sed 257. Valeriano Aug. IV. & Gallieno Aug. III. Coss. non proinde concurret Synodus illa Carthaginensis cum Epocha Stephani. Primo namque anno ipsius Pontificatus inter Cyprianum ac Stephanum nulla potuit oriri contentio, quandoquidem post Stephani inaugurationem Romana Ecclesia hanc Cypriano per literas significavit, Cyprianus Episcopis Africæ, tum hi Stephano gratulatorias misere, Pontifex Cypriano communicationis literas dedit, Cyprianus rescripsit Stephano, inita inter eos amicitia, hujus fama etiam in Gallias pervenit, Faustinus Lugdunensis Episcopus scribit Cypriano illius adversus Marcianum opem implorans, diuque exspectato responso: alias ad Cyprianum dat literas, Cyprianus adductus duabus Faustini epistolis scribit ad Stephanum de Marciano. Hæc omnia minori, quàm unius anni spatio perfici non potuerunt; ideoque nulla fuit hoc anno Stephani cum Africanis contentio. Quæstio de hæreticorum baptismate exorta est mense Aprili, convocatur Concilium primum, recrudescit disceptatio, celebratur Concilium alterum, mittuntur Synodicæ ad Numidas, fit certior de Synodica factione Stephanus, Afris minitatur anathema, indicitur tertia Carthaginensis Synodus, & celebratur calendis Septembris; quisnam dixerit talia ac tanta quinque mensium spatio fieri potuisse? Hæc Missorius.

14. Responsio ad 1. Cæterum & ista nil penitus probant. Ad primum enim negamus Carthaginis florentissimæ olim urbis, æmulæ Romani Imperii, Deorumque, ut ab Augustino dicitur, *regni*, fuisse malignum aerem, non, ut Geographi monstrant, clementissimum, atque uti initio Carminum de Punicis Bellis ait Silius Italicus, *gratissimum.* Qualecunque vero sit cœlum Carthaginiense, *Pœni* & Africani, *nec fessa* quieti *transmittunt corpora*, ac sacri maxime Antistites, magno Cypriano incitante. Dabo & aerem Carthaginensem esse ferventissimum, & crassissimum. Calendis Junii habitam Collationem coram Marcellino eadem in urbe, nemo negabit: quid inter Calendas Junii, & Calendas Septembris intersit, non video; mensis ille æstivum calorem præcedit, iste subsequitur. Eadem die *Calendarum Sept.*

cele-

celebratum Carthagine Concilium Coss. Cæsario & Attico, id est, anno 397. sedente Siricio Papa, constat ex 2. Conciliorum volumine pag. 1567. Nec levis erat Afris Episcopis causa Romanum Pontificem adversarium habere, ab eoque percelli minis atrocibus. Quid plura? *Ecce consentio, meridies Africa sit, Africa sit meridies: abundare nudio rebaptizatores in Africa*, inquit Augustinus serm. 46. num. 37. *Sodales malos, hæreticosque* non dico: nam Augustinus de Donatistis, nos de Orthodoxis Patribus disputamus.

ad 2. Ad secundum non reponam Concilium, de quo est disceptatio, diem habere, id est, Calendas Septembris; ideoque, si argumentum illud à more Donatistarum evinceret aliquid, probaret hanc Synodum carere ipsorum Donatistarum fraude & ingenio: nec dicam die & Consule carere omnes alias Cypriani epistolas, etiam Synodicas; nedum quippe solvit argutationem ejuscemodi, sed disjicit, dissipatque Augustinus scribens in libro contra Donatistas post Collationem cap. xv. num. 19. *Fieri autem potest, ut in codicibus sit varietas, dum alii etiam dies & consules diligentia majore describunt, alii superfluum prætermittunt. Sicut etiam codex de quo primum legimus judicium Constantini, quo inter partes Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos pronuntiavit, diem & consulem non habebat. Quo etiam illi invidiosissime proclamaverunt, quod Imperatoris literas sine die & consule recitavimus; & tamen etiam ipsi alias ejusdem Imperatoris literas in causa Felicis Ordinatoris Cæciliani, quas mirabili cæcitate contra seipsos protulerunt, sine die & Consule recitarunt, nec eis inde aliquid objecimus, ne similiter, ut ipsi, tempora necessaria superfluis verbis occuparemus.*

ad 3. Ad tertium plura superius dicta sunt, ubi quæsivimus qualis Augustini fuerit, & unde exorta hæsitatio: nam quadrant omnia huic Synodo, quam non uno in loco Augustinus absolute laudat & profert, ac data opera in postremis de Baptismo libris vocat ad trutinam. Sane quantumvis callida ac mendax fuerit Donatistarum vafrities, tanto Episcoporum numero, qui in Synodo proprio de nomine commemorantur, affricasse errorem, sententias illorum compinxisse, nec potuisse tamen aperte revinci eximiam hanc impostruram, ingenioli mei tarditas non assequitur.

ad 4. Quod sequitur facillimam habet expeditionem; literæ enim ad Jubajanum in tertia Synodo lectæ sunt, quoniam secundæ Synodi acta commemorant, unde & his productis facile Episcopi priorem sententiam confirmarunt, & Cypriano unanimiter adhæserunt. Nec repugnat Geminum, & Junium de re pluries discussa dixisse, *Semel decrevimus*; forte enim hi secundæ Synodo LXXI. Episcoporum, non primæ XXXI. interfuerunt: quamquam, si attente Gemini & Junii pensites verba, percipies non alium præferre sensum, quàm illos in suscepta semel sententia persistere; quod jure poterant pronuntiare, quamvis de ipsa causa fuerit semel, iterumque actitatum.

ad 5. Ad quintum dicimus, optime tertiam hanc Carthaginiensem Synodum convenire cum Epocha Stephani, si cum viris doctissimis affirmemus Lucium martyrio coronatum die 3. Martii anno 254. & Stephanum electum à Clero eodem anno die 9. Aprilis, Dominica Passionis. Imo Pagius ex libro Pontificiali, cui non repugnat Catalogus Liberianus, contendit Stephanum electum superiori anno 253. & nuperus Auctor vitæ Cypriani num. 31. scribit cum Pagio omnes satis convenire. Subscriberem his & ego, si faterentur Stephanum ordinatum à Lucio, antequam is in exilium deportaretur, ad exercendam in urbe Vicariam administrationem; quam etsi Pagius deneget, vetusta comprobant monimenta, & ipsemet Anastasius scribens in Lucio: *Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo.* Sed vel an. 253. vel sequenti Stephanum dicas inauguratum Pontificem, parum refert. Sedisse usque ad ann. 257. sive usque ad *Coss. Valer. Aug. IV. & Gallieni Aug. III.* constat ex libro Pontificiali, aliisque Catalogis vetustissimis, ex quibus emendandus Anastasius, qui sedisse scribit *usque ad Valer. III. & Gallien. II.* ad annum scilicet 255. Corruunt ergo Missorii argumenta omnia, quibus Stephanum sedisse autumat mensibus tantum quatuor. Rectius dixisset *quatuor annis*, ut habetur in Vaticano Codice 800. annorum, in altero vetustissimo ante decretum Anselmi Lucensis Episcopi, in Ms. Bibliothecæ Urbinatis, aliisque compluribus. Quod profecto, sive computando Vicariam Stephani administrationem, sive deducendo Stephani annos ab anno 253. statutæ, nobisque probatæ Epochæ adamussim convenit. At nobiscum benigne agit Cypriani vindex, & gratis concedit sedisse Stephanum usque ad annum 257. quo etiam concesso contendit Synodum Carthaginensem concurrere non posse cum Epocha Stephani, quia invictissime constat in Epistola Cypriani

priani adversus Marcianum, decursuque anteacti temporis Cyprianum inter ac Stephanum integro saltem anno, ab incepto Pontificatu nullum exortum esse dissidium, post annum vero ab Aprili ad Calendas usque Septembris, mensium quinque intervallo, ea, quæ in causa Rebaptismatis contigisse narrantur, perfici neutiquam potuisse. Quid ad hanc, qua plurimum sibi plaudit, & causam vicisse putat, novam, invictamque objectionem? Eam undique emendicatam, fractamque arbitramur. Ac principio non benigne agit Missorius, sed æquissime omnique jure, dum Stephanum sedisse ait ad annum usque 257. imo & dum se liberalem deprædicat, Stephani Pontificatum decurtat, repetens hujus initia cum Cl. Petavio, à summis & accuratis Chronologis refutato, à Cons. Valer. III. & Gall. II. anno nempe 255. cum repetendum dixerimus ab anno 254. & juxta complurium supputationem à præcedenti. Non est ergo, cur viro docto de tanta benignitate gratias agamus. Deinde magnopere miramur, quomodo vir peracutus nitatur ostendere Cyprianum per integrum saltem annum concordi fuisse animo cum Stephano ad Pontificatum evecto; cum paulo supra eam sententiam sit amplexus, sedisse Stephanum quatuor duntaxat menses. Profecto si id non est secum pugnare, aut saltem digladiari andabatarum more, probabilis erit prodigiosa quælibet antilogia. Insuper si quid evinceret totum illud Missorii ratiocinium, non everteret Synodum Carthaginensem, sed suppositam demonstraret Epistolam contra Marcianum, quam ob eandem rationem petitam è causa Rebaptizantium spuriam nituntur ostendere Joannes Gerbasius Doctor Parisiensis in dissert. de Causis majoribus cap. 8. art. 1. Launojus in dissert. de duobus Dionysiis, Joannes Fellus in sua Editione Cypriani, & Casimirus Oudinus Tom. I. de Script. Eccl. p. 276. Genuina est tamen, & habetur, quidquid Launojus scribat, in vetustissimis Mss. de quibus vide notas ad Epist. Cypriani LXVII. in Editione Maurina. Interim ad argumentum ductum ex harmonia Cypriani cum Stephano, quo Scriptores nuper citati oppugnant Epistolam Cypriani, historiamque Faustini, & quo Missorius in rem suam extorto impetit Synodum Carthaginensem, respondit Nicolaus Rigaltius: *Hujus argumenti vis cum tota pendeat ex circumstantia temporis, quo scripsit epistolam Cyprianus, Stephano per quadriennium fere in Episcopatu sedente, satis potuit esse spatii, quo nondum exarserant animi.* Hinc nota Oudinum, qui inter rejicientes Epistolam illam recenset Rigaltium, mendacem esse scriptorem. Præterea dum Missorius scribit motam quæstionem de Rebaptismate mense Aprili, postremo anno Pontificatus sancti Stephani, non advertit Afros inter se primum, quàm cum Stephano disceptasse, nec ad Romanum Pontificem scripsisse nisi post celebratam secundam Synodum Carthaginensem; quod supra significavimus agentes de Firmiliano. En, ut arbitror, argumentum Missorii satis superque revictum. Sed ne liberalitate vincamur: gratis & nos demus Stephanum sedisse quatuor duntaxat mensibus; quid inde? Præcesserant, non subsecuta sunt sancti Pontificis inaugurationem quæstionis hujus primordia. Nil absurdi, si quatuor mensium spatio, jam aliis celebratis congressibus, Cyprianus ad Stephanum scripserit, & accepto responso Synodum indixerit, literas dederit ad Pompejum, & ad Firmilianum, & paulo post celebrarit indictam Synodum. Etsi namque Carthago in Africano littore sita longe ab urbe Roma distaret, cum intersit tamen solum mare, brevi poterant à Stephano ad Cyprianum, à Cypriano ad Stephanum deferri epistolæ. Etenim Carthagine recto cursu Romam naves prætervehebantur, atque duæ hæ urbes, ut Virgilius inquit in I. Æneidum, quasi se fronte spectabant:

*Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)*
*Carthago, Italiam contra, Tiberina-que longe*
*Ostia.*

Tridui navigatione Romam Carthagine delatas recentes ficus, quas in curiam attulit Cato, ostendens quam prope à muris essent Pœni, atque ideo statutum Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est, scribunt Plinius lib. XIV. cap. 18. & in M. Catone Plutarchus. Ex ipsa Cypriani vita, cui fuerunt cum Romanis Episcopis Cornelio, Lucio, Stephano, & Xysto literarum officia, cognoscimus ejusdem navigationis facilitatem. Sed hæc ut liberales simus addita sunt: cætera nunc prosequamur.

Postremo, (nam si quæ sunt alia fundamentis disjectis & ipsa corruunt) etiam decretum Stephani Missorius aggeditur. Primo quia nihil de hoc decreto in suppositis Actis apud Surium, & Baronium, neque in Anastasio inter Stephani constitutiones, neque in Chronico Damasi. 15. Objectio 5. 1.

Deinde, quia nullo pacto fieri potuit, ut Stephanus baptizari vetuerit *à quacunq; hæresi* revertentes, cum multi hæretici in nomine Trinitatis non baptizent, 2.

Præ-

3. Præterea, quod frivolam, ineptamque rationem prætexat, videlicet, quod *nec hæretici proprie baptizent alterutrum ad se venientes*, sed communicent tantum: quasi Catholica Ecclesia normam ab hæreticis mutuetur.

4. Insuper, quia non legimus Stephani rescriptum adversus Donatistas productum, quo causa absque tanta contentione finita esset. Istis ergo argumentationibus ab errore Rebaptizantium S. Cyprianus demonstratur immunis, quod utique ad majorem ejus laudem videtur conferre.

Resp. ad 1. His respondemus nullatenus concuti, sed firmari magis sententiam veterem, si decretum Stephani expendamus. Sanctum enim Pontificem stetisse contra Rebaptizantes narrat Eusebius lib. VII. H. Ec. cap. 3. scribens: *Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.* Cur autem injurius sit in Eusebium, qui asserit insignis fabulæ esse architectum, aut Paullianistarum gratia mentitum, attulimus supra rationem aliquam, addimusque modo quæ cap. 27. ejusdem libri scribit in Paulum Samosatensem, ubi illum appellat *Gregis Dominici vastatorem*, & adversus illum *excitatos undique* ait *Pastores Ecclesiarum.* Et quod de Stephano Eusebius mandavit literis, idem postea Nicephorus lib. VI. cap. 7. universique Historici tradiderunt. Meminit decreti Stephani & Augustinus lib. V. de Baptism. cap. 23. num. 31. nec non lib. de unico Baptis. cap. XIV. n. 23. quo in loco etiam addit sententiam Stephani non solum ex literis Cypriani patescere, sed etiam ex literis *aliorum Episcoporum.* Nec arbitror Donatistas adeo fuisse stolidos, ut cum Stephanum, non absque laude commemorarent, suam de Rebaptismo sententiam ab eo comminiscerentur proscriptam, decretumque contra semetipsos delinearent, confictisque à se epistolis illud insererent. Quare & decretum verum est, & genuinæ literæ Firmiliani & Cypriani, somniumque nova commentatio Missorii. Prætermitto quæ de hoc decreto scribunt Facundus Hermianensis supra laudatus, & in I. Commonit. cap. 9. S. Vincentius Lirinensis, libellum quoque Synodicum in Collect. Conc. Labbei Tom. I. pag. 717. quem vidit etiam eruditissimus adversarius. Acta vero Stephani apud Baronium ad annum 259. num. 8. inchoantur à delatione S. Pontificis baptizantis in Crypta ad Mummium urbis Præfectum, & inde ad Imperatorem Valerianum: quamvis & ibidem num. 23. legitur: *Per cryptas martyrum missas atque concilia celebrabat.* Ex horum Conciliorum aliquo profectam dicimus Synodicam in Rebaptismа: unde Lirinensis ait Stephanum Afris rebaptizantibus restitisse, *cum cæteris collegis suis.* Etiam Anastasius inquit in Stephano, *In carcere ad arcum stellæ fecit Synodum;* & hanc Synodum adversus Rebaptizantes celebratam conjectant quamplurimi. Imo Anastasius in Melchiade 2. Volum. pag. 271. nullam commemorat Synodum adversus Donatistas, nec ullam omnino; & nihilominus vir peracutus, ut supra vidimus, Synodum istam agnoscit & urget, perspiciens optime quàm infirmum sit argumentum petitum ex silentio Anastasii. Atque idem de Chronico Damasi dictum sit.

Quod sequitur de probato à Stephano baptismate omnium hæreticorum, non solum à recentioribus Theologis Juenin, Tournelio, Habert, aliisque expunctum fuit, verum etiam à Pagio ad an. 256. num. 6. ab Antonio Charlas lib. X. de Libert. Eccl. Gallic. cap. 15. à clarissimo P. Coustant. Tom. I. Epistol. Pontif. à pag. 277. à Benedictino altero in Præf. ad Opera Cypriani §. IV. & aliis innumeris. & nos infra de hac quæstione dicemus nonnulla. ad 2.

Proximum frivolum argumentum est: non enim inquit Stephanus, Rebaptizandum non est, *quia nec hæretici rebaptizant*, sed, *Ipsi hæretici proprie non baptizant*, id est, quia baptisma non est *proprium* hæreticorum, sed Christi, nec hæretici Sacramenta *propria*, sed Sacramenta Ecclesiæ dispensant, adinstar adulteræ conferentis *munera quæ sua non sunt:* quæ utique est ratio validissima ad probandum baptismum ab hæreticis datum, eaque Augustinus utitur lib. 2. contra lit. Parmeniani cap. 2. & 7. in Epistola contra Donatistas, sive de Unit. Ecclesiæ cap. 23. in lib. III. de Bapt. cap. 19. aliisque in locis. Stephanus ergo ad antiquam traditionem confugit, non ad hæreticorum consuetudinem: tametsi absurdum non est arguere negantes unitatem Baptismatis, ex quo nec plures hæretici illam ausi sint temerare. ad 3.

Ad argumentum aliud dicimus & Stephani rescriptum contra Donatistas ab Augustino non uno in loco productum, illo autem causam non finitam *quantum ad discussionem*, quoniam publicum non erat, eique Africani reititerant, quod putarent non agi *de dogmate*, sed tantum *de disciplina:* in se tamen decreto Stephani causa Rebaptizantium & finita erat, & definita. Atque hæc de errore ad 4.

Cypriani, cujus meritis nil derogare sententiam nostram demonstratum est supra, nec aliud addimus modo, nisi *etiam primum Apostolorum Petrum potuisse aliter sapere, quam veritas postulabat, quod accidisse etiam Cypriano sine ulla ejus contumelia credimus quicunque diligimus Cyprianum, quia non eum fas est diligi majore charitate, quam Petrum.* Ita Augustinus lib. v i i. de Bapt. cap. 20.

16. Propositio 4. Stephanus tantùm ratum habuit Baptisma, in nomine Trinitatis collatum.

PROPOSITIO IV. Decreto Stephani probatum non fuit Baptisma omnium promiscue hæreticorum, sed consecratum duntaxat Evangelicis verbis, id est, in nomine Trinitatis collatum.

Hanc propositionem adversus Marcum-Antonium de Dominis, Blondellum, Vossium, Launojum, Dupinium, & Joannem Cestriensem, aliosque inconcussæ fidei Romanorum Pontificum injustos oppugnatores, commonstrant quæ sequuntur.

Prob. 1. I. Decretum Stephani, ut servatur in Epistola S. Cypriani ad Pompejum, est: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipsi hæretici proprie ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Stephanus ergo id unum volebat, ut antiqua servaretur traditio: quod etiam scribunt Eusebius lib. v i i. H. Ec. cap. 3. Hieronymus in Dialogo adv. Luciferianos, Vincentius Lirinensis lib. 1. Commonit. cap. 9. & alii. Sicut ergo antiqua Traditio probat solum baptisma *in nomine Trinitatis* collatum; ita Stephanus baptismum duntaxat istum non repetendum esse sancivit.

2. II. Neque Firmilianus, neque Cyprianus ita Stephanum interpretati sunt, quasi ratum tradiderit baptisma datum *in solo Christi nomine*, sed quasi voluerit Christi nomen prodesse baptizatis *in Trinitate*, licèt Trinitatem ipsam nequaquam crederent hi, qui baptizant. Firmilianus enim hæc de Stephano scribit ad Cyprianum: *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem: cum hæc tum utique proficiant, cum & qui baptizat habet Spiritum Sanctum, & baptisma quoque ipsum non est sine Spiritu Sancto constitutum?* Ex quibus liquido apparet litem Stephanum inter, ac Rebaptizantes non fuisse *de forma baptismatis*, sed *de fide baptizantium;* ipsumque Firmilianum fateri persuasum Stephano sufficere *nudam*, id est, absque fide, Sanctæ Trinitatis invocationem. Idem infertur ex Epistola Cypriani ad Pompejum: in qua adversus Stephanum probat, aut probare nititur baptisma hæreticorum esse nullum, quoniam *hæretici nihil aliud, quam adversarii & antichristi nominantur:* quoniam effectus baptismi solummodo tribuendum non est: *majestati nominis:* quoniam *ineptum est, ut cum nativitas secunda spiritualis sit, qua in Christo per lavacrum regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritualiter nasci, ubi spiritum negant esse:* quoniam dici nequit, *in nomine JEsu Christi remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & in Dominum Deum Christum.* Hæc aliaque multa demonstrant Cyprianum hoc unum in Stephano reprehendisse, quod S. Pontifex ratum vellet baptismum Christi, id est, *forma*, à Christo præscripta datum, tametsi baptizantes Christum Deum, aut sacrosanctam individuamque Trinitatem, aut alia fidei capita denegarent.

III. Sententia Stephani ea est, quam tradiderunt Apostoli, & modo universa tenet Ecclesia. Ergo Apostolica, inconcussa, orthodoxa. Antecedens probatur; nam S. P. Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 23. num. 31. ait Stephanum non improbasse in hæreticis *Baptisma Christi, quod in eorum perversitate integrum mansisse cognovit.* Lib. 2. contra Gaudentium Donatistam cap. v i i i. num. 8. ait: *Dic mihi utrum illo tempore Ecclesia, quando secundum vos omnium criminum reos sine baptismo recipiebat per Stephanum, & ejus innumerabiles toto orbe collegas, qui ejusdem sententiæ participes erant, malorum contagione perierat, aut non perierat?* Vincentius Lirinensis loco citato, *Intelligebat enim vir sanctus & prudens*, inquit de Stephano, *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi omnia quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet Antiquitas, explosa novitas.* Facundus Hermianensis lib. x. cap. 3. pro defens. trium Capit. scribit Cyprianum à Stephano *jure culpatum.* 3.

Et

Et contra Mocianum, *Stephani potius, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia.* Stephani itaque sententiam innumerabiles toto orbe Episcopi propugnarunt, antiqua traditio corroborat, & nunc tenet Ecclesia Christi, Atqui nunquam universa Ecclesia probavit, nec probat modo baptisma non consecratum *Evangelicis verbis.* Igitur nec tale baptismum ratum habuit beatus Stephanus.

17. Objicitur 1. Opp. I. Stephanus inquit: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos*; ergo probavit baptismum hæreticorum omnium, etiam Paullianistarum, aliorumque *in adunata Trinitate* non baptizantium.

2. II. S. Cyprianus hoc sensu decretum Stephani interpretatus est, scribens epist. 74. ad Pompejum: *A quacunque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est, omnium hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit.*

3. III. Idem Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum ait, probari à Stephano etiam baptismum Marcionis, quod hac ratione oppugnat: *Dominus post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instruxit & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite ergo, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet?* Et in præcitata ad Pompejum Epistola, *In tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Apelletis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Dei nasci, & illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & in Dominum Deum Christum.*

4. IV. Etinm S. P. Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. 14. num. 23. *Stephanus*, inquit, *baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat.* Cum vero, ait Launojus, idem Augustinus lib. III. de Baptismo cap. XV. num. 20. integrum fateatur baptismum, quod in nomine Trinitatis confertur, procul dubio sententiæ Stephani recipientis baptisma hæreticorum omnium, etiam absque invocatione Trinitatis baptizantium, se adversari, ac repugnare significat.

5. V. Ex honore, cultuque præstantiori, quo Ecclesia prosequitur Cyprianum, ut apparet ex antiquis Litaniis, ex vetusto Kalendario edito à Frontone, aliisque Ecclesiasticæ Historiæ monimentis infertur Stephanum gravius peccasse, ideoque resistens Cypriano in errorem oppositum prolapsus est: quod etiam fatetur Benedictus XII. in Responsione ad objectiones Fraticellorum.

18. Respondetur ad 1. Resp. ad primum, nego consequentiam; Stephanus enim præscribens, ut non rebaptizentur venientes *à quacunque hæresi*, sed ut servetur Apostolorum traditio, ita accipiendus est, ut nolit iterari baptismum *à quocunque*, & *ubicunque* collatum in nomine sanctissimæ Trinitatis: non enim, ut diximus, *de forma baptismatis* tunc disceptabatur, sed *de fide baptizantium.* Nec quidquam in contrarium probat ea particula, *à quocunque hæresi*; pronomen siquidem universale cum saliva accipiendum est, & in subjecta materia; modo scilicet hæretici conferant *baptismum Christi*, adhibeantque materiam & formam ab eo præscriptas. Sane Eusebius lib. VII. cap. 2. pag. 251. de controversia ætate Stephani excitata scribit: *Per id tempus non mediocris controversia exorta est, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur baptismo purgari oporteret; quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominis sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur:* nec tamen dixeris id moris servatum in recipiendis hæreticis, *in adunata Trinitate* non baptizatis. Similiter S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos Tom. IV. pag. 305. *Quod si negandum quispiam putaverit hæreticos à majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de hæreticis rebaptizandis edidit; & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri, à Julio, Marco, Sylvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos.* En & Hieronymus sola manuum impositione, & sine Rebaptismo ait recipi *omnes hæreticos*; quod tamen paulo infra negat de Pauli Samosateni discipulis, tingentibus absque invocatione Trinitatis, subjiciens: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Etiam S. P. Augustinus lib. V. de Baptismo cap. 5. num. 6. ait, *Homines occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterum baptismum accipiat, quem ubicunque jam acceperat:* nec tamen aliquem fore arbitror, qui dicat probatum hoc loci ab Augustino baptismum apud Paullianistas receptum.

ad 2. Ad secundum dicimus Cyprianum, utpote existimantem singulas hæreses proprium habere baptismum, ex quo Stephanus *Baptismum Christi* à quocunque hæretico datum probaverit, intulisse probatum quoque à sancto Pontifice baptismum hæreticorum illorum, qui non baptizant in Trinitate, quoniam in sententia Cypriani sicuti penes neminem hæreticorum est vera fides, ita penes neminem hæreticorum est verum baptisma.

ad 3. Ad tertium respondet Antonius Charlas, & cum eo quidam Scholasticorum recentiorum, Marcionem, Valentinum, & alios hæreticos, quorum baptisma probatum à Stephano narrant Firmilianus, & Cyprianus, baptizasse *in nomine Trinitatis*: quam responsionem probant, quoniam Augustinus lib. VI. de Bapt. cap. 25. scribit, *facilius inveniri hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui verbis Evangelicis non baptizent.* Et quidem stare potest, ut hæretici *in Trinitate* baptizent, etiamsi non credant Trinitatem esse unam substantiam, aut tres distinctas personas; quemadmodum baptizant *in nomine Christi*, tametsi non credant Christum esse simul verum Deum, verumque hominem. Verum huic responsioni undequaque non subscribo; nam complures hæreticos *formam* baptismatis temerasse, licet pauci id facerent ætate Augustini, certissimis testimoniis ostendi cap. VIII. prop. 3. Marcionitas vero olim rebaptizatos, nec debita *forma* tinctos, constat ex Timotheo presbytero apud Balsamonem pag. 1050. Cypriani ergo sensus est, eo prorumpere sententiam Stephani, ut credat *baptismum Christi*, id est, *in nomine Trinitatis* collatum remittere peccata, etiamsi baptizent hæretici, Marcionis, Valentini, Basilidis, aut cujusvis hæresiarchæ discipuli, Christum etiam, aut Trinitatem blasphemantes, non instituendo quæstionem, an hi hæretici, aut illi debitam adhiberent *formam*, quia apud quemcunque hæreticum ipse Cyprianus putabat illegitimum fore baptismum, qualicunque formula datum; sed culpando Stephanum quod crederet *nudam invocationem Trinitatis* prodesse absque fide baptizantium. Qua in re (cum debita in Cyprianum reverentia dictum volo) non videtur assecutus sententiam Stephani. Nunquam enim is docuit baptizantes hæreticos dare Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, & spiritalem regenerationem à se baptizatis, quemadmodum Stephanum interpretantur Firmilianus & Cyprianus; sed tantum ait baptizatos ab hæreticis iterum non esse tingendos, quoniam hæretici non *proprium* baptismum tribuunt, sed *Christi:* atque apud illos Ecclesia sibi parturit filios, si non *ex utero suo*, quemadmodum parit regeneratos in Catholica communione, saltem extra se, atque *ex semine viri sui*; ut præclaro exemplo filiorum Jacob, qui ei nati sunt ex ancillis, explicat Augustinus lib. I. de Baptismo cap. X. n. 14. Dicam brevi, Stephanus de *charactere* baptismatis, non de *gratia* loquebatur, nec eum latebat nefarium esse extra Catholicam baptizari; nisi à culpa aut bona fides excusset, aut ætas. Adde, quantum spectat ad Epistolam Jubajani, nullam in ea factam mentionem Stephani, quamquam id affirment Pamelius & Baronius, sed *cujusdam*, quem Cyprianus nequaquam nominat: nec credimus Stephanum scribentem adversus Cyprianum, Jubajano, non ipsi Cypriano dedisse literas; quod & Alexander Natalis, & alii observarunt.

ad 4. Quartum argumentum primo retorquetur in Launojum: siquidem per Augustinum in eodem Opere de Baptismo lib. I. cap. 23. Stephanus in hæreticis probavit baptisma Christi, *quod in eorum perversitate integrum manisse cognovit.* Sed per Augustinum, asserente etiam Launojo, *integrum* non est baptisma, nisi *consecratum Evangelicis verbis*, id est, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, ex lib. III. de Bapt. cap. 15. Ergo Stephanus ejusmodi duntaxat baptisma in hæreticis legitimum judicavit. Deinde respondeo, juxta Augustinum illud tantum dici *baptisma Christi*, quod Christum habet auctorem, quod datur secundum Evangelium, quod consecratur invocato nomine Trinitatis. Ita S. Pater lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 24. num. 57. lib. de unico Bapt. cap. 8. num. 13. & epist contra Donatistas, sive de unit. Eccles. cap. 23. num. 65. Itaque verissimum est, Stephanum judicasse *in nullo* iterandum *baptisma Christi*, quia in nullo iterandum censuit baptisma datum juxta Christi institutionem, & in nomine Trinitatis. Postremum argumentum nimis est futile: majorem siquidem venerationem Cypriano illustrior sanctitatis fama, non sanior doctrina comparavit; ut recte Natalis Alexander differt. XIV. 3. sæculi, & Pagius ad annum 256. num. VIII. scribunt sententiis, verbisque iisdem. Lucii quoque, Melchiadis, Aniceti, aliorumque memoria minori celebritate recolitur, nec tamen hos dixeris errore aliquo imbutos. Responsiones autem

Benedicti

Benedicti XII. insertæ Directorio inquisitorum à Nicolao Eymerico, fuerunt conscriptæ anno 1330. cum ille adhuc Cardinalis esset; & apud Bzovium in Annal. non præseferunt titulum Benedicti, sed Jacobi Fornerii Cardinalis, quia nimirum ita Fornerius inconsiderate de Stephano pronuntiavit, priusquam, conscenderet Petri Cathedram.

19. Propositio 5. Stephanus nec Cyprianum, nec Firmilianum excommunicávit.

PROPOSITIO V. Stephanus neque Cyprianum, neque Firmilianum ob errorem Rebaptizantium à sui communione removit.

Hanc thesim juniores fere omnes propugnant, inter quos Nat. Alexander differt. XII. seculi 3. Pagius ad annum 256. num. 12. H. Valesius Annot. ad VII. libri Eusebii cap. 5. atque viri de Re Sacramentaria optime meriti, Juenin, Tournely, Habert, Ledroin, alii: sed quoniam Baronius ad annum 258. num. 45. Joannes Cabassutius in Notitia Concil. cap. 4. Lupus noster tom. 1. in Can. Concil. pag. vet. edit. 243. aliique perpauci affirmant disparem esse causam de Cyprianо, & de Firmiliano; de utroque agendum est singillatim. Ergo in Cyprianum intortum nequaquam fuisse anathematis fulmen, probatur primo; etenim nullus veterum latæ in Cyprianum excommunicationis meminit, sed affirmant tantummodo, Stephanum Cypriano, aliisque excommunicationem fuisse comminatum. Videsis Eusebium lib. VII. cap. 3. & 5. pag 252. Vincentium Lirinensem Com. 1. cap. 9. pag. 18. Facundum Herm. adversus Mocianum pag. 577. Imo haud obscure innuunt Stephanum provide à ferenda anathematis sententia abstinuisse. Eusebius enim eo loci narrat S. Dionysium Alexandrinum se per literas sequestrum fecisse apud Stephanum, ne excommunicaret rebaptizantes; quod dicam paulo infra pertractans de Firmiliano.

Prob. 1ma Pars de Cypriano. 1.

2. II. S. Pater Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 25. num. 35. ait: *Stephanus autem etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conaverentur: iste autem* (id est Cyprianus) *quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignaretur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.* Lib. VI. cap. 1. *Ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus salva charitate atque unitate altercantibus discutiebatur.* Et lib. de unico baptismo cap. XIV. num. 23. ita Donatistas Augustinus perstringit: *Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet, & Charthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti; quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi, vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt* (Donatistæ) *& unde causam suæ separationis asserere, vel excusare conantur, in una communione Sacramentorum mali maculant bonos, & ideo corporali disjunctione à malorum contagione recedendum est, ne omnes pariter pereant; jam tunc Stephani & Cypriani temporibus periisse Ecclesiam confitendum est, nec aliquam posteris derelictam, ubi Donatus ipse spiritualiter nasceretur.* Eandem unitatem commendat idem Cyprianus in fine Epistolæ 73. ad Jubajanum, laudantque in Carthaginensi tertia Synodo Episcopi alii Africani. Profecto si hi à Stephano fuissent excommunicatione separati; falso à se teneri unitatem jactassent, & falso Augustinus scripsisset vicisse in hac controversia *pacem Christi*, discussamque causam istam *salva charitate atque unitate.* Inepte quoque, ac pueriliter disputasset Augustinus postremo loco adversus Donatistas, si Stephanum inter ac Cyprianum servata non esset *communio Sacramentorum.*

3. III. Ex vita S. Cypriani à Pontio conscripta apud Ruinart in Actis Martyrum pag. 185. constat Xystum Romanum Pontificem Stephani successorem literas ad Cyprianum dedisse paulo ante utriusque martyrium, id est, Cos. Tusco, & Basso, sive anno 258. quod invictissimum argumentum est intercessisse tunc temporis Cyprianum inter, Romanumque Pontificem communionem, atque unitatem, adeoque non latam in Cyprianum sententiam excommunicationis, aut certissime revocatam. Hæc de Cypriano.

20. Prob. 2da Pars de Firmiliano. 1.

De Firmiliano vero primum constat Dionysium Alexandrinum Stephanum à sententia excommunicandi Orientales Rebaptizantes officiosis literis removisse, interposita quoque opera Dionysii, & Philemonis presbyterorum. Vide Epistolam ejusdem Dionysii Alexandrini ad Xystum lib. VII. H. Eccl. Eusebii cap. 5.

pag. edit. Valesii 252. Ibidem nota de Dionysio & Philemone presbyteris scriptum à Magno Dionysio & Philemone presbyteris scriptum à Magno Dionysio, συμψήφοις πρότερον Στεφάνῳ γενομένοις, *qui prius idem cum Stephano senserant*; ex quo loco Joannes Launojus infert hos presbyteros in Cypriani concessisse sententiam. Sed perabsurde; non enim de dogmate, sed de excommunicandis Rebaptizantibus loquitur ibidem S. Dionysius, laudans presbyterorum istorum operam, qui irritatum animum Stephani flexerint ad lenitatem: quod & animadvertit in vita Cypriani §. xxx. accuratissimus Monachus S. Mauri.

2. II. Probant hanc thesim Pagius, Alexander, & alii ex quo Firmilianum æque ac Dionysium Antiocheni Patres in Epistola Synodica anno 269. appellaverint *beatæ recordationis virum*, illumque Ecclesia Græca die 28. Octobris in Sanctorum Fastos retulerit (quamquam Firmiliani nomen inscriptum non sit Græcorum Menologio typis Urbinatibus cuso opera Cardinalis Albani,) & ex quo Firmilianus adfuerit duobus Antiochenis Conciliis celebratis adversus Paulum Samosatensem anno 265. & 269.

3. III. Ut his argumentis, quæ trita & communia sunt, addamus & nostra, principio si Stephanus Firmiliano dixisset *anathema*; videtur nobis eadem excommunicatione illigandum fuisse, imo & illigatum etiam S. Cyprianum: tum quia dum aliquod dogma proscribitur lata in assertores excommunicationis sententia, ferit hæc omnes, & qualescunque propugnantes idem dogma: tum etiam quis communi Ecclesiæ praxi, phrasique judicialium definitionum antiquissima, auctores omnes, cujuscunque conditionis existant, in damnatis assertionibus, universali potius, quam speciali appellatione interdum solent comprehendi, & solum hæretici pervicaciores, atque signiferi nominantur, nunquam sequacibus à pœna post latam sententiam immunibus. Neque vero Rebaptismum à Firmiliano primum dixeris contra avitam traditionem invectum, cum id attentarit prædecessor Cypriani Aggrippinum *cœpisse corrigi*. Vide Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. VII. num. 12. Aut nullos itaque, aut Orientales, simul & Africanos, aut Africanos potius, quam Orientales, æquissimus ac sanctissimus Pontifex privavit Ecclesiastica communione.

4. IV. Augustinus, ut dictum supra, scribit agitatam quæstionem de Rebaptismo, *salva pace, unitate, & Sacramentorum communione.* Vide lib. 1. de Bapt. cap. 7. lib. v. cap. 5. lib. VI. cap. 1. lib. de unico baptismo cap. 15. &c. Nec affirmari potest servatam unitatem tantum in Africa, quoniam & Augustinus loquitur generali assertione, & si alicubi communio fuisset discissa, infirmo telo petisset Donatistas; ac denique tum Africanos, tum Orientales comprehendit priori loco citato, scribens: *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis concilio quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.*

5. V. Idem S. Pater de unico baptismo cap. XXV. inquit; *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani literæ ostendunt, &c.* Quinam erant alii Episcopi, præter Cyprianum, qui literis mandarunt voluisse Stephanum anathemate in Rebaptizantes animadvertere, nisi forte aut Firmilianus, aut Dionysius? Igitur tam ex Cypriani, quàm ex Orientalium literis istud unum colligimus, Stephanum *censuisse* quidem *excommunicandos* esse Rebaptizantes, eos autem nequaquam excommunicasse.

21. Objectio 1. Opp. 1. Augustinus citato libro de unico baptismo cap. 14. post verba nuper producta ait: *Tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Similia de Firmiliano non leges.

2. II. Ipse Firmilianus in Epistola inter Cyprianicas LXXV. aperte se à Stephano excommunicatum fuisse testatur, scribit enim pag. 310. novæ edit. Stephanum *cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, abscindere se à charitatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere.*

3. III. Narrat eo loci Firmilianus, à Stephano legatos Episcopos *nec ad sermonem colloquii communis fuisse admissos*, ac præcepisse illum *fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.*

4. IV. Testatur paulo supra Firmilianus pag. 204. jam pridem à se explosum hæreticorum baptisma *in Iconio, qui Phrygiæ locus est*, collecta Synodo: quare merito in ipsum, tanquam in erroris auctorem Romanus Pontifex animadvertit.

V. Etiam

5. V. Etiam Cyprianus in Epistola ad Pompejum pag. 293. Stephanum tanquam rumpentem unitatem his verbis vellicat, *Ille utique unitatis oblitus mendacia & contagia prophanæ tinctionis usurpat:* & infra pag. 296. *Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens hæreses contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus & inimicus Christianorum Sacerdotes Dei veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat?* Ex quibus verbis potest colligi etiam Cyprianum excommunicatum fuisse à Stephano.

22. Responsio ad primum. Resp. ad primum, singillatim ab Augustino ibidem commemorari Cyprianum, quoniam probat permansisse in Africa Ecclesiam, servatamque Sacramentorum communionem ex quo hæc viguerit usque ad tempora Cæciliani & Majorini: hanc tamen unitatem etiam extra Africam cum Rebaptizantibus custoditam Augustinus aliis in locis affirmat, & in argumentatione, qua urget hoc in loco Donatistas, manifesto supponit.

Ad secundum. Ad secundum respondemus verba Firmiliani, etsi rem magnopere exaggerant, nullum exhibere prolatæ à Stephano excommunicationis indicium, ut observant in Notis ad Eusebium pag. 141. Valesius, & Pagius ad annum 256. n. XII. De dissentione doctrinæ, seu disceptatione loquitur Firmilianus. Verum enim vero pag. 303. Cyprianum alloquens inquit: *Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, &c.* & nihilominus juxta Baronium, cujus est hæc argumentatio ad an. 258. num. XVI. Cyprianus à Stephano excommunicatus non fuit. Scribens idem Firmilianus pag 310. Stephanum *cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis,* commonstrat loqui se oratorum more: nam si revera Stephanus Afros, & Orientales excommunicasset, non *vario discordiæ genere*, sed uno, eodemque pacto pacem fregisset.

Ad tertium. Ad tertium dicimus in hoc etiam falli Baronium, quod velit legatos, de quibus Firmilianus, missos ab Orientalibus communione privatis, cum apertum sit eosdem legatos fuisse Africanos, ac missos, ut supra diximus, post Synodum Carthaginensem secundam; verba enim Firmiliani sunt, *Modo vobiscum, qui in meridie estis, à quibus legatos Episcopos, patienter sane & leniter susceptit, &c.* Vides missos legatos ab iis, qui *in meridie* sunt, scilicet ab Africanis? Supra etiam scripserat Firmilianus per Stephani *inhumanitatem effectum, ut fidei & sapientiæ* Afrorum caperet *experimentum.* Appellat ergo *inhumanitatem*, quod cum Afris Romæ factum acceperat à Rogatiano. Si quid igitur evinceret argumentatio ista, probaret Africanos, non Orientales excommunicatos à Stephano. At nec istud evincit; nam Firmilianus conceptis quidem verbis negat legatos *ad colloquium* admissos, sed quod attinet *ad tectum & hospitium*, exprobrat minas tantum & jussa, non rem ipsam; quod nempe Stephanum linire studuerint Philemon ac Dionysius, ut acute expendit Auctor vitæ Cypriani num. XXX. & ex Epistola Cypriani ad Pompejum conjecerat antea Valesius. Quamobrem Stephanus quod præconceperat animo, non mandavit executioni.

Ad quartum. Ad quartum ex dictis constat, ante Iconiensem Synodum, invectum Rebaptismum à Carthaginensi sub Agrippino.

Ad quintum. Ad ultimum dico, ea Cypriani verba, *Unitatis oblitus, &c.* unitatem significare *baptismatis*, non unitatem *communionis:* quod ex eodem textu manifestum est; ait quippe Cyprianus: *Et cum singulæ hæreses singula baptismata, & diversa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans universorum delicta in sinum suum coacervata congessit. Et præcepit nihil aliud innovari nisi quod traditum est; quasi is innovet, qui unitatem tenens unum baptisma uni Ecclesiæ vindicat, & non ille utique, qui unitatis oblitus mendacia & contagia profanæ tinctionis usurpat.* Ex altero autem testimonio solum concluditur Stephanum *putasse* excommunicandos, non actu excommunicasse Rebaptizantes, quod verbis Augustini de Unico Baptismo, necnon Eusebio, Vincentio Lirinensi, Facundo, aliisque magnopere est consentaneum.

23. Propositio 6. Incertum est, an Cyprianus & Firmilianus recesserint ab errore rebaptizandi. Prob. 1.

PROPOSITIO IV. Non est certum, quod Cyprianus aut Firmilianus à propria de Rebaptizandis hæreticis sententia recesserint.

Probatur 1. Nam post receptum Stephani decretum S. Cyprianus non acquievit, sed illud oppugnare studuit scribens ad Pompejum, & ad Firmilianum, tertiamque Synodum Carthaginensem indicens pro recepta in Africa novitate stabilienda & confirmanda. Post tertiam autem illam Synodum persecutione exorta aliò animum S. Martyris charitas & sollicitudo distraxit. Etiam Firmilianus in Stephanum plura iratus effudit, & quæ commonstrant ejus

ejus in propugnanda priori sententia firmitudinem, & contentionem acerrimam.

2. II. Post Cypriani martyrium fuerunt in Africa Rebaptizantes, & Donatistæ quarto vertente sæculo, qui sese S. Martyris exemplo & auctoritate nitebantur defendere. In Cappadocia pariter usque ad tempora Magni Basilii, & centum saltem annorum intervallo obtinuit Rebaptisma, cum Rebaptizantibus accesserit ipse quoque Basilius, Cypriani ac Firmiliani, ut in Epist. Canonica testatur, vestigiis insistens.

3. III. Quamvis Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 4. & in Epist. 93. ad Vincentium Rogatistam scribat fortasse *tam sanctam, & tam pacatam* Cypriani *animam* tandem veritati cessisse, fatetur tamen non posse id certissime asseri, quoniam revera *correxisse istam sententiam non invenitur.*

4. IV. Animadverti supra, & inferius repetam, Cyprianum ac Firmilianum in hoc deceptos, quod crederent tribui à Stephano hæreticorum baptismati *remissam peccatorum*, & conferri Spiritum Sanctum cuique etiam in hæresi permanenti; qua falsa opinione sanctorum virorum menti inhærente, videntur mihi, ut explicabo, digni aliqua excusatione, si Romano Pontifici obstiterint; eademque opinione permanente vero non est simile palinodiam cantasse, & ex prava intelligentia sententiæ Stephani in errorem nefarium, absurdissimumque fuisse delapsos.

24. Objectio. Oppones: Orientales omnes ad concordiam rediisse scribit Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Stephanum apud Eusebium lib. VII. H. E. cap. 5. Ipsos Orientales rescidisse judicium, *quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere*, inquit Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 2. De Africanis etiam scribit Hieronymus adversus Luciferianos, *ad antiquam consuetudinem revolutos novum emisisse decretum.*

Responsio. Resp. Dionysium in ea Epistola, quam Juenin aliique male consignant anno 259. cum ante biennium Stephanus coronatus sit martyrio, aperte loqui de unitate, ad quam reversæ sunt *cunctæ per Orientem, & ulterius positæ Ecclesiæ, quæ prius erant discissæ*, ideoque de compresso schismate Novatiano, quod omnes fere Ecclesias turbaverat, non de controversia baptismatis, quæ nec attulerat discissionem, nec ante magni Basilii ætatem fuerat finita. Idem Eusebius paulo supra ait Dionysium ad Stephanum literas conscripsisse, quibus certiorem ipsum fecerat, Ecclesias omnes *mollito jam persecutionis furore, Novati turbulentam novitatem detestantes inter se pacem iniisse.* At Augustinus Cresconium Grammaticum ex suis principiis revincit: cum enim Donatistæ redarguerentur ab Augustino, quod ab Orientalium communione se discrevissent, & Donatistæ reponerent, factum id, quoniam Orientales judicium rescinderant quo statuerant Rebaptisma; valide insurgit Augustinus, debuisse majores Donatistarum, & separationis hujus auctores cum Orientalibus etiam diversa sentientibus tenere communionis unitatem, quemadmodum in suis literis fecisse legimus Cyprianum; aut ipsos Orientales imitari, qui retractantes sententiam contra tot millia Episcoporum, quibus displicuit in toto orbe, judicium suum non rescidisse dicendi erant, sed correxisse. Hæc fusiori stylo Augustinus: quamquam si dicamus eo temporis Orientales communi adhæsisse sententiæ, quod utique verum est, non idem est asserendum de Firmiliano, decursuque sæculi præcedentis. Ad testimonium Hieronymi respondet Turnelius, aliquos Africanos Episcopos, qui Concilio Arelatensi primo interfuerunt, at non Cyprianum, sententiam retractasse: quod non probo, nam tertia Synodus Carthaginensis aut anno 256. aut anno proximo celebrata est, Synodus autem Arelatensis anno 314. quo Episcopi prioris Synodi decesserant, aut saltem decrepita senectute laborabant. Episcopi insuper Afri, qui interfuerunt Arelatensi Concilio, sunt Cæcilianus Carthaginensis, Lampadius de Utina, Victor Uticensis, Faustus Tuburbitanus, & ex Numidia Victor de Civitate Legis volumini, Tom. 1. Concil. Harduini pag. 267. At Carthaginensi Synodo interfuerunt è Carthagine Cyprianus, ex Utina Felix, ex Utica Aurelius, à Tuburbo Sedatus, & ex Numidia Victor Octavensis, non Victor Legensis. Vide eodem volumine pag. 159. Alii ergo respondent Hieronymum asserere, quod ignoravit Augustinus degens in Africa, neque illum posteritati commentaria aliqua commendasse, ubi id legerit: quod est Hieronymum officiose dimittere. Nos arbitramur dici à Hieronymo *illos ipsos* Episcopos habita Ecclesiarum, non personarum ratione; loquitur enim de traditione Majorum, quam pullulantes quandoque errores supprimere nequeunt, plurimis semper contra novitatem pugnantibus.

PROPO-

25. Propositio 7. Multa excusant rebaptizantes & Sanctum Cyprianum.

PROPOSITIO VII. Multa sunt, quæ Rebaptizantium, & præsertim Sancti Cypriani excusant errorem, maxime ante Stephani Papæ decretum.

Quamvis id supra propositione tertia significaverim; exigunt tamen egregia merita Cypriani, ut hoc in loco idem persequar argumentum.

1. I. Facit ergo primum ad excusationem Martyris præclarissimi, quod etsi pugnabat adversus antiquam traditionem; non erat ea traditio ex earum genere, quas omnium auribus quotidiana prædicatio inculcat: nec ipse Cyprianus novam induxerat consuetudinem, sed ejus decessor *Agrippinus*, & *nonnulli per Africam Coepiscopi, etiam per Concilii sententias*, majorum traditionem deserere ausi fuerant; quod nisi præstitissent, nec adversus eam *tam sancta Anima ratiocinari ausa esset*. Vide Aug. lib. 2. de Baptismo cap. VIII. num. 13.

2. II. Deinde non ipse solus Rebaptismum propugnabat, sed *cum eo consenserant octoginta ferme antistites Afri*, &, si nonnulli contrariam consuetudinem opponebant, non afferebant tamen ejusdem consuetudinis tales defensiones, *quibus illa talis Anima moveretur*, ex Augustino ibidem, & lib. 1. de Baptismo cap. cap. XVIII. num. 28.

3. III. Præterea rationibus à Cypriano adductis talis verisimilitudo, splendorisque vis inerat, ut ipsemet Augustinus affirmarit, se quoque in ea sententia nutaturum, nisi firmatus esset *Ecclesiæ concordissima auctoritate*, lib. 2. de Baptismo cap. IV. num. 5.

4. IV. Insuper nunquam Cyprianus ob doctrinæ suæ defensionem deseruit unitatem, nec pacis vinculum rupit, ut omni jure S. P. Augustinus illius auctoritate atque exemplo exagitaverit Donatistas, lib. 1. de Baptismo cap. XVIII. num. 27. lib. 2. cap. V. num. 6. lib. 3. cap. XIX. num: 26. lib. IV. cap. 8. num. 11. Epistola 93. num. 15. 37. 42. lib. 2. contra Cresconium cap. 33. & seqq. nec verbis tantum, re quoque, & opere Cyprianum servasse unitatem ostendit ejus Epistola 82. ad Successum, & quod in ejus vita narrat Pontius de literarum commercio cum Xysto.

5. V. Rursus nondum *eliquata veritate*, maluit Cyprianus prædecessorum suorum inventa defendere, quàm inquirendo amplius laborare, quasi fessus acquiescens *in lectulo auctoritatis*, ex Augustino lib. 2. de Baptismo cap. VIII. num. 13. & licet magnam adhibuerit diligentiam, at non summam perfectamque rei inquisitionem, ideoque laborarit ignorantia *vincibili*; quia nihilominus nulla lege ad majorem diligentiam adhibendam obstringebatur, ipsa ignorantia immunem illum reddebat à culpa, ut de sanctis viris Semipelagianismo imbutis disputat in scrupulis Anonymi evulsis & eradicatis Tom. III. pag. 971. vir summus Norisius.

6. VI. Denique post Stephani rescriptum, ad Cypriani excusationem plurimum valere arbitror, quod in hac quæstione nondum satis distinctum esset inter usum & effectum Baptismi: quare Cyprianus, aliique Rebaptizantes putabant Stephanum tradere veram apud hæreticos *remissionem peccatorum*, & consecutionem salutis *extra unitatem Ecclesiæ*: quod mirum est accuratiores Theologos non observasse. Sanctus enim Cyprianus in Epistolis de Rebaptizandis hæreticis in id toto nisu incumbit, ut accitis undique Scripturarum locis demonstret apud hæreticos neminem posse consequi remissionem peccatorum, quia non est ibi fides, Spiritus Sanctus, & immaculata Agni sponsa: & præsertim scribens adversus Stephanum, hunc, eique consentientes redarguit, quod *effectum baptismi majestati nominis tribuant*, affirmatque *baptizati apud hæreticos non posse Christum induere, & multo magis Spiritum Sanctum, quem Christus misit, accipere*: hæresim, quæ Christi sponsa non est, *nec purgari posse, nec sanctificari lavacro ejus*, ac multa his similia, & in eundem finem spectantia. Firmilianus quoque reprehendit in Stephano, quod contenderet *remissionem peccatorum & secundam nativitatem* ex hæreticorum baptismo procedere, ut constat ex illius epistola ad Cyprianum. Audiatur Augustinus initio libri sexti de Baptismo: *Nec ob aliud illis temporibus, quando ista quæstio contra utilem consuetudinem disputationibus salva charitate atque unitate altercantibus discutiebatur, visum est quibusdam etiam egregiis viris antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti: & quia ejus effectus, atque usus in liberatione à peccatis & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.* Ex his concludendum censeo, quod si Cyprianus potuisset cum Stephano congredi, & percepisset S. Pontificem distinguere characterem baptismatis à gratia, nec asserere hæreticorum baptismate purgari hæresim, aut peccatum baptizatorum

permanentium in hæresi, facile Stephano consensisset; nam venientes ab hæreticis ad Ecclesiam Catholicam, quamvis non rebaptizatos gratiam consequi *propter unitatem Ecclesiæ* idem Cyprianus non denegavit. Vide Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. XIV. Ex non accurata itaque explicatione sententiæ tam gravis controversia manavit.

26. Propositio 7. Ex facto Cypriani non labefactatur Romanorum PP. Judicium irreformabile &c. Explicatur Status Controversiæ.

PROPOSITIO VIII. Ex quo beatissimus Cyprianus decreto sancti Stephani obluctatus sit, nequit inde labefactari Romanorum Pontificum in rebus fidei, vel morum, judicium irreformabile.

Quoniam ex facto Cypriani non solum heterodoxi, verum etiam nonnulli Parisienses Theologi nituntur ostendere, in rebus plane non discussis judicium summi Pontificis non esse firmissimum, nec habendum esse irreformabile, nisi Ecclesiæ, aliorumque Episcoporum accedente consensu, Missorius autem hinc etiam, ne lædatur Romani Pontificis auctoritas, à se fabricatæ suppositionis quædam proferat munimenta; ostendam hoc in loco, quantum ponderis habeant productæ ex tam celebri disceptatione inter Cyprianum ac Stephanum ratiocinationes adversus Apostolicæ cathedræ firmitatem. Ac primum certissimum est, Cyprianum ante exortam de Rebaptismo controversiam & cum Stephano dissensionem, non uno in loco Romano Pontifici debitum honorem detulisse; siquidem in Epistola 52. ad Antonianum scribit eum, qui non communicat cum Romano Pontifice, *nec communicare cum Ecclesia Catholica:* Epist. 55. ad Cornelium in eo agnoscit *Petri cathedram, & unitatem Sacerdotii:* Epist. 67. ad Stephanum hujus auctoritatem implorat, oratque ut scribat in Arelatensem provinciam, *ut abstento Marciano alius in locum ejus substituatur;* & Epistola 69. ad Florentium Pupinianum, docet oriri schismata & hæreses, *dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur*, ubi de Romano utique Pontifice instituit sermonem. Hinc Antonius Charlas lib. x. de libert. Eccles. Gallicanæ cap. x. & P. Joseph. Augustinus Orsi de Auctor. Rom. Pontif. cap. 3. contendunt ad hæc potius, quæ pacato animo edidit Cyprianus, quàm ad ea, quæ scripsit disputationis fervore commotus, esse attendendum. Verum cum soli hæretici denegent Romani Pontificis primatum, ejusque communionem floccifaciant; at Meldensis Episcopus Jacobus Bossuet p. 2. Defens. declarat. Cler. Gallicani lib. XIV. cap. 2. aliique Galliarum Theologi fateantur primatum Pontificis, ejusque cathedrâ nullam esse augustiorem & altiorem, tenendam cum illo communionem, & nisi gravissimæ emergant difficultates, ei quoque ab omnibus obtemperandum; nos præcitatis Cypriani testimoniis, utimur tantum ad revincendos hæreticos, qui ex Cypriano probare nituntur Romanum Pontificem esse urbicum Episcopum, nullâ extra Romanam provinciam præditum auctoritate, ut præ cæteris jactant Vossius, Fellus, & Goulartius. Contra defensores autem declarationis Cleri Gallicani id unum illinc inferimus, Cyprianum nullatenus pertimescentem intentatum à Stephano anathema, adversus, illum cogentem Synodos, nullumque inspicientem periculum schismatis, aut alium à se videri, aut causam hanc non adeo gravem, ut adversarii arbitrantur, existimasse.

27. Cyprianus existimavit quæstionem Rebaptismatis spectare ad meram disciplinam non ad fidei decreta.

Censeo itaque eo temporis, quo apud quosdam orthodoxos Patres obtinuit opinio rebaptismatis, hanc ad disciplinam, non ad fidei decreta retulisse Cyprianum, ejusque collegas. Negant id quidem complures, inter quos Ludovicus Habert Tom. v. pag. 97. Auctor Operis de Re Sacrament. lib. 1. q. 6. §. 4. & Jacobus Bossuet lib. XIV. cap. 7. & 8. sed probatur nihilominus ea sententia Theologis præclarissimis, inter quos è Gallis connumerantur Natalis Alexander differt 12. sæculi 3. art. 4. Jo. Claudius Somier in Hist. Dogm. S. Sedis lib. 2. cap. 8. Matthæus Petitdidier de Rom. Pontif. cap. 6. Gaspar Juenin differt. 2. de Baptismo q. 6. art. 3. §. 3. Jacobus Hyacinthus Serry de Rom. Pontif. falli & fallere nescio cap. 8. Honoratus Tournely in Prælect. ad Sacr. in genere q. 7. art. 2. aliique permulti. His vero nec repugnat Pontificiæ auctoritatis infensus hostis, & apostata Casimirus Oudinus de Scriptorib. Eccles. Tom. 1. pag. 269. In hanc sententiam principio me trahunt pervulgata argumenta, quæ promuntur ex ipsis Epistolis Cypriani. Hic enim in Epistola ad Jubajanum ait: *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum quod putaverit faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem.* In Epistola ad Stephanum: *Cæterum scimus quosdam quod semel*

Probatur 1.

*semel imbiberint nolle deponere nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se simul sint usurpata retinere: qua in re nec nos vim cuipiam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesia administratione voluntatis suæ arbitrium unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Nec aliter loquuntur Episcopi alii Africani in Præfatione Concilii tertii Carthaginensis. Cyprianus ergo, ac Rebaptizantes alii existimabant quæstionem illam ad meram disciplinam pertinere; aliàs non solum Domini judicium, sed etiam Ecclesiasticum formidassent, nec cum adversariis pacis vinculum & concordiam servassent, nec denique asseruissent habere unumquemque Episcoporum in istiusmodi rebus propriæ voluntatis arbitrium.

Resp. Auctor de re Sacram. Tom. 1. pag. 82. noluisse Doctorem humillimum legem alicui præscribere, ideoque communionem cum adversariis servasse, quod veritas nondum discussa esset & eliquata, sed tali difficultate involuta, ut liberum esset unicuique in re universalis Ecclesiæ supremo judicio non definita sententiam suam propugnare; quod apertissime docet Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 17. Equidem hoc asserere Augustinum, imo & affirmare Concilii plenarii auctoritate controversiam hanc eliquatam ac finitam, concedimus: ipsum autem Augustinum loqui de quæstionibus fidei, negamus. At de hoc infra. Interim si Auctor iste contendat, fas esse re non discussa *plenaria in Synodo*, ut Augustinus ait, invicem disceptare, etiamsi judicium tulerit Romanus Pontifex; nil aliud affirmabit, quàm in gravi dissensione idoneum non esse ad causam finiendam Romanum Pontificem, ut tenet Bossuet iisdem Augustini testimoniis productis citato lib. XIV. cap. 2. Si autem id affirmet non accedente definitione Pontificis, adeo, ut sentiat Stephani decretum non fuisse *ex Cathedra*, omnique latum auctoritate, quod Bossuetius negat proximo cap. 6. & seq. jam ex facto Cypriani nil adversarii concludent adversus supremam in definiendis rebus fidei auctoritatem Pontificis. Atque nos utraque in parte à Bossuetio, cæterisque Declarationis Cleri Gallicani defensoribus dissentimus, negantes judicium Stephani fuisse definitivum, atque, ut inquiunt, *ex cathedra;* & judicium Pontificis *irreformabile* non esse in omnibus, etiam gravissimis, fidei quæstionibus. Profecto Cyprianus ait omnes Episcopos habere libertatem faciendi quidquid libuerit *in Ecclesiæ administratione*; & ait salvo vinculo pacis retineri ea, quæ usu & consuetudine *usurpata sunt*. Hæc vero quænam sunt, nisi res ad disciplinam spectantes? Addo, quod etsi causa Rebaptizationis perplexa admodum erat, & ambigua, Cypriano tamen videbatur certissima; quod idem Auctor probat præcedenti pag. 81. ex laudibus, quibus suam sententiam exornat, & ex convitiis, quibus onerat sententiam oppositam: at nemo consultus ab altero in rebus, quæ sibi videntur certæ, & pertinentes ad fidem, responderet posse unumquemque tenere quod libeat, nec alicui præjudicandum: ideoque Cyprianus similia respondens sententiam suam aut certam non reputabat, aut non pertinentem ad fidem. Si primum dicas; cur vir humillimus in re sibi dubia, tanta animositate consuetudinem antiquiorem, traditionem, & rescripta Stephani lacerabat? Si reponis alterum; quomodo non arbitrabatur vir sanctissimus agi tantummodo de re spectante ad disciplinam? Accedit quod Firmilianus in Epistola ad Cyprianum, dum conqueritur Stephanum intentasse rebaptizantibus excommunicationem, ut probet injuste comminatum hanc pœnam ob præsens dissidium, ait apud Romanos *circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta esse aliquas diversitates, nec observari illic æqualiter omnia, quæ Hierosolymis observantur: secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum sit.* Quemadmodum ergo controversia de die Paschatis, diversitas rituum in Sacramentis, & quæ in plurimis provinciis salva unitate variantur, ad solam attinent disciplinam; ita ad meram disciplinam spectare eo temporis credebatur Rebaptizatio.

Respon. adversa.

Solvitur.

28. Prob. 2.

Nec illò duntaxat tempore; etiam post Concilium Nicænum, quod in sententia multorum, & maxime Jacobi Bossuet cap. 9. ejusdem libri pag. 268. est illud *plenarium*, quo hæc controversia juxta Augustinum eliquata est, non ad fidei decreta, sed ad disciplinam hæc quæstio pertinuit, nec forte transiit in dogma fidei ante Tridentinum Concilium: cujus extat de hac re canon XI. sess. VII. Profecto nec à Nicæna Synodo definitam tanquam de Fide censent laudato in loco Natalis Alexander, Pagius ad an. 215. num. 2. Antonius Boucat de Sacram. in genere pag. edit. Paris. 393. quod & probatur, ex quo S. Basilius, qui floruit post Nicænam Synodum,

nodum, natus anno Domini 328. ac mortuus anno 379. in Epist. Canonica ad Amphilochium pag. 759. censet rebaptizandos hæreticos, & hoc disciplinæ esse, non fidei.

Bina adversa responsio diluitur.

Doctissimus Meldensis Episcopus respondet cap. 8. pag. 267. p. 2. se de Cypriano & Firmiliano pertractare, non de Basilio. Sed facile hæc responsio refellitur. Primo, quia S. Basilius Cypriani & Firmiliani sententiam amplectitur, commonstratque se permoveri iisdem rationibus, quod scilicet hæretici omnes sint extra Ecclesiam, nec valeant gratiam conferre, qui ea carent. *Verum enim vero* (inquit Basilius) *antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano eos omnes uni calculo subjicere: quoniam separationis quidem principium per schisma, qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus.* Addit *eos non posse amplius Spiritus sancti gratiam aliis præbere, à qua ipsi exciderunt.* Qui ergo Firmiliano & Cypriano adhæret, iisdemque innititur principiis, eodem sensu quæstionem istam pertractat. Deinde, si post *plenarii Concilii* definitionem potuit quæstio inter *adiaphora* computari, & tamen eadem censeatur quæstio fidei, jam non solius Pontificis, sed & Synodi universalis in discrimen advocatur auctoritas. Respondet præterea Bossuet Basilium non satis hactenus intellectum, nec hæsitasse an valeret baptismus ab hæreticis debita forma collatus, sed quinam hæretici Evangelicis verbis ururentur, quinam perverso, adulterato, sibique proprio baptismate. Verum hæc responsio imbecillior est præcedenti: putavit namque Basilius *omnes hæreticos subjiciendos eidem calculo*, nec adeo desipuit, ut crederet nullum hæreticorum uti verbis, quibus consecratur baptisma. Addidit quoque rationem, non à *formæ* defectu petitam, sed quam urget frequentissime Cyprianus, non esse apud hæreticos *gratiam Spiritus.* Tandem diserte Basilius ait agi de sola disciplina, non de fidei dogmate scribens: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem eorum baptisma suscipi, suscipiatur:* & paulo post de Encratitis, *Quod si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum; rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, providerunt.* En aperte Basilius docet quæstionem de Rebaptismo spectare ad consuetudinem, ad œconomiam, ad disciplinam.

Multa quoque sunt ex Augustino, quæ veritatem istam confirmant. Libro enim 2. de Baptis. cap. 3. ad excusandum Cyprianum ait, etiam *Concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat.* Quo in loco defensores Declarationis Gallicanæ, ne etiam plenariorum Synodorum elevent definitiones, ajunt Augustinum aut *humano more*, aut *ex Donatistarum sententia* locutum, cum tamen S. Pater aperte loquatur de dissensionibus, quæ *rerum experimento*, exploratæque consuetudine dignoscuntur, id est, ad disciplinam spectantibus; nec ipsi Donatistæ præfracte negarent Synodorum universalium auctoritatem, imo, ut constat ex Collatione tertiæ diei, negarent potius Cirtensem, & Romanam Melchiadis in causa Cæciliani celebratas, aut traditionis crimen opponerent Episcopis, ne harum judicio cedere cogerentur, aliam denique Synodum ampliorem peterent à Constantino. Ad hæc Augustinus cap. 9. ejusdem libri ait non tantum de consuetudine disceptatum fuisse, verum & solam consuetudinem Cypriano objectam, ideoque illum obstitisse, quia in Africam invecta fuerat consuetudo contraria, quænam autem censenda esset universalis Ecclesiæ nondum innotuerat; quod factum plenaria in Synodo. *Consuetudinis robore* (inquit) *tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.* Infra: *Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus perspecta veritate plenario Concilio confirmata est, &c.* Ex plenaria itaque Synodo per Augustinum consuetudo, non dogma fidei, firmata fuit. Mitto quod S. Pater rebaptizationem hæreticorum appellat *humanum errorem*, rebaptizationem vero Catholicorum *diabolicam præsumptionem*, libro de unico Baptismo cap. 13. quod in ea nova consuetudo præponeretur antiquæ, in hac Ecclesiæ Sacramentum rejiceretur. De re itaque Cypriani ætate agebatur, in qua etiam *plenaria concilia à posterioribus emendantur*, & consuetudo opponitur, consuetudo investigatur, consuetudo est dirimendæ controversiæ lydius lapis. Istiusmodi res pertinet ad disciplinam. Ergo de re pertinente ad disciplinam ætate Cypriani disceptabatur. 29. Prob. 3.

Dato

30. Dato etiam, quæstionem rebaptismatis fuisse agitatam tanquam *dogma fidei*; Decretum tamen Stephani non erat *ex cathedra*.

Dato tamen gratis, quæstionem hanc *tanquam fidei dogma* agitatam, nego decretum Stephani fuisse solemne & *ex cathedra*. Præclarus Scriptor de Auct. Rom. Pontif. lib. 3. cap. 5. docet quatuor ad dogmaticam definitionem discernendam notas haberi. I. Si contra Refractarios indicat anathema. II. Si eos declaret hæreticos. III. Si expresse asserat propositam definitionem ab omnibus tanquam fidei dogma tenendam esse. IV. Si juxta antiquam disciplinam res in aliqua Synodo sit discussa. Ita Tom. I. laudati Operis pag. 277. Atque has omnes in decreto Stephani desiderari probat vir doctissimus, idque perspicuum est ex hactenus dictis. Vereor tamen, ne vir præstantissimus nimium adversariis indulgeat. Nam Jacobus Bossuet citato lib. XIV. cap. 2. & 3. fatetur non quavis suborta quæstione solicitandum orbem terrarum, & convocanda generalia Concilia: sed tantum *ex certa causa, si graves per orbem dissensiones oriantur, si aliter nequeat pax coalescere:* unde infert causam Pelagianorum potuisse terminari judicio Apostolicæ Sedis, causam vero Rebaptizantium nonnisi judicio plenariæ Synodi. Quod cum nos prorsus rejiciamus; non possumus hanc notam supremæ definitionis probare, *Si in Synodo res discussa sit*; tunc enim certam esse causam, nec solicitandum orbem, sed quæstionem finitam Rescripto Pontificis, annuit clarissimus adversarius. Mitto quod re *in Synodo* non discussa innumeræ definitiones prodiere, de fide quidem tenendæ: quas excludere possent Refractarii omnes, (ut faciunt perditissimi Jansenistæ) si characterem illum, notamque exigamus. Verum si notas illas quatuor, vel earum aliquam probes; nullam profecto earum invenies in decreto beati Stephani. Dictum à me Vol. V. pag. 168, notam definitionis *ex cathedra* esse, quod Pontifex illam cuique, palam, solemnique ritu proponat, & tanquam de fide credendam singulis fidelibus tradat: quod etiam docet Matthæus Petitdidier cap. 8. pag. 251. aliique à me ibidem laudati. Character iste in decreto Stephani deerat, quia non damnabat Rebaptisma proponendo traditionem *dogmatis*, sed *consuetudinis*, & forte ad solum Cyprianum, ejusque collegas fuerat directum. Discrimen vero causarum à Bossuetio traditum optime refutatur à laudato Petitdidier cap. 6. Quod enim Augustinus scribit serm. 2. de verbis Apostoli, nunc 131. n. 10. epist. 157. ad Optatum, nunc 190. num. 22. lib. IV. contra duas Epist. Pelag. cap. XII. num. 34. & lib. 2. Operis Imperfecti contra Julianum n. 103. causam Pelagianam finitam esse Innocentii & Zosimi rescriptis, superbe Pelagianos hanc gloriam captare, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur, nec ulterius causam Pelagianam examinandam ab Episcopis, sed à Potestatibus coercendam; id, inquam, etiam in causa Rebaptizantium dicendum esset, si Stephanus plena auctoritate & *solemniter* decrevisset, & quæstio non spectasset ad disciplinam, ut Meldensis Episcopus arbitratur. Enim vero falsum est quod ille ait, causam Pelagianam fuisse certam, & ab omnibus communiter refutatam, si loquamur ante Rescriptum Romani Præsulis; cum potius Pelagius in Jerosolymitano congressu, & in Synodo Diospolitana abierit immunis, & evaserit damnationem. Falsum quoque est quæstionem de Gratia & libero arbitrio perspicuam esse, non obscurissimam, ac perdifficilem ad solvendum. Si ergo causa Pelagii & causa Rebaptizantium æque spectassent ad fidem, & tam Innocentius, quam Stephanus sententiam definitivam pronuntiasset; utraque causa finita esset *Apostolicæ Sedis Rescripto.* Sic finitam causam Pelagianam affirmat Bossuetius; sic finitam causam Rebaptizantium negat Bossuetius. Aut ergo causa Rebaptizantium non spectabat ad fidem; aut Stephanus illam ex cathedra non definivit.

Postremo si reciperemus sententiam Ludovici Maimburgi in Tract. de Statu & prærogativis Eccl. Rom. & Jacobi Hyacinthi Serry de Rom. Pontif. contendentium *irreformabile* esse Papæ judicium, dum rem decernit fusis ad Deum solemnibus precibus, præmisso accurato examine & præhabita Ecclesiæ Romanæ, constitutæ intra ambitum Urbis, consultatione; fieret consequens decretum Stephani, supposito quod versaretur circa fidei dogma, omni fuisse præditum auctoritate, ac debuisse recipi ab omni Ecclesia: illud enim tulit Stephanus *eum cæteris collegis suis*, ut supra diximus, & in I. Commonit. cap. 9. ait Lirinensis. Ideoque hi Theologi, ne Cyprianum insimulent violatæ fidei, ejus controversiam nobiscum referunt ad disciplinam. Nos quidem hanc postremam sententiam putamus falsam, nec aliam consultationem existimamus Pontifici necessariam, nisi quam exigit prudentiæ regula, sive Cardinalium sit, sive Theologorum virorum, cum per se omnem plenissi-

mamque habeat auctoritatem : illius tamen sententiæ meminimus, ut appareat hac etiam probata, nullum ex facto Cypriani adversarios nostros habere præsidium.

31. Objectio 1. Constat ex dictis argumenta eorum, qui ex controversia Rebaptizationis impetunt Romani Pontificis τὴν ἀσφαλίαν, invictissime refutari, non desumptis è scholastico pulvere distinctiunculis. Opponit primo Bossuetius quod scribit Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 4. controversiam, de qua agimus, *altercationum nebulis involutam*, perductamque *ad plenarii concilii luculentam illustrationem & confirmationem* ; quæ S. Pater repetit eodem libro cap. 9. Ait citato cap. 4. Augustinum de se profiteri, *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ auctoritate firmati, &c.* Atque hinc infert in rebus difficilioribus, nebulisque altercationum, posse aliquos reluctari Pontificiæ definitioni, ut Cyprianus obstitit Stephano præcipienti, & anathema comminanti.

Responsio. Ad hæc respondemus accipiendum S. Patrem de controversiis spectantibus ad disciplinam, in quibus duntaxat superiora *Concilia plenaria emendantur à posterioribus, & in quibus opponitur tantum consuetudo*, quod Augustinus disertissime affirmat iisdem in locis, quæ objiciuntur. In his ergo perduci aliquando controversiam ad robur & discussionem concilii plenarii ultro concedimus, quippe *num consuetudinis robore teneatur orbis terrarum*, nonnisi collatione Episcoporum potest dignosci ; ideoque & Asiatici, quamvis in eos anathema Victor intentasset, nunquam à sententia recesserunt, nisi discussa à Nicænis Patribus controversia. At in rebus fidei *rescripto Apostolicæ Sedis* finiri causam, Augustinus non uno in loco affirmat pertractans de Pelagianis, id Meldensi Episcopo non denegante, sed causarum discrimen supra dispunctum comminiscente. Addo ex Bellarmino lib. IV. de Romano Pontifice cap. 2. necnon ex Natali Alexandro citato loco, in fine art. 4. Catholicos omnes convenire, quod sive errare possit Pontifex, sive non, ab omnibus fidelibus sit audiendus. Quare si de dogmate fidei Cyprianus se pertractare agnovisset, non inquinasset se veniali culpa, sed exitiosa, & gravissima. Atque hinc explodituri illatio altera scriptoris eruditissimi cap. 5. pag. 264. Si dicas, Augustinus agnoscit in Cypriano veniale peccatum : *Ergo Pontifici decernenti infallibilitatem detraxisse, veniale peccatum est.* Etenim S. Pater veniale peccatum dixit, quoniam Cyprianus de consuetudine disceptabat, & non de fide : quamquam nec illud prætereundum est, fateri hac illatione virum, alioqui satis probum, susceptam à se causam, quæ nequeat omnino inculpate tractari ; unde & tenebris opus damnaverat, quod postea in lucem editum vacillantium quorumdam labefactavit ingenia.

32. Objectio 2. Opp. 2. Cyprianus & Firmilianus controversiam talibus coloribus pingunt, ut sententiam suam recenseant inter fidei dogmata, & nihilominus decreto Stephani restitere. Igitur in causa nondum discussa exitiosum non est recedere à sententia Pontificis. Prob. ant. nam Cyprianus in Epistola ad Jubajanum probat hæreticos baptizare non posse, *quia fides est una, & unum baptisma :* quia non habet baptismum Christi, *qui est extra Ecclesiæ unitatem :* quia in sola Dominica ordinatione *licet baptizare, & dare peccatorum remissam.* Idem cum Collegis in Concilio 87. Episcoporum inquit evacuare baptismum nostrum, *qui recipit baptismum hæreticorum*, fieri *à regno cælesti alienum* quisquis ab hæreticis tinctus non fuerit rebaptizatus, nec vindicare fidem & veritatem Ecclesiæ, *qui concedit hæreticis Ecclesiæ baptisma :* atque hæc asserta non humanis rationibus, sed divinis testimoniis communiebat. Similia Firmilianus.

Resp. etiam Basilium, ut vidimus, iisdem momentis excludere omnium hæreticorum baptisma, & tamen docet apertissime quæstionem talem esse, ut servanda sit consuetudo, & statuta à Patribus œconomia. Polycrates etiam, aliique Asiatici controversiæ de die Paschatis hærebant pertinaciter ob auctoritatem veteris, novique testamenti, cum luna XIV. Moyses festivitatem Azymorum instituerit, eamque Christus Corporis, & Sanguinis sui mysteriis reddiderit celebriorem ; & nihilominus ad disciplinam, non ad fidem pertinebat ea quæstio. Cyprianus itaque, & alii Rebaptizantes testimonia divina opponebant, unitatem fidei & baptismatis deprædicabant, hæreticos alienos ab Ecclesia, & à Spiritu sancto asserebant ; ut ex his, quæ fide catholica certa sunt, inferrerent Ecclesiæ suæ disciplinam doctrinæ fidei magis esse conformem, non quod illa certa esset ac revelata, ut certum & revelatum est fidem esse unam, hæreticos alienos esse ab Responsio.

Ecclesia,

Ecclesia, non habere illos Spiritum Sanctum; de his enim, quæ Cyprianus assumebat ad probandam sententiam nullum erat dissidium? de sententia autem, quam his probationibus confirmabat, fatebatur posse omnes Episcopos salvo pacis vinculo dissentire.

33. Objectio 3. Opp. 3. Stephanus proculdubio credebat sententiam de non rebaptizandis hæreticis spectare ad fidem, & tamen Rebaptizantes non privavit communione. Igitur & Cyprianus potuit tenere communionem cum non Rebaptizantibus, quamvis crederet ad fidem pertinere quæstionem illam.

Respondent 1. aliqui. Respondent aliqui, si Stephanus non excommunicavit Cyprianum; aut non definivit ex cathedra, aut etiam Stephanus ratus est de consuetudine disceptari, non de re fidei.

Resp. 2. Auctor. At ego respondeo, Theologos non consentire, num Stephanus causam definierit tanquam pertinentem ad fidem. Nonnulli quidem hoc affirmant, inter quos Tournelius pag. 215. primo quia Stephanus gravissimam excommunicationis pœnam Rebaptizantibus fuit comminatus, quod non fecisset in re ad meram disciplinam pertinente. Secundo quia in Concilio plenario, de quo Augustinus, sententia Stephani fuit approbata, ac definitum spectare ad fidem baptismi dati ab hæreticis validitatem. Tertio quia id affirmat Vincentius Lirinensis in 1. Commonit. cap. 9. At sunt rationes istæ fractæ admodum, & infirmissimæ. Prima quidem, nam etiam in rebus ad disciplinam universalem, & antiquitus derivatam spectantibus, potest Romanus Pontifex *anathema* comminari, quod fecit Victor in Quartadecimanos: atque id paulo supra idem Tournelius animadverterat. Altera, quod nec in Concilio Nicæno, (hoc enim esse plenarium de quo Augustinus, censet eruditus Theologus) definitum est causam Rebaptizantium spectare ad fidem, ut liquet ex his, quæ diximus de Basilio: nec aliud Augustinus ait, quàm in plenaria Synodo rem esse eliquatam & discussam, quod tenet æque de fidei, & de consuetudinis disceptatione. Tertia, quoniam etiam Lirinensis de Stephano hoc tantum inquit, *Sanxit nihil novandum nisi quod traditum est:* sunt vero traditiones in Ecclesia quamplurimæ ad solam disciplinam spectantes. Hæc de argumentis propositis, non de Stephani sententia, dicta sint. Aliàs enim non inficias ibo, optime perspectam Stephano quæstionis naturam: sed à vibrando anathemate abstinuit, operam navante Dionysio, quod Afri nondum inter dogma & consuetudinem discrevissent; quemadmodum se gessit Victor erga Asiaticos acerrime pro nova disciplina pugnantes, interpellante pro his Irenæo. Sperabat quoque Stephanus Cyprianum ad veritatem pertrahere; quod fecisset utique, si diu vixisset, neque persecutio Valeriani turbasset Ecclesiæ pacem.

34. Propositio 9. Quorundam Patrum de Rebaptismo sententia est obscura & ambigua. Primus horum est S. Dionysius Alex. PROPOSITIO IX. Nonnulli sunt Patres, quorum de Rebaptismo sententia est obscura admodum, & ambigua.

Primus horum est S. Dionysius Alexandrinus: hunc adhæsisse Rebaptizantibus affirmat S. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 69. p. 2. Tom. 1 v. pag. 119. scribens: *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit Epistolas, quæ usque hodie extant.* Subscribunt Hieronymo Baronius ad annum 258. num. 48. Henricus Vales. in Notis ad Hist. Eusebii pag. 243. Nat. Alexander cap. 4. art. 6. H. Ec. sæc. 111. Joannes Cabassutius in Notitia Concil. cap. 3. aliique permulti. Abierunt tamen recentiores Theologi in sententiam oppositam his subnixi momentis. Principio, inquit Gaspar Juenin q. 6. de Bapt. cap. 7. art. 3. nusquam Rebaptizantes in suæ opinionis patrocinium vocasse ipsum Dionysium secundæ sedis antistitem, & sacrorum canonum peritissimum. Deinde si Dionysio comprobata fuisset Rebaptizantium sententia, eam & facto & verbis amplexati fuissent Episcopi sedi Alexandrinæ subjecti; cum tamen nullibi legatur Ecclesias Ægypti & Lybiæ iterum hæreticos redeuntes tinxisse. Præterea S. Basilius in Epistola ad Amphilochium asserit Dionysium ratum habuisse baptismum Pepuzenorum; inquit enim Canonica prima, *Pepuzenorum baptisma nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit canonicus, præterierit.* Et infra: *Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt; quare etiamsi hoc magnum Dionysium latuerit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.* Ad hæc Dionysius sequester ac mediator extitit pro Rebaptizantium pace cum Apostolica Sede redintegranda. At ineptus pacis fuisset conciliator, si ipsemet in eodem errore versatus esset. Hæc Juenin.

35. Auctor Dionysium accenset Rebaptizantibus, & solvit argumenta diversa. Verum hæc argumenta nil probant. Num enim Firmilianus & Cyprianus ad Dionysii patrocinium confugerint, incertum est: nec videtur inverisimile id fecisse, saltem Firmilianum; nam Dionysius pro Rebaptizantibus Orientalibus

bus valida interposuit officia. Secundum argumentum probat oppositum: siquidem, si Juenino subscribamus, etiam S. Athanasius rejecit hæreticorum baptisma. Fuit autem Athanasius ejusdem Alexandrinæ Sedis Episcopus: ideoque obtinuit aliquando in Ægypto, & in ipsa Alexandrina Ecclesia rebaptizatio. Verum ego de Athanasio aliter sentio, quamvis rebaptismus apud Orientales fuerit, teste Dionysio, frequentissimus. Tertium item argumentum infirmissimum est: si quid enim probaret, probaret S. Dionysium ratum habuisse baptismum Pepuzenorum, seu Montanistarum, qui, teste Basilio, nec tingebant *tradita forma*, id est, invocatione S. Trinitatis: quod nec Cyprianus, nec Firmilianus existimavit. Deinde respondeo, Dionysium ratum habuisse baptismum collatum à Pepuzenis, non ubique locorum, sed ubi juxta diversam disciplinam hæretici non rebaptizabantur, nec absolute, sed dummodo Pepuzeni tingerent in nomine Trinitatis. Cathaphrygæ enim & Montanistæ baptizando nequaquam præscriptam *formam* servabant, idemque ob testimonium Basilii dicendum de Pepuzenis: aliquod tamen inter Cataphrygas & Pepuzenos discrimen extitit, ut liquet ex Epiphanio h. 29. pag. 417. & ex Augustino de hæresibus num. 26. & 27. ubi Pepuzenis error iste de violata forma baptismatis non tribuitur. Prætermitto Basilium in aliis Dionysii sententiis dijudicandis minus fuisse accuratum, ut dum ei impingit Anomœorum hæresim epist. XLI. ad Maximum Philosophum pag. 803. Quo in loco deceptum Basilium constat ex Athanasio, & ex dictis lib. VIII. cap. 6. Nec postremum argumentum est firmissimum: taliter enim Dionysius studuit Stephani indignationem compescere, ut scriberet sententiam Firmiliani *probatam in maximis Episcoporum Conciliis*, & rem esse gravem, & periculi plenam, ab ipsorum communione discedere: rebaptizandos hæreticos sancitum esse *non ab Afris solum, sed superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesiis populosissimis, & in Conciliis fratrum apud Iconium & Synnada, & apud alios quamplurimos.* Vide Eusebium H. E. lib. VII. cap. 5. & 7. Si autem Dionysius penitus Stephano consensisset, debebat potius dare operam, ut Rebaptizantes æquo animo Pontificium decretum reciperent.

36. Objectio duplex. 1. Honoratus Tournely pag. 200. & Ruinart in Actis Martyrum pag. 155. duo alia producunt argumenta. Primum est, quod Dionysius in Epistola ad Philemonem apud Eusebium pag. 253. ait: *Hanc ego regulam & formam à beatissimo Papa nostro Heracla accepi. Eos enim, qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent, seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem cum fratribus communicantes, clam perversæ doctrinæ magistros adire delati essent, ab Ecclesia ejectos post multas tandem preces non prius admisit, quam quæcunque ab adversariis audierant palam exposuissent: ac tum demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato baptismate ei opus esse.* Alterum argumentum petitur ex Epistola ad Xystum apud eundem Eusebium pag. 255. ubi ait Dionysius noluisse rebaptizare senem quemdam pedibus ipsius advolutum, ac dejerantem, Baptismum, quo apud hæreticos initiatus fuerat, nil cum nostro habere commune, proindeque orantem, ut purissimo lavacro, & verissima adoptione donaretur. *Quod equidem* (ait) *facere non sum ausus: sed diuturnam illi communionem ad se sufficere dixi.* 2.

Cæterum neque ista evincunt aliquid: nam priori in loco agitur *de Apostatis*, qui baptismum in vera Ecclesia receperant, ut annotavit Valesius, nec diffitetur Ruinartius, ostendit autem aperte idem textus, quem integrum consulto produxi. Imo cum Dionysius immediate subjiciat, ideo *Apostatis* redeuntibus non opus esse iterato baptismate, *Quippe jam antea Spiritum Sanctum ab ipso acceperant*, videtur innuere aliam Apostatarum, aliam hæreticorum esse rationem. In altero autem loco non scribit Dionysius idcirco noluisse iterum tingere senem illum ingemiscentem, quoniam etiam baptismum hæreticorum ratum haberet, sed quia diu in Ecclesiæ commmunione vixerat, & Corporis & Sanguinis Domini diutissime particeps fuerat, ut ibidem ait Dionysius. Rebaptizantes siquidem fatebantur, admissos olim ad altare *per ipsum unitatis vinculum* etiam absque iterato baptismate gratiam consequi. Vide Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. XIV. num. 19. Profecto nisi Dionysius adhæsisset rebaptizantibus, non scripsisset non ausum se iterum tingere senem illum, qui ante Heraclæ episcopatum semper cœtus fidelium particeps fuerat, *quia ei sufficiebat diuturna communio, & ad sacram mensam diutissime adstiterat*; sed quia etiam baptismus hæreticorum ratus est, ac legitimus. Videtur itaque mihi potius Hieronymo, qui integras, suoque

Respons. ad 1.

ad 2.

que ævo extantes Dionysii epistolas pervolutavit, quàm recentioribus, qui sola earundem epistolarum fragmenta legerunt, assensum præbendum esse, præsertim cum fragmenta ipsa non prorsus rejiciant, ut dixi hactenus, *Rebaptismum.*

37. An Athanasius fuerit inter Rebaptizantes? Respondet Auctor contra alios negative.

Quid verò de Athanasio? Hunc, ut dixi, Gaspar Juenin, aliique recentiores accensent Rebaptizantibus: non tamen Natalis Alex. dissert. XXIII. sæculi tertii, neque PP. S. Mauri Præf. in Opera Athanasii pag. 21. & in Notis ad 2. Orat. adversus Arianos pag. 510. quibus subscribimus. Argumentum contrariæ sententiæ est, quod sequitur. S. Athanasius oratione tertia, nunc 2. contra Arianos ait: *Quî (quæso) igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis datur, cum id nonnisi species sit, & inane simulacrum? Sicut igitur creatura diversum quid est à Filio: ita diversum quiddam à vero baptismate est quod ab illis existimatur dari.* Differt igitur in sensu Athanasiii baptisma Catholicorum à baptisma hæreticorum, quemadmodum differt Creator à creatura. Hoc quidem argumentum non elidunt, qui reponunt loqui Athanasium de Arianis, qui *debitam formam* nequaquam servabant; quoniam ætate Athanasii Arianos præscriptam baptismi formam temerasse non constat, & paulo post idem Athanasius nullum Arianorum baptismum pronuntiat, *etiamsi qui cum Ario sentiunt, quæ scripta sunt recitent, proloquanturque ipsa nomina.*

Solvitur argumentum sententiæ affirmativæ.

At alia ratione argumentum istud diluimus: respondemus enim Athanasium *vacuum & inutilem* appellare baptismum Arianorum quantum *ad effectum*, non quantum *ad characterem.* πῶς (inquit Athanasius) ἐ παντελῶς κενὸν, καὶ ἀλυσιτελὲς τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ἐστι, προσποίησιν μὲν ἔχον, τῇ δὲ ἀληθείᾳ μηδὲν ἔχον πρὸς εὐσεβίαν βοήθημα; id est: *Qui fieri potest, ut prorsus vacuus ac inutilis non sit Baptismus, qui ab illis datur, in quo quidem insit religionis simulatio, sed revera nihil ad pietatem queat conferre?* Ubi non ait baptisma Arianorum esse Sacramenti *inane simulacrum*, sed habere *simulationem* religionis: nec ait *omnino nullum* esse, sed *vacuum, inutile, & non conferre ad pietatem;* quod subinde Athanasius demonstrans, docet non solum baptismum, sed etiam fidem, *quæ oritur ex recta doctrina*, ex præcepto Domini ad salutem requiri, ideoque inutilem esse aquam, quam hæretici donant, non quod ei desit ratio Sacramenti, sed quod ei desit pietas, propterea quod non prosit salutare lavacrum, si illud suscipiens inquinetur hæresi, ac impietate. Πολλοὶ (inquit) καὶ ἄλλαι αἱρέσεις λέγουσι τὰ ὀνόματα μόνον, μὴ φρονοῦσι δὲ ὀρθῶς, ὡς εἰρηται, μηδὲ τὴν πίστιν ὑγιαίνουσαν ἔχουσι, ἀλυσιτελὲς ἔχουσι καὶ τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ, λειπόμενον δίσεβείας, ὥστε καὶ τὸ ῥαντιζόμενον παρ' αὐτῶν ῥυπαίνεσθαι μᾶλλον ἐν ἀσεβείᾳ, ἢ λυτροῦσθαι. *Multæ quoque aliæ hæreses nomina tantum pronunciant: verum cum recte non sentiant, uti dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est aqua, quam donant, quippe cui desit pietas; ita ut quemcunque illi adsperserint, impietate fœdetur potius, quam redimatur.* Movet nonnullos, quod eo loci Athanasius comparet baptismum Arianorum, cum baptismate Manichæorum, Phrygum, & Samosatensium, quorum lavacrum profecto *nullum* erat, cum nec debitam formulam hi servarent; sed in eo comparat, quod omnium hæreticorum baptisma *vacuum* est, & *inutile* iis, qui adhærent pravæ ipsorum doctrinæ: quo sensu Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. VI. num. 8. inquit: *Nihil prodest hæreticis ad salutem quod extra Ecclesiam verum baptismum per ignorantiam & tradunt & tenent; imo & obest ad damnationem, quod in sacrilega iniquitate erroris humani etiam divini Sacrmenti, non per quam mundentur, sed per quam severius judicentur, detinent veritatem.* Hinc S. Athanasius paulo post ait, ab Arianis eos, qui ab ipsis accipiunt baptismum, decipi & eludi, quia major est ipsorum impietas, quàm cæterorum hæreticorum, ac *nullum* esse illum baptismum, quia cum filium Dei censeant rem creatam, nullum ab eo consequuntur auxilium, permanentque nudi plane, ac destituti divinitate; quæ omnia de effectu gratiæ proculdubio accipienda sunt. Ex alia parte Athanasius in Epistola ad Rufinianum, ubi pertractat de conditione hæretici recipiendi, non ait repetendum baptisma ab Arianis collatum, sed commonstrat se canonum Nicænæ Synodi, cui & interfuerat, tenere œconomiam, hæreticosque debita forma tinctos cum sola pœnitentia, & impositione manuum admittere.

38. An Optatus fuerit inter Rebaptizantes?

Major difficultas videtur esse de Optato Milevitano, de quo, ut certum est ratum habuisse baptisma datum à schismaticis, ita est incertum, an probarit baptisma ab hæreticis collatum. Sunt qui id negant ea ducti ratione, quod Optatus in primo contra Parmenianum libro num. 12. scribat, recte Donatistas

clausisse hortum hæreticis, *qui soli habent varia & falsa baptisma, quibus inquinatus non potest abluere, nec immundus emundare:* id vero non esse asserendum de *schismaticis*, qui licet non sint in catholica, *nobiscum tamen vera & communia Sacramenta traxerunt.* Hæc, & alia plura explicari nequeunt de *illicito*, non de *valido* baptismate; siquidem nec apud schismaticos fas est Sacramenta recipere.

Respondet Auctor iterum negative.

Cum varia esse soleant Theologorum responsa, reponentibus aliis Optatum loqui de hæreticis, qui baptismi *formam* non servant, sive, ut idem ait, *falsaverunt symbolum;* dicentibus aliis sermonem instituere de fide, quæ ad consequendum effectum baptismatis requiritur, nec est apud hæreticos: expeditissimum mihi videtur, si reponamus Optati scopum hunc esse, Parmenianum revincere quod segregarit se à Catholicis æque, ac ab hæreticis, autumans apud utrosque *Sacramenta esse inquinata:* priori enim libro de origine & causa schismatis agit, non de unitate baptismatis. Ita nimirum ad refellendum schismaticum recte probat Milevitanus Episcopus, non esse pertimescendam eam contaminationem, quæ contrahitur à Sacramentis hæreticorum ob pravitatem doctrinæ, si communicentur Sacramenta cum Ecclesia Catholica, unde illa iidem Schismatici hauserunt. Cæterum eodem libro 1. pag. 6. inquit Optatus: *In Trinitate baptismatis unionem defendimus*, scilicet, unus idemque est baptismus, modo conferatur sub invocatione Trinitatis. Et libro v. in quo pertractat de unitate baptismatis, producto circumcisionis exemplo, scribit pag. 80. *Semel enim factum servat salutem: si iterum fiat, potest afferre perniciem. Sic & baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam: si repetatur, facit vitæ jacturam.* Infra. *Aqua igitur sola & vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est.* Post pauca: *Non licet post Trinitatem, in eadem Trinitate hoc iterum facere*, id est, baptizare. Verum est, eo loci Optatum appellare *mendacem* aquam Praxeæ & Patripassianorum, quia *ubi* (inquit) *veritas non est, ibi est aqua mendax:* sed *mendacem* appellat, quia ob fidei defectum non confert *vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, & cœlestis regni comparationem, quam credentis fides, & Trinitas præstat:* Fides nimirum ut necessaria dispositio; Trinitas ut consecrans *elementum.* Hæc diluunt locum alium ejusdem libri pag. 83. *In hoc Sacramento baptismatis celebrando tres esse species constat, quas & vos nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate: secunda in credente: tertia in operante; sed non pari libramine ponderandæ sunt singulæ: duas enim video necessarias, & unam quasi necessariam: principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non possit geri: hanc sequitur fides credentis: jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest.* Bene igitur habet: *Trinitas* necessaria est, *ut res ipsa geratur*, quoniam invocatio Trinitatis constituit *formam* baptismatis. Sequitur *fides suscipientis*, quæ pariter necessaria est, non ut geratur res ipsa: sed ut baptisma vitam conferat spiritualem. Perspicuum est loqui Optatum de fide suscipientis, ut dixi. non de fide ministri, siquidem *operantis*, ut verbis utar Optati. *est tertia species* non adeo necessaria, uti necessaria est *Trinitas* ad constituendum Sacramentum, *fides* ad consequendam salutem. Hæc nostra de Optato sententia est.

39. Neque Cyrillus Jerosolym. annumerandus est illis.

Restat S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui à permultis inter Rebaptizantes connumeratur, propterea quod scripserit Præfat. in Catecheses pag. 8. *Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti, ut si semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas: si enim semel illo fraudaberis, amplius id correctionem non patitur: unus enim Dominus, & una fides, & unum baptisma. Nam soli hæretici rebaptizantur; siquidem prius illud non erat baptisma.* Ubi cum loquatur S. Cyrillus de omnibus hæreticis universe, non videtur de his accipiendus, qui *formam* vitiant ac temerant. Sed vereor, ne docti viri decipiantur hac interpretatione Prevotii, aut Grodecii. Extat Græce: Μονὸν γὰρ αἱρετικοὶ ἀναβαπτίζονται, ἐπειδὴ τὸ πρότερον οὐκ ἦν βάπτισμα. Male particula ἐπειδὴ redditur per *siquidem;* est enim idem, ac *ubi*, *simul ac*, *cum*, aut consimilis: & videtur mihi Cyrilli sensum hunc esse, unum esse baptismum, nec repeti unquam; rebaptizari tantummodo hæreticos, non semper, sed *quando* verum baptismum ob adulteratam *formam* non conferunt. Lupus in librum Tertul. de Præscript. cap. 41. censet S. Cyrillum in Synodo prima Constantinopolitana, cui interfuit, traditam in Catechesibus sententiam retractasse.

40. Propositio 10. Concilium plenarium, I.

PROPOSITIO X. Concilium plenarium, de quo Augustinus adversus Donatistas affirmat, ad ejus auctoritatem

cujus meminit S. Aug. contra Donat: erat Nicænum; licèt adhuc alias Synodos innuat,

tem & robur productam antiquam unius Baptismatis consuetudinem, videtur esse Nicænum; sed non istud solum innuere vult Præsul sapientissimus.

Scribit Augustinus lib. II. de Bapt. cap. VII. num. 12. de controversia Rebaptizantium: *Post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est;* & cap. IX. num. 14. *Postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque producta.* Inquirunt itaque de qua Synodo S Pater intelligendus sit. Lovanienses Theologi, Balduinus, Nicolajus, Nat. Alexander, Norisius, Lupus, Bossuetius, & alii quamplurimi contendunt loqui S. Patrem de Concilio Nicæno: Marca, Sirmondus, Albaspinæus, Launojus, & PP. S. Mauri stant pro Synodo Arelatensi: in utramque partem disputant Merbesius, Habert, Juenin, Le Droin. Nos priori sententiæ adhæremus, ita tamen, ut cum Norisio nostro fateamur S. Patrem alias quoque Synodos adversus Donatistas celebratas indigitasse.

Prob. 1ma Pars 1.

Ab Augustino itaque in Synodum Nicænam præcitatis in locis intendi digitum, demonstratur. I. S. Pater lib. I. de Bapt. cap. VII. num. 9. ait magnos viros, & charitate præditos Episcopos diu in controversia baptismatis disceptasse, *donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* His verbis nullum aliud Concilium designatur præter Nicænum: primo quia istud solum appellari poterat eo temporis *plenarium totius orbis Concilium*, cum ibi convenerint Episcopi ex Oriente, & Occidente, CCCXVIII. deinde quia ætate Augustini sola Nicæna Synodus per antonomasiam plenaria & universalis dicebatur, nullo alio addito distinctionis vocabulo, quod haberetur nota satis, ac celebris; unde solo *universalis Concilii* nomine Nicænum designant in vita Augustini S. Possidius, & in Epistola I. ad Himerium Tarraconensem Siricius Papa. Vide Norisium in Hist. Donat. pag. 178.

2.

II. Præterea in canone 19. Concilii Nicæni legitur: *De Paullianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio probata est, ut baptizentur omnimodis.* Respondent post Launojum adversarii, eo in Canone Nicænum Concilium, dum solos Paullianistas rebaptizari jubet, nullam in admittendo cæterorum hæreticorum baptismate præscribere conditionem. Sed facile excutitur hæc responsio: primum, quia S. P. Augustinus existimavit Concilium Nicænum reprobasse baptismum Paullianistarum, quod hi minime præscriptam *formam* servarent, quam tamen custodiunt hæreticorum permulti: *Istos sane Paullianos* (inquit Augustinus de Hæres. num. 44.) *baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est: unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* Existimavit itaque Augustinus ita Concilium Nicænum reprobasse baptismum Samosatensium, ut simul probarit baptismum hæreticorum illorum, qui unam, eandemque cum Catholicis tenent regulam. Præterea Hieronymus in dialogo sæpe laudato adversus Luciferianos scribit, *Nicænam Synodum omnes hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis:* ac S. Innocentius Hieronymi & Augustini scriptis commendatus in Epist 22. ad Episc. Macedoniæ versans laudatum Nicænum canonem, *Numquid* (ait) *cum de Paullianistis jubent, omnes, qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi?* Erat ergo ætate Augustini compertum, Nicæno canone Paullianistas rebaptizandos, non item alios quoscunque hæreticos.

3.

III. Arelatense Concilium in sensu Augustini dici nequit *plenarium*, ac *totius orbis*; quamquam phrasi Afris familiari quælibet Synodus collecta ex universa Africa, imo ex una tantum provincia appellari possit aliquo sensu *plenaria;* igitur Augustinus nomine *Concilii plenarii* non intellexit Arelatense. Antec. probatur; primum quia ad Synodum Arelatensem soli Episcopi ex Occidentali Imperio, quod Constantino subjectum erat, anno 314. convenire potuerunt: at non aliquis ex universo Oriente, neque ex Ægypto, neque ex Africa usque ad Tripolitanos, imo neque ex Illyrico, & Græcia, quæ ad Romanam sedem pertinebant; per id enim temporis amplissimæ hæ provinciæ subjiciebantur Licinio Augusto: quare nec Synodus Arelatensis erat *plenaria*, nec talis existimabatur ab Augustino, cui, sicut & Optato Milevitano ejus acta fuisse ignota, demonstrat pag. 186. illustris Norisius. Deinde S. Pater sæpenumero Donatistis obtrusit Romanam Synodum Melchiadis, Gesta proconsularia, Constantini literas, ipsorumque adversariorum Conventum Bagaitanum: nunquam vero, nisi memoria

me fallit, gesta sententiasque Synodi Arelatensis: duntaxat in Epistola 43. ad Glorium, & Eleusium n. 20. & in Epist. 53. ad Generosum num. 5. meminit *judicii Arelatensis:* sed ex iisdem locis constat non esse illud *plenarium*, de quo in libris de Baptismo; priori enim Epistola, nec *concilii* nomine utitur, nec judicium *plenarium* appellat, sed judicium *aliorum Episcoporum*, id est, non omnium, sed quorumdam, inter quos non erant qui jam in causa Cæciliani sententiam pronuntiaverant. In altera item Epistola, *Alios* (inquit de Constantino) *Episcopos voluit apud Arelatum judicare.* In sententia itaque Augustini Synodus Arelatensis non *plenaria* & universalis erat, sed consessus aliquorum tantum Episcoporum.

4. IV. Ad hæc S. P. prælaudata ad Glorium & Eleusium Epistola, num. 19. pertractans de causa Cæciliani Romæ discussa, & inquirens an interpellantibus Donatistis eadem causa fuerit in aliquo plenario Concilio iterum dijudicata, inquit: *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint probent: nos enim non factum esse facile probamus, ex eo quod totus orbis cum eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eorum separatio manifestat.* Revera si Concilium illud *plenarium* fuisset Arelatense; neque Augustinus dubitasset, num causa Cæciliani agitata iterum fuisset in plenario Concilio, nec firmitatem judicii Romæ lati commonstrasset ex Donatistarum separatione, & unitate Catholicorum: sed absque tali dilemmate affirmasset, plenariam illam synodum reipsa peractam, eamque esse Arelatensem. Præterea in Collatione Carthaginensi tertiæ diei nunquam Catholici pro Cæciliano produxerunt *plenariam* illam Arelatensem Synodum, sed Romanam Melchiadis: quod imperite fecissent, si ad manus habuissent acta Synodi Arelatensis, quippe causantibus Donatistis exiguum numerum Episcoporum prædictæ Synodi Romanæ, cui interfuere tantummodo XIX. poterant opponere Arelatensem, ad quam Launojus convenisse putat Episcopos DC. adeo, ut fuerit, si illi adhibeatur fides, duplo major Nicænâ. Si ergo Concilium Arelatense non fuit adversus Donatistas in ea Collatione productum; vel ab Africanis ignorabatur, vel non habebatur tanquam plenarium, & ad finiendam Cæciliani causam aptissimum.

5. V. Tandem S. Pater in IV. libro contra Cresconium num. 32. *Nec forte auditum* putat nomen Cæciliani *in Ecclesiis Apostolico labore fundatis Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, Philippensium, Thessalonicensium, cæterarumque in sacris literis conscriptarum:* quod utique non scripsisset, si Cæcilianum *in plenario totius orbis concilio* diffamatum à Donatistis, & absolutum existimasset; cumque pro Cæciliano latum scribat judicium Arelatense, nequit istud appellari ab Augustino judicium Synodi totius orbis plenariæ.

41. Prob. ad 2 Pars. Verum tamen est Augustinum ab aliis quoque Synodis, præter Nicænam, asserere explosam sententiam Rebaptizantium. Nam lib. 2. contra Parm. cap. 13. num. 30. inquit: *Hoc enim jam in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum est:* & lib. 3. cap. IV. num. 21. de Donatistis ait: *Quosdam paucos in Africa damnaverunt à quibus totius orbis judicio superati sunt.* Et in eodem libro cap. 6. num. 30. scribit ipsos Donatistas *totius orbis auctoritate convinci:* quæ loca cum aliis consimilibus indicant Tom. IX. pag. 103. PP. S. Mauri ad confirmandam Joannis Launoji opinionem. Sed ego per *unitatem* & *auctoritatem totius orbis*, non plenarium aliquod & universale Concilium arbitror intelligendum, sed communionem Catholicorum in eandem sententiam conspirantium; aut si Concilium, non unum, sed multiplex, puta Nicænum, Capuanum, & forte etiam Arelatense. Nam S. Pater lib. VI. de Baptismo cap. 7. num. 10. consuetudinem Ecclesiæ, à qua Rebaptizantes discesserant, dicit *Conciliis universalibus roboratam*, ibique de Cypriano, & collegis, inquit satis à se disputatum *pro universitate catholicæ consensionis, atque Concilii, in cujus unitate isti tanquam pia membra manserunt:* unde apparet non in uno Concilio causam Donatistarum discussam, atque aliud in sententia Augustini esse *Concilium plenarium*, aliud *unitatem Ecclesiæ*, siquidem Cyprianus, qui nunquam recessit ab unitate, consuetudinem unius baptismi in nullo concilio probavit, in pluribus conciliis rejecit.

42. Objectio 1. Opp. 1. Concilium Arelatense primum recte appellatur *plenarium.* Ad illud enim convenerant plurimi ex diversis, *ac prope infinitis locis*, ut scribit Constantinus ad Chrestum Syracusanum. Eidem Concilio interfuisse DC. Episcopos inquit Ado Viennensis in Chronico,

Chronico, confirmatque id Epistola ad Silvestrum, quæ juxta antiquissimum Codicem Corbejensem habet: *Domino sanctissimo fratri Silvestro cœtus Episcoporum sexcentorum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi.* Præterea Concilium ex una tantum provincia collectum appellari *plenarium*, constat ex canone 65. codicis Africani. Ipsum concilium Donatistarum Bagajense dicitur ab Augustino *plenarium* lib. 2. contra Ep. Parmen. cap. 3. num. 7. aliisque in locis, quamvis ad illum convenerint soli Episcopi Donatiani, numero cccx. Potiori itaque jure *plenarium* dici poterat ab Augustino Concilium Arelatense, ex omnibus Episcopis transmarinis collectum.

Resp. nequaquam à nobis institui quæstionem, an Synodus Arelatensis dici possit *plenaria;* disceptamus, an sit ea plenaria, de qua loquitur Augustinus: id vero negamus, quoniam *plenaria* & *universalis* per antonomasiâ dici non potest, ac multo minus *totius orbis;* imo nec *Concilium*, sed tantum *judicium Arelatense* appellatur à S. Patre in literis ad Eleusium, & *judicium transmarinum* lib. 3. contra Cress. cap. 13. num. 16. Quot Episcopi convenerint ad Synodum Arelatensem, nobis incertum est, XXXIII. invenimus in subscriptionibus; sed non inficiabor deesse aliquos. Ducentos Episcopos ibidem convenisse scribit Baronius ad anno 314. num. 16. idem tenet Pagius ad eundem annum, num. 22. nec aliter Nat. Alexander dis. IV. sæc. 4. quæst. 2. Id colligunt ex Augustino scribente lib. 1. contra Epistolam Parmen. cap. 5. *Usque adeo* (Donatistæ) *dementes sunt homines, ut ducentos judices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos.* At habet castigata lectio, *contra judices*, non, *ducentos judices;* eaque verba, *esse postponendos*, contra omnium ferè exemplarium fidem addita sunt. Eo item loci de Concilio Melchiadis, in quo novendecim tantum adfuerunt Episcopi, non de Arelatensi, loquitur Augustinus. Frustra ergo inde colligas numerum ducentorum Episcoporum. Corbejensis, & Morbacensis Codices, qui habent *sexcentos*, & unde Ado in errorem fortassis inductus est, emendari debent ex Colbertino exemplari, quod fuit olim ipsius Ecclesiæ Arelatensis, & in quo legitur tantum, *cœtus Episcoporum*, omisso, *sexcentorum.* Incredibile est autem majorem Episcoporum numerum convenisse Arelate, quàm Nicææ ad Synodum œcumenicam, & superato Licinio celebratam; quamquam ad Arelatensium Patrum multitudinem exaggerandam, Constantinus illos convenisse scribat *ex infinitis prope locis;* ne singulas Gallicanas urbes, unde Episcopi acciti erant, epistolæ ad Chrestum insereret. Adde ἀμυθήτων, ut est in Græco, non valere, *ex infinitis*, sed, *quæ necessum non est recensere:* μυθέομαι enim est *dicere, eloqui;* unde Joannes Nicolai reddendum putat, *indicibilibus:* Sirmondus legit, *ex diversis compluribus.* Bagajensem vero Synodum Augustinus non dixit *absolute* plenariam, sed plenariam Donatistarum: vel ut inquiunt Nat. Alex. dis. 24. sæc. 3. & Tournelius de Sacram. in gen. q. 7. art. 2. Augustinus *ironice*, non ex propria sententia locutus est. Addimus citato cap. 3. eodemque in loco, S. Patrem Bagajense Concilium appellasse *plenarium trecentorum decem* Donatistarum, *qui cum universis provinciis Africæ convenerunt:* non vero *plenarium totius orbis.*

Resp.

Opp. 2. Plura in Augustino inveniuntur, quæ demonstrant ab illo plenarium Concilium, de quo disputatur, non aliud intelligi præter Arelatense. Principio illud appellat *Transmarinum*, lib. 2. de Bapt. cap. 8. num. 14. *Transmarinum* autem dici nequit Nicænum, in Bithynia, quæ Asiæ minoris regio est, celebratum. 43. Objectio 1.

Deinde Epistola 167. ad Festum, nunc 89. num. 3. judicium Arelatense pronuntiatum dicit, *ab omnibus transmarinis Episcopis.* Nec aliter Conc. 2. in Psal. 36. num. 22. Victos etiam, ac superatos Donatistas *totius orbis auctoritate, totius orbis judicio* affirmat S. Pater lib. 3. contra Parmen. cap. 4. num. 21. & cap. 6. num. 3. 2.

Insuper in Epistola ad Eleusium 43. posteaquam de causa Donatistarum scripserat: *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, &c.* num. 20. inquit: *Dedit ille*, id est Constantinus, *aliud Arelatense judicium:* ideoque Concilium Arelatense est illud plenarium, transmarinum, ac totius orbis, in quo universæ Ecclesiæ circa baptismum hæreticorum consuetudo certa evasit & confirmata. 3.

Demum si Concilium illud plenarium in mente Augustini est Nicænum, cur illud suo nomine non appellavit, dum id causæ catholicorum prodesse poterat, obesse, inquit, Launojus, non poterat? 4.

Solet ad primum responderi cum Joanne Nicolai, & Nat. Alexandro etiam Concilium Nicænum Afris dici *transmarinum:* quoniam S. Pater lib. 2. contra 44. Resp. ad 2.

Crescónium cap. 37. num. 47. plurimis enumeratis Ecclesiis, inter quas recenset *Ecclesias Ponti, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, inquit de Afris, *Habent cum illis transmarinis Ecclesiis societatem, &c.* Ubi proculdubio Augustinus *transmarinas* appellat omnes Ecclesias extra Africam, quæ mari Lybico, Arabico, & Atlantico clauditur, constitutas. Ego tamen non nego Augustinum *transmarinum* dicere etiam Concilium Arelatense; siquidem de Cæciliano inquit in Psalmum 36. *Purgavit se ille in transmarino judicio:* & lib. 3. contra Crescónium cap. 13. num. 16. *Factum est pro Cæciliano posterius judicium transmarinum, vestris apud Constantinum Imperatorem ut fieret instantibus:* quibus in locis agi de judicio Arelatensi perspicuum erit legentibus. Sed quid inde? Lib. 2. de Baptismo cap. 8. non ait S. Pater, ætate Cypriani nondum factum Concilium universale ac totius orbis transmarinum. Tantummodo disjunctive loquitur: *Nondum autem factum erat transmarinum, vel universale Concilium*, id est, nondum factum erat vel *transmarinum* Capuanum, à quo statutum *ne fiant rebaptizationes* habetur in Cod. Concil. Africæ num. 15. vel transmarinum aliud, vel *universale* Nicænum; ex quibus Conciliis, sive ex universa Ecclesia collectis, sive ex provinciis saltem transmarinis, potuisset Cyprianus antiquam agnoscere consuetudinem.

ad 2. Neque in Epistola ad Festum ait S. Pater ad Arelatensem Synodum convenisse *Transmarinos omnes Episcopos*, sed ait Donatistas non ad transmarinos Episcopos, sed ad Constantinum causam Cæciliani detulisse post latum Arelatense judicium; qua in re S. Præsul illorum pertinaciam & iniquitatem redarguit: *Apud quem*, inquit de Constantino, *ultro Cæciliani accusatores fuerunt, cujus auctoritatem omnibus transmarinis Episcopis prætulerunt, ut non ad alios, sed ad illum Ecclesiæ causam deferrent.* Quare *Transmarini omnes Episcopi* non sunt Arelatenses, qui ad Constantini nutum judicarunt causam Cæciliani, sed sunt Episcopi omnes Occidentales, ad quorum potius, quàm ad Tribunal Imperatoris, erat eadem causa deferenda. Sermone autem 2. in Ps. 36. non ait Augustinus purgatum Cæcilianum in Concilio totius orbis, sed, *Purgavit se*, inquit, *in transmarino judicio. Consensit huic judicio universus terrarum orbis.* Consensit autem, non interfuit; consensitque communcians Afris, & fide tenens Ecclesiam extra Africæ fines diffusam verum habere baptismum. *Sed dicturus es mihi*, (ait paulo infra Augustinus) *nunquid Donatistas millia Episcoporum damnaverunt de toto orbe terrarum? Optime, non damnarunt. Quare non damnarunt? Quia judicio non interfuerunt. Si judicio non interfuerunt, propterea non damnaverunt, quia causam illam penitus nescierunt.* Ac subinde damnasse demonstrat, quoniam nec Mosopotami, nec Syri, nec Pontici, nec alii longius constituti rebaptizantur. Hinc apparet, quo sensu scribat Augustinus superatos Donatistas *judicio, atque auctoritate totius orbis*, nec tamen Arelatense Concilium sit illud universale, ac plenarium, de quo disputamus.

At quod ex Epistola ad Eleusium depromitur, facere contra adversarios ostendimus paulo supra. Adde ibi Augustinum num. 20. appellare judicium Arelatense, *judicium aliorum Episcoporum:* superiori autem numero egerat de Concilio *plenario Ecclesiæ universæ*, ubi causa agitaretur cum iisdem Episcopis, *qui Romæ judicarunt.* Ibi etiam scripsit devictos Donatistas à toto orbe terrarum, quoniam *cum Cæciliano permansit orbis terrarum communio, & ad eum à transmarinis Ecclesiis communicatoriæ literæ missæ sunt, non ad illum, quem ipsis scelerate ordinaverant.* Atque ita omnia sententiæ cohærent nostræ. ad 3.

Tandem Augustinus Concilium Nicænum proprio nomine non appellavit, quoniam nullum aliud erat eo temporis universale ac plenarium totius orbis; neque hoc tantum, sed & aliis judiciis Episcopalibus opinio rebaptizantium fuerat eliminata & exposa. ad 4.

Opp. ultimo: Si rebaptizantium opinio Nicæno canone fuisset proscripta, id neque S. Basilius, neque Athanasius, neque Epiphanius ignorassent; quorum primus docuit omnes hæreticos rebaptizandos in priori ad Amphilochium canone; & canone 47. de XCIII. Synodi Trullanæ spectante ad Encratitas, inquit & istos non admittendos nisi rebaptizentur, & si aliqui oppositum sentiant, oportere *ut plures simul sint Episcopi, & sic canonem exponant:* quod utique Basilius non affirmasset, si nosset rem in Nicæna Synodo definitam. Athanasius pariter Orat. 2. rejecit baptismum Arianorum: & Epiphanius in Expositione Catholicæ fidei ait controversiam Rebaptizantium nondum *Synodi judicio* decisam. 45. Objectio ult.

Resp.

Responsio.

Resp. illud nos principio ab adversariis quærere, quomodo Basilius, Athanasius, Epiphanius ignorarint definitionem Synodi Arelatensis, si fuit istud *plenarium totius orbis*, collectum *ex infinitis prope locis*, atque *ex omnibus mundi partibus*, majus Nicæno *fere duplo*, & Constantinopolitano 1. *quadruplo*, *sexcentorum* denique *Episcoporum*, ut contra Nicolajum clamitat Launojus? Deinde asserimus hoc argumento nihil evinci. Primum, quia etsi Patres aliqui existimarint actum in Nicæno Concilio de solis Paullianistis, non sequitur eandem fuisse sententiam Augustini, quemadmodum non fuit Hieronymi, & Innocentii. Præterea Basilius subrogatus in sedem Firmiliani, qui statuerat omnes hæreticos rebaptizandos, inhærens inolitæ Cappadocum consuetudini, existimavit Nicænam Synodum non ut regulam dogmatis, sed disciplinæ juxta regionum consuetudinem variabilis, decimumnonum canonem edidisse. Nam Basilius canone 1. ait nonnullos Asiaticos probare hæreticorum baptisma *propter multorum œconomiam & dispensationem*, ut diximus prop. VIII. & præcitato canone 47. *Si autem*, inquit, *prohibita est apud nos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicujus œconomiæ gratia, &c.* Vid. edit. Sonnii pag. 782. Idem ad Epiphanium respondet Norisius Tom. IV. pag 182. sed arbitror Epiphanium de solis Arianis pertractare, quos utique rebaptizandos *nullius Synodi judicio* decisum est. De Athanasio autem aperui mentem meam prop. præcedenti.

46. Propositio XI. Præter Nicænum canonem, multæ aliæ Ecclesiasticæ definitiones probarunt baptisma hæreticorum, verbis Evangelicis, id est, invocatione S. Trinitatis collatum.

Propositio II. Etiam aliæ definitiones Eccles. probárunt baptisma hæreticorum.

1. Synodus Romana.

Etenim anno 313. Romana Synodus sub Melchiade damnavit Donatum à Casis nigris, *quod confessus sit rebaptizasse*, inquit Optatus lib. 1. num. 24. Dixi id factum anno 313. licet Optatus scribat *Constantino quater, & Licinio ter Consulibus.* Fuit enim Constantinus IV. Consul anno 315. non solum post Romanam, sed etiam Arelatensem celebratam Synodum: quare Augustinus libro post Collat. cap. 33. n. 56. inquit: *Nam Melchiades judicavit Constantino ter & Licinio iterum consulibus, sexto nonas Octobris*, id est, anno 313. in quem concurrit Consulatus tertius Constantini, & secundus Licinii, aut si numeretur Consulatus Licinii suffectus anni 313. tertius ipsius quoque Licinii; atque ita scriptum à pluribus absque mendo, *Constantino ter, & Licinio ter Cos.* quod moneo, ne Augustini verba censeas castiganda. II. Sequitur Synodus Arelatensis celebrata anno 314. cujus extat VIII. canon: *De Afris autem, quod propria lege sua utantur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis hæreticus venerit, interrogent eum symbolum, & si perviderint eum in Patre Filio & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur: quod si interrogatus symbolum, non responderit Trinitatem, tunc merito baptizetur.* III. Deinde Concilium Nicænum, de quo supra, canone 8. Catharos, sive Novatianos in Ecclesiam admittendos jussit sola manuum impositione, canone autem 19. rebaptizandos Paullianistas, regulam baptismatis non tenentes, ut superiori propositione differebamus. IV. Synodus Laodicæna celebrata, ut inquiunt, anno 364. canone 8. *omni industria institui & baptizari* præcepit Montanistas, & Cataphrygas, quos non servasse præscriptam formam baptismatis diximus octavo capite. Ambiguum tamen est quod canone 7. ejusdem Synodi habetur, Novatianos, Photinianos, & Quartodecimanos, *edoctos fidei symbola, & inunctos sacro oleo fieri participes sancti mysterii;* cum Photiniani vix discreparint à Paullianistis: unde vel Photiniani, ut censet Binius, præter fidem antiqui codicis, intrusi sunt; vel saltem illorum aliqui cum Samosatensibus dogmate, non ritu baptismatis convenerunt. V. Rebaptizandos *Eunomianos, Montanistas, & Sabellianos*, non vero Arianos, Macedonianos, & Novatianos, statuit anno 381. Constantinopolitanum primum, sive secundum generale Concilium, canone 7. non alia ratione, nisi quia primi tingentes verbis Evangelicis non utebantur. VI. Siricius Papa anno 386. in Synodo Romana sanxit, *ut venientes à Novatianis, vel Montensibus* (id est Donatistis) *per manus impositionem recipiantur*, hac ratione addita, *Quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati.* Vide Innoc Epist. ad Victricium cap. 8. & quam ad Africanos dedit ipse Siricius, vindicatam à Cl. P. Constantio Tom 1. Epist. Rom. Pontif. VII. Anno 389 Concilium Capuanum, quod Synodus III. Carthag. can. 38. appellat *plenarium*, & eod. can. Afric. can. 68. *transmarinum*, decrevit canone 38. *Non liceat fieri rebaptizationes.* Synodus Hipponensis anni 393. confirmata in Concilio Carthaginensi anno 397. edidit decretum, ut in recipiendis Donatistis *invitatæ*

2. Arelatensis.

3. Nicæna.

4. Laodicæna.

5. Constantinopolitana.

6. Romana.

7. Capuana.

8. Hipponensis.

9. Triolentina.

*tatæ pacis compensatione & sacrificio charitatis aboleantur quæ majorum suorum auctoritatem sequentes repetitione baptismatis commiserunt.* IX. His, aliisque insistens sacrosancta Synodus Tridentina sess. VII, can. 4. ita statuit: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.*

47. Propositio 12. Augustorum legibus proscriptus est Rebaptismus.

PROPOSITIO XII. Postremo etiam Augustorum legibus proscriptus est Rebaptismus.

Non est animus in medium proferre leges singulas in Donatistas ab Imperatoribus latas. Eas in unum collectas vide in Append. Tom. IX. Operum S. P. Augustini, in monumentis additis ad libros Optati, & in historia Donatistarum Norisiana. Seligam quæ ad præsens attinent institutum. I. Est lex Valentiniani senioris anno 373. die 20. Febr. quæ declarat *Sacerdotio indignum antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit.* II. Gratiani anno 377. die 17. Octobr. in qua habetur: *Eorum condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes.* Laudatur ibidem divalis Constantini, Constantii, & Valentiniani. III. Lex Honorii anno 405. die 12. Februarii: *Rebaptizantium non patimur devios errores.* IV. Lex ejusdem Honorii lata per idem temporis: *Quisquis posthac fuerit rebaptizasse detectus, Judici, qui provinciæ præsidet, deferatur, ut facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum afficiatur, expendat.* V. Est lex consimilis eadem die, eodemque fine ab ipso Honorio emissa, ne *divinam gratiam sub repetito baptismate pollutam Donatistarum secreta violarent, &c.* Vid. Cod. Theodosianum lib. XVI. Tit. 6. *Ne sanctum baptisma iteretur.* Hactenus de historicis circa Anabaptismum velitationibus.

# CAPUT XIV.

## Demonstratur baptismum ab hæreticis, & à paganis collatum esse validum ac legitimum.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Usque ad 6. Valet baptismus datus ab hæreticis in Nomine Trinitatis.
6. Usque ad 10. Satisfit objectionibus.
11. Tenet baptismus à pagano datus.
12. 13. Solvuntur objectiones.

1. Status Quæstionis.

INstituitur quæstio, ut ex præcedentibus dissertationibus manifestum est, de baptismo Evangelicis verbis, id est, præscripta in Evangelio formula consecrato, & collato cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quæritur etiam de baptismatis *charactere*, non de gratia: hanc enim, si hæreticorum baptismus ratus est, certo consequuntur infantes, necnon adulti, qui bona fide, alio ministro destituti, neque hæreticis communicantes, ab his recipiunt regenerationis lavacrum; illi vero, qui hæresi consentiunt, aut baptismum extra Ecclesiam sponte suscipiunt: nec dare, nec habere possunt remissionem peccatorum: *Corporalia enim sacramenta, quæ portant & celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis. Virtus vero pietatis invisibilis & spiritalis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore.* Causa 1. q. 1. c. 49.

2. Propositio 1. Valet baptismus ab hæreticis datus in Nomine Trinitatis. Prob. 1. Ex Conciliis & Decretis.

PROPOSITIO I. Valet baptismus datus ab hæreticis *in Nomine Trinitatis.*

Luculenter hanc propositionem confirmant producta præcedenti capite munimenta, ac præsertim Ecclesiasticæ definitiones, Ecclesiæ consuetudo, atque traditio Patrum, quibus accedunt divinæ Scripturæ testimonia, pluraque argumenta Augustini Donatistas naviter oppugnantis. I. Priorem tenent locum Conciliorum canones, de quibus paulo supra. His accedunt decreta Romanorum Pontificum collecta à Gratiano de Consecrat. dist. IV. nimirum cap. 27. *Si qui apud illos*, ex Epistola S. Leonis 2. aliàs 29. scripta anno 443. in Galliam

liam: cap. *Qui his ignoranter*, n. 98. ex Epist. Felicis III. data anno 488. ad universos Episcopos: cap. 19. *Quamvis unum baptisma*, ex Epistola Pelagii ad Gaudentium conscripta anno 557. cap. 43. *Non in vobis*, ex Epist. S. Gregorii 61. lib. IX. ad Quirinum, in Iberiam directa. an. 601. cap. 51. *Sive hæreticus*, ex Epist. 1. cap. 1. Gregorii III. missa an. 738. ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum. Præscribitur hisce decretis, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizati sunt, nullatenus novo baptismate tingantur, & ad Catholicam venientes sola reconciliationis impensa gratia recipiantur, ut inquit S. P. lib. 1. de Baptis. cap. 1. num. 2. sive juxta Ecclesiæ consuetudinem per impositionem manus, sive per unctionem chrismatis, ut habetur in cap. *Ab antiqua*, præcitata dist. IV. de Consecrat. Definitionibus igitur Ecclesiasticis perspicuum est valere hæreticorum baptisma.

3. Prob. 2 ex consuetudine.

Idem demonstratur Ecclesiæ vetustissima consuetudine. Hæc primum comprobatur Stephani decreto, de quo prop. 4. superioris cap. ipso enim decreto in Romana Synodo emanato declaratur in more positum à primordiis Ecclesiæ, ut hæretici manuum impositione, non repetito lavacro suscipiantur. Quod perpendens Lirinensis cap. 4. Common. recte scripsit, Agrippinum omnium primum censuisse rebaptizandum, *contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem & instituta majorum.* Eandem consuetudinem commonstravit plenarium Concilium Nicænum, & quæ postea sunt consecuta. Ejusdem testis Hieronymus, scribens adversus Luciferianos de Epistolis Cypriani: *In quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis, lacerat errorem.* Augustinus perantiquam consuetudinem illam in libris de Baptismo invicte commonstrat: ac primum lib. 2. de Baptismo cap. VII. num. 12. ait consuetudinem ipsam *ex Apostolorum traditione* derivatam; idque probat, quoniam *quæ per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Addit ex Confessione Cypriani, *hanc saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum quasi cœpisse corrigi*: sed verius credendum, *corrumpi cœpisse non corrigi.* Cap. IX. ejusdem libri num. 14. ipsiusmet consuetudinis vetustatem ex ipso Cypriano confirmat, ex quo scilicet, sanctus Martyr adversus illam pugnaret, quoniam *hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Libro autem tertio cap. XII. num. 17. probat Augustinus, nec post Aggrippinum in Africa Repabtismum communiter obtinuisse, atque ita ratiocinatur: *Si permanebat ab Aggrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt à Cypriano de hac re Concilia? Ut quid eidem Jubajano dicit, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino constitutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Aggrippini sanari oporteret, si ab Aggrippino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegæ in Concilio dixerunt rationem & veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos, quid aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra consuetudinem facere?* Exhibent hæc Augustini verba aliud vetustæ consuetudinis argumentum depromptum ex ipsis rebaptizantibus. Revera S. Cyprianus Ep. 71. ad Quintum, *Non est*, (ait) *de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum:* & 74. ad Pompejum: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* In Epist. etiam ad Jubajanum 73. inquit: *Sed dicet aliquis, quid ergo fiet de iis, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt*; Quo in loco, ut peracute notat Augustinus lib. 2. de Bapt. cap. 9. *Aperte indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ.* Consuetudo itaque, ac traditio majorum demonstrat valere baptisinum ab hæreticis in nomine Trinitatis collatum.

4. Prob 3. ex Scriptura.

Divinæ Scripturæ testimonia priori loco, ut solemus, non produximus; non enim expresse dirimunt quæstionem istam, & bene ac sapienter ajebat Augustinus in primo adversus Cresconium n. 39. *Quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum; earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* Faciunt tamen ad rem nostram ea loca, quæ ostendunt Christum, non aliquem ministrantium, esse illum, *qui baptizat in Spiritu sancto*, ut Joan. 1. 33. de quo loco plura differui pertractans de probitate eorum, qui Sacramenta dispensant, sectatus quæ S. P. docet

Tract. v. in Joannem. Hinc depromsit hujus asserti rationem præcipuam S. Thomas q. LXIV. art. 9. ubi demonstrat fidem ministri non requiri ad Sacramentum perficiendum, quoniam ille non in propria, sed in Christi virtute operatur.

5. Prob. 4. ex rationibus. 1. At ne scholasticæ methodi omnino videamur obliti, Catholicam veritatem confirmabimus nonnullis Theologicis ratiocinationibus. Quarum sit prima: Baptismus *propria sanctitate ac veritate constat*; ergo neque improbitate, neque infidelitate ministrantium potest labefactari. Probat antecedens Augustinus lib. III. de Bapt. cap. 10. num. 15. *quia Sacramento divina virtus assistit*; quia neque lucernæ lux, *cum per cœnosa diffunditur*, inde aliquid sordium contrahit; quia etsi res visibiles, quibus sacramenta tractantur, corruptibiles sint, *id tamen quod per illas agitur non potest corrumpi, quamvis homines, per quos agitur, pro suis moribus vel præmia percipiant, vel pœnas luant.* Confirmat S. Pater idem argumentum lib. v. cap. 19. num. 27. quoniam per Cyprianum in Epist. ad Jubajanum valet baptismus ab eo datus, qui malevola invidia tabescit, & quem *homicidam*, & *intenebris esse* testatur Epist. 1. 2. 3. Joannes. Objicienti ergo, quod hæresis Sacramentum inficiat, his occurrit S. P. Augustinus: *Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ?* Quasi ita ratiocinetur: Ex confessione Rebaptizantium crimen odii & invidentiæ non labefactat Sacramenti sanctitatem. Ergo error & hæresis non tollit Sacramenti veritatem. Idem confirmat S. Pater lib. v. cap. VIII. num. 9. aptissima comparatione: Sicut de lege dixit Apostolus, *Bona est lex si quis ea legitime utatur; ita de Baptismo recte dicere possumus, Bonus est baptismus, si quis eo legitime utatur: & sicut non faciebant tunc, ut lex bona non esset, aut omnino nulla esset, quia ea non legitime utebantur; sic nullo modo facit, ut baptismus bonus non sit, aut ut omnino baptismus non sit, quisquis eo, sive quia in hæresi, sive quia in pessimis moribus vivit, non legitime utitur.* Brevi comparationem ipsam propono: Prævaricatoris impietas legem impiam non reddit; igitur neque error ministrantium reddit Sacramentum nullum & fallax. 2. Altera ratiocinatio sit: Unus baptismus est, qui vel in hæresi, vel in Catholica datur; Baptismus itaque hæreticorum repeti nequit. Consequentia est legitima, siquidem præcipua Rebaptizantium ratio petitur ex quo baptisma sit unum, ideoque diversa baptismata nequeant approbari. Antecedens autem ab Augustino probatur præcitato Tractatu v. in Joannem num. 18. quia Christi, non ministrorum baptismus est, & ideo *quos baptizant ebrioti, adulteri, homicidæ* (idem dic de hæreticis) *Christus baptizat*, & confertur unus idemque baptismus. Corroborat Augustinus eandem argumentationem lib. 2. contra lit. Petil. num. 57. quoniam Baptismus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti *Christum habet auctorem, non quemlibet hominem: & Christus est veritas, non quilibet homo.* Similia in lib. de Unit. Eccl. cap. 23. n. 65. Utitur ad idem confirmandum in libro de unico baptismo contra Petilian. cap. 8. num. 13. argumento à pari: *Hic fortasse dicat, jam non esse Christi sacramentum, quod à sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod à sacrilegis dicitur?* & post pauca: *Sicut illud nomen est Jesu Christi, ita & iste baptismus Jesu Christi,* Continent hæc Augustini verba enthymema istud: Unum est ac idem Christi nomen prolatum ab Apostolis, & à Pseudoprophetis; igitur unus pariter idemque baptismus est, sive à Catholicis collatus, sive ab hæreticis. Urget S. Pater lib. VII. de Baptismo cap. 14. num. 27. sententiam Rebaptizantium, præsertim Cypriani approbantis baptismum iniquorum, & ait: *Cur non etiam ille duos baptismos facit, qui dicit quia & iniqui baptizant?* quæ verba aliud nobis enthymema suppeditant, videlicet: Unus est baptismus, sive à bono, sive à malo collatus; igitur & unus est, sive ab infideli conferatur, sive à fideli. Ratiocinatio tertia sit: Potest baptismus conferri extra catholicam Ecclesiam: Ergo conferri potest ab hæreticis. 3. Antecedens probatur ab Augustino lib. 1. de Baptismo cap. 1. num. 2. quoniam *redeuntes, qui prius quam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur*; ideoque extra unitatem Ecclesiæ baptismus non amittitur. *Quod si haberi foris potest, etiam dari cur non potest?* Addit lib. III. cap. XV. num. 20. petitam ex scripturis divinis comparationem, dicens: *Sacramenta si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur, & discordiose tractantur: sicut*

*sicut scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur:* quasi diceret, Asservari potest scriptura in manu hæreticorum, igitur & *baptismus.* Insuper acutissime Augustinus demonstrat posse generari Ecclesiæ filios per baptismum Christi etiam extra Ecclesiam, quemadmodum Abrahæ ex Agar Gen. 16. 15. natus est Ismael, & Rachel uxor Jacob filios sibi acquisivit ex utero ancillæ suæ Balam: Lia quoque obtinuit filios ex utero Zelphæ Gen. 30. 3. 9. *Cum tales à spiritualibus evangelizantur, & sacramentis imbuuntur,* (inquit Aug. lib. 1. de Bapt. cap. XVI. num. 25.) *tanquam per se ipsam Rebecca eos parit, sicut Esau: cum autem per illos, qui non caste annuntiant Evangelium, tales in Dei populo generantur, Sara quidem, sed per Agar. Item boni spiritales, quando evangelizantibus vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem vel Rachel jure conjugali eos, sed per ancillarum uterum parit.* Sed oporteret, si argumenta omnia colligenda forent, exscribere universum fere Tomum IX. sive Augustini Polemicas contra Donatistas lucubrationes.

6. **Objiciuntur primo Textus scripturæ.** Facile ex dictis objecta omnia solvuntur: quæ cum permulta sint, ad tria tamen capita revocantur, ad scripturas, ad auctoritatem majorum, atque ad rationem. Ex scripturis hæc opponuntur. 1. I. Baptismus unus est, scribente Apostolo ad Ephes. IV. 5. *Una fides, unum baptisma*; ut ergo hæretici non habent fidem, ita nec baptismum. 2. II. Una pariter est Ecclesia: de qua Cant. IV. 12. *Hortus conclusus, fons signatus,* & IV. 8. *Una est columba mea, perfecta mea.* Nequeunt hæretici in hortum istum conclusum ingredi, utpote qui extra Ecclesiæ unitatem ejecti sunt; ideoque eundem fontem aquarum viventium non poterunt nobiscum habere communem. 3. III. Ait Apostolus ad Galatas III. 27. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Christum non induunt, qui ab hæreticis tinguntur; ergo nec verè baptizantur. 4. IV. De hæreticis prænuntiatum à Jeremia II. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam.* Quomodo ergo habent hæretici *fontem aquæ vivæ, & salientis in vitam æternam,* id est salvificam undam baptismatis? Accedit quod aqua hæreticorum profana est & adultera. 5. V. De his qui ab hæreticis tinguntur Ecclesiasticus prædixit XXXIV, 30. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Inane est itaque lavacrum hæreticorum. Huc spectant, quæ de ministro improbo diximus lib. XXX. cap. XIV.

7. **Respondetur Ad 1.** Resp. ad 1. utique unum esse baptismum Christi, sed esse unum tam in manibus hæreticorum, quàm Catholicorum, ut *de Scriptura,* atque *de Christi nomine* dictum supra. Quod objicitur de fide, retorquetur ab Augustino lib. V. de Baptismo cap. XXVI. n. 37. nam Apostolus eo loci etiam ait unam esse spem: *Vocati estis,* inquit, *in una spe vocationis vestræ.* At *ipsis Apostolorum temporibus* fuerunt *quibus una spes non erat,* & tamen *erat unum baptisma,* cujus generis erant, *qui negabant resurrectionem mortuorum,* & nihilominus baptizati erant, ex 1. ad Corinth. XV. 12. Igitur unum pariter erit baptisma in iis, qui non habent eandem fidem. Ratio autem, cur fide ablata permaneat baptismus, est quia Sacramentum baptismi spectat ad Ecclesiam, tanquam signum, nota, & character Christi fidelium: notæ vero, & characteres permanent quoque in transfugis & apostatis; ut lib. 2. contra Parmen. cap. XIII. n. 29. idem Augustinus declarat. **Ad 2.** Ad 2. respondetur cum D. Patre cit. libro V. cap. 27. n. 38. si hortum conclusum, fontemque signatum intelligamus Ecclesiam Sanctorum, non esse *in avaris, & fraudatoribus, & raptoribus, & fæneratoribus, & invidis, qui tamen cum justis baptismum habent communem*: itaque eundem baptismum eodem pacto habere possunt hæretici. Si vero *hortum conclusum* dicas Ecclesiam hujus temporis, in qua mali cum bonis permixti sunt, in ipsa Ecclesia sunt quædam propria sanctorum, ut charitas; quædam communia sanctis & improbis, ut fides; quædam permanentia extra Ecclesiæ corpus, *ut sacrosancta mysteria*: & consequenter hæretici, quamvis charitate & fide careant, habere possunt nihilominus sacramenta. Adde Cap. 45. de Consecr. dist. IV. *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem ejus baptismum homines etiam foris recipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut scriptura testatur, etiam foras largiter mana-*

Ad 3. *naverunt.* Ad 3. hæc sit responsio: Avari non sunt templum Dei; ait enim Apostolus 2. ad Corinth. VI. 16. *Quæ societas templo Dei cum idolis?* & avaritiam *idololatriam* esse Paullus ipse, necnon Cyprianus affirmant. Baptizati tamen ab avaris induunt Christum. Cur illum induere non possunt baptizati ab hæreticis? Adde homines *induere Christum duplici modo; quantum ad sacramenti perceptionem; & quantum ad vitæ sanctificationem*: quorum primum bonis & malis commune est, alterum proprium bonorum & piorum. Vide Augustinum eodem libro cap. XXIV. num. 34. Præmonui capite superiori, Cyprianum aliosque Rebaptizantes in istiusmodi argumentis discrimen inter sacramentum, & gratiam sedulo non

Ad 4. advertisse. Ad quartum reponimus, eos etiam, qui profitentur fidem, & vitiis indulgent, dereliquisse Deum fontem aquarum viventium: *Neque enim pedibus, ac non corde relinquitur Deus.* Præterea dicimus nec istos, neque hæreticos habere aquam viventem, *quantum ad sanctificationem vitæ*; quamquam illam habent *quantum ad participationem sacramenti.* Adeas librum 2. contra Parmenianum cap. X. num. 20. Affirmamus quoque non esse aquam profanam, *super quam nomen Dei invocatur:* quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen profanum est. Ita c. *Non est aqua*, 50. de Consecr. dist. IV. & S. P. lib. III. de Bapt. cap. 10. n. 15.

Ad 5. Ultimum sic diluitur: Si mortui non baptizant, quare Donatistæ fatebantur in schismate baptizasse Felicianum? quare susceperunt, *quos ille mortuus in schismate baptizavit?* atque, ut alloquamur rebaptizantes alios, quare baptizant invidi, & odio habentes fratrem suum, *qui manent in morte?* Directe autem respondeo primum, baptizari à mortuo paganos, qui homines colunt, *in quorum nomine baptizantur*; ita Augustinus cit. libro 2. num. 22. deinde affirmo non baptizari à mortuo; *qui baptizantur à Christo*; ita S. Pater lib. 2. contra Cresconium Donatistam cap. 25. num. 30. De ipso Ecclesiastici loco vide quæ scripsimus pag. 146. hujusce voluminis.

8.
Objicitur secundo ab auctoritate. I 2.

Ex majorum auctoritate objiciuntur primo Cypriani, aliorumque testimonia, de quibus puto me satis superque disseruisse. II. Objiciuntur canones Apostolici 45. & 46. quorum primus est: *Episcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi jubemus:* alter vero, *Episcopus vel presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.* III. Leo I. Epist. ad Nicetam, Urbanus II. Epist. ad Lucium, aliique Pontifices tradiderunt hæreticorum Sacramenta non posse sanctificationem conferre, & formam quidem, & speciem quamdam habere, non autem virtutem Sacramentorum. 3.

9. Respondetur Ad 1.

Resp. ad primum ipsos Patres, qui steterunt pro Rebaptismo, minime denegasse contrariam vetustissimamque consuetudinem, postea plenariis Conciliis, Romanorum Pontificum statutis, reique matura discussione corroboratam. Ad secundum vulgaris est responsio, prædictos canones editos in aliqua Synodo Rebaptizantium, scilicet, in Iconiensi, vel Synnadensi, ac deinde alicujus collectoris inscitia in numerum Apostolicorum intrusos: siquidem nec Cyprianus, nec Firmilianus, nec Rebaptizantium aliquis eosdem canones laudavit ad sententiam suam confirmandam, quod non solum Theologi Scholastici observarunt, verum etiam Zegerus Van-Espen pag. 3. Tract. Historico-canonici cap. 3. §. 4. & viri alii quamplurimi. Si genuini probantur, accipiendi erunt iidem canones de hæreticis baptismi *formam* adulterantibus. Ad 3. dicimus Leonem, Urbanum, & alios locutos de sanctificatione, non autem de perceptione Sacramenti, *Cæterum* inquit Gratianus dist. XXXII. c. 6. §. 4. *schismaticorum & hæreticorum sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta sanctorum Patrum traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, & Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi, vel eorum sacramentis initiati, per manus impositionem ad Catholicam redierint unitatem.* Vid. Aug. lib. IV. contra Donat. cap. 4. num. 5. lib. 2. contra Parmen. cap. XIII. num. 30. & Epist. 164. ad Eremitum, nunc 87. num. 9. Ad 2. Ad 3.

10. Objicitur tertiò ex ratione. I.

A ratione hac præsertim objiciuntur. I. Per baptismum, & Sacramentum regenerationis homines gignuntur filii Dei: atqui filii Dei generari non possunt nisi à Christi sponsa, id est, ab Ecclesia Catholica: Igitur

Igitur in sola Ecclesia Catholica est baptismus, & sacramentum regenerationis. II. Hæreticus Ecclesiæ membrum non est: nec ergo est minister. Item hæreticus non habet Spiritum sanctum; quomodo ergo potest Spiritum sanctum conferre? Rursus penes hæreticum in Christi sacramenta nullum jus est: irritum est ergo collatum ab hæretico Sacramentum. III. Rebaptizatum est post baptismum Joannis, ex Act. XIX. 5. Ergo multo magis rebaptizandum est post baptismum hæreticorum.

2.

3.

II. Respondetur Ad 1. Resp. ad primum dist. mi. Sola Ecclesia Catholica generare potest Christi filios, vel proprio utero, vel utero ancillarum suarum, concedo; utero duntaxat proprio, nego. Explicavimus supra responsionem istam exemplo filiorum Abraham, & Jacob, quorum aliquos procrearunt Agar, & Zelpha.

Ad 2. Ad secundum, nego conseq. minister enim Sacramentorum est causa instrumentalis, & Deus tam uti potest instrumentis sibi charitate, aut fide conjunctis, quàm instrumentis à se per culpam, vel apostasiam separatis, ut sæpenumero iisdem usus est in perpetrandis miraculis ad gloriam nominis sui, fideique argumentum: & ex quo minister sit instrumentalis causa Christi baptizantis, necessum non est, ut habeat Spiritum sanctum; quem non virtute sua minister ipse communicat, sed virtute Christi, & vi Sacramenti producentis gratiam efficientia sua, non ex meritis operantis. Verum tamen est, impium & hæreticum sibi jus conficiendi sacramenta arrogare; vult enim Deus, ut sancta pie fideliterque tractentur; sed id probat administrationem sacrilegam, non irritum, nullumque sacramentum. Vide quæ supra diximus ex Augustino libro v. contra Donatist. cap. 8. n. 9.

Ad 3. Ad ultimum constat ex dissertatione de Baptismo Joannis cap. 2. hujus libri, maximum esse inter Joannis baptismum, & baptismum Christi discrimen; ac sat est, si repetamus cum Augustino: *Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem: quia si datus est à Juda baptismus, Christi erat; qui autem à Joanne datus est, Joannis erat.* Tract. v. in Joan. num. 18.

II. Propositio 2. Tenet baptismus à pagano datus &c. Prob. 1. PROPOSITIO II. Tenet quoque Baptismus à pagano sub præscripta *forma* collatus.

Sequitur ex dictis: Si enim ad regenerandum sufficiens est aqua, supra quam Dei nomen invocatur; si quemadmodum hæresis hæreticorum est, ita baptismus, à quocunque ministretur, est Christi: si, aut Judas, aut Paulus, aut quilibet hominum tingat, Christus est, qui baptizat: si baptismus talis est, qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur: quæ omnia sunt verba Augustini dist. IV. de Consecr. relata in canones; proculdubio baptismus datus à non baptizato hujus errore ac perfidia nequit inditam sibi à Christo virtutem deperdere. II. Nicolaus Papa anno 866. ad consulta Bulgarorum cap. 104. *A quodam Judæo* (inquit) *nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis; & quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, ... baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.* In cap. etiam *Romanus*, de Cons. dist. 4. num. 23. desumpto aut ex Isidoro, aut ex lib. IV. Capitularium c. 6. habetur, *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.* Similiter Conc. Florentinum in decreto Eugenii: *In casu necessitatis etiam paganus & hæreticus baptizare potest.* 2.

Opp. 1. Nicolaus eodem rescripto affirmavit quoque valere baptismum *in solo Christi nomine*, quod minime nos assentimur. Non habet ergo idem rescriptum plenam ac firmissimam auctoritatem. Præterea Concilium Illiberitanum celebratum, ut inquiunt, anno 315. edidit canonem num. 38. *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.* Igitur qui lavacrum non habet, baptizare etiam urgente necessitate non potest. Insuper Gregorius III. anno 738. scribens ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, ait: *Quos à paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* 12. Objectio 1.

Resp. Nicolaum consultum à Bulgaris, num valeat baptismus à pagano datus, non de forma baptismatis; ideoque quod ait de baptismo in nomine Christi, esse opinionem insertam, quod vero docuit de pagano baptizante, esse Pontificium Rescriptum, & hoc omnino tenendum. Vide supra cap. IX. Canon Illiberitanus ita exponitur à Bellarmino, ut probet baptismum collatum Responsio.

à non bigamo & baptizato, nil vero de non baptizato aut bigamo ſtatuat. Interpretantur eundem canonem Suarez, & alii, non de neceſſitate, ſed condecentia. Albaſpinæus tamen, Mendoza, Martinus Lopez, & Van-Eſpen ajunt ſupponi eo canone non unum laicum adeſſe, ſed plures: quo in caſu lavacrum ſubminiſtrare debeat, qui publicam pœnitentiam non ſubierit, nec ſit bigamus: atque his ſubſcribunt Theologi recentiores. At Gregorius III. rebaptizationem mandavit, quia pagani formam nequaquam ſervaverant, caute uſus animadverſione, *ſi ita habetur*; unde Gloſſa in cap. *Quos à paganis*, inquit: *Scilicet in forma Eccleſiæ non fuerunt baptizati.*

13. Objectio 2. Opp. 2. Auguſtinus lib. 2. adverſ. Parmen. cap. XIII. num. 30. ait: *Et hæc quidem alia quæſtio eſt, utrum & ab iis, qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit.* Similia ſcribit lib. VII. de Bapt. cap. LIII. num. 102. Imo cum Donatiſtas frequentiſſime urgeat, ex eo quod Baptizati non poſſint ſacramentum amittere, quod in Catholica ſuſceperunt, ac dari poſſit baptismus ubi poteſt haberi; videtur S. Pater aliud ſentire de hæreticis, aliud de non baptizatis, qui cum baptismum non habeant, conſequenter nec dare poterunt.

Reſponſio. Reſp. laudandam eſſe Auguſtini moderationem, dum in re nondum Eccleſiæ auctoritate, & judicio definita, ſententiam dicere detrectavit; quod modo poſt Romanorum Pontificum, & Conciliorum ſtatuta, nequaquam faceret. Verum etſi dubitavit; oſtendit tamen ſe ita affectum, ut crederet ratum, legitimumque baptismum, *ubicunque, & à quibuscunque verbis Evangelicis conſecratum*: ita nimirum profitetur citato cap. 53. Imo dum adverſus Donatiſtas demonſtrat, Baptismo propriam ineſſe virtutem, eſſe illum Sacramentum Chriſti, non miniſtrantium, & alia hujus generis plurima, ubique propoſitionem iſtam confirmat. Quod vero Donatiſtas refutaverit, ex quo extra Eccleſiam non amittatur baptismus, id fecit ex eorum principiis, commonſtrans, quod ſi extra Eccleſiam habetur, extra Eccleſiam & datur. Dicebant enim Donatiſtæ: *Recedens ab Eccleſia baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit*, eodem num. 30. nuper citato. Sed, inquis, quomodo dat qui non habet? Si loquaris *de elemento ſenſibili*, id eſt, aqua; hanc habet & paganus: ſi *de forma*, hoc eſt de Evangelicis verbis, & hæc proferre poteſt, ſi didicerit. At ſi de gratia, cujus Sacramentum eſt ſignum viſibile; illam non homo baptizans dat, ſed Chriſtus, in cujus nomine baptizat; cujus eſt baptismus: cujus virtus aſſiſtit ſigno à ſe divinitus inſtituto. *Redeo nunc ad illud veſtrum quod dicitis, Qui non habet quod det, quomodo dat?* (inquit S. Optatus lib. v. de Schism. Donatiſt. num. 6.) *Unde hæc vox eſt? de qua lectione recitari poteſt? Vox eſt de vico collecta, non de libro lecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba in lege ſcripta non ſunt. nam ſi, ut vultis homo dat, Deus vacat; & ſi Deus vacat, & apud vos eſt quod dandum eſt, ad vos ſit converſio; quos baptizatis, in nomine veſtro tingantur. Erubeſcite, beato Paulo clamanti, & ſuam gratulationem profitenti, nunquid in nomine meo baptizati eſtis?* Ita pag. 86. poſtremæ edit. Pariſienſis.

# CAPUT XV.

## Explicatur quando in praxi baptismus ſit repetendus.

### *SUMMARIUM.*

1. Baptismus non repetatur, niſi datus ſit vitiatâ formâ.
2. An baptizatus in hæreſi ſit rebaptizandus?
3. Utrum baptizatus ab obſtetrice ſit ſub conditione rebaptizandus?
4. An infantes expoſiti habentes appenſum teſtimonium de jam recepto baptismo ſint ſub conditione rebaptizandi.

1. Baptismus non repetatur, niſi datus ſit vitiatâ formâ. SEquitur ex præcedentibus diſſertationibus, nunquam iterandum eſſe baptismum rite, & *in nomine Trinitatis* collatum: quoniam baptismus unus eſt, una ſpiritalis regeneratio, & una Chriſti mors, cujus hoc Sacramentum gerit ſimilitudinem; & quoniam id præſcribit conſuetudo ab Apoſtolis

stolis derivata, auctoritas canonum, definitio Apostolicæ cathedræ: idem commonstrat denique permanens in transfugis & apostatis nota, & character. Pollueret ergo se nefario sacrilegii crimine, qui iterum tingeret jam baptizatum, sacramentum Christi pessumdans, ac nullum reddens. Fieret etiam irregularis, & à suscipiendis Ordinibus arceretur, ut omnes Theologi & Jurisconsulti unanimiter docent; cum ex cap. 2. de Apostat. lib. v. Decret. acolytus, quamvis illum *minor ætas, & intentio fraternæ salutis excusare videatur*, si rebaptizanti *publice astiterit*, ad superiores Ordines minime sit promovendus; si autem *occulte*, cum eo tantum valeat dispensari, *si ad religionem transire voluerit.* Quanto ergo magis eadem pœna mulctandus est scienter, & data opera rebaptizans? Ii etiam, qui rebaptizantur, *si ignoranter id fecerint*, nequeunt secundum canones ordinari, *nisi magna aliqua necessitas cogat*, ex cap. *Qui bis ignoranter*, de Consecrat. dist. IV. n. 117. si vero bis baptizantur *ex industria*; in pœnitentia jacere illos convenit *usque ad exitus sui diem*, ex canone proximo, *Eos, quos Episcopos.* Atrocioribus quoque pœnis corporis subjici Rebaptizantes legibus imperatoriis, dictum est ad calcem capitis tertiidecimi. Generalis ergo sit regula: nunquam repetatur baptismus, nisi post diligentiam adhibitam de priori baptismate gravis emergat dubitatio; atque in eo casu, non *absolutè*, sed *conditionate* baptizetur; ut diximus pertractantes de Sacramentis in genere, decrevitque Alexander III. cap. *De quibus dubium est*, lib. III. Decret. tit. 42.

## II.

2. In hæresi baptizato, sed *in nomine Trinitatis* tantùm imponatur manus.

Quid ergo agendum, si ad Catholicam Ecclesiam veniat, qui se in aliqua hæresi asserat baptizatum? Respondeo, *si in sanctæ Trinitatis nomine baptizatus sit*, instruendum esse, quo sensu in Ecclesia ejusdem Trinitatis mysterium teneatur, & purgatum fidei integritate confirmandum manus impositione; ut habetur cap. *Si qui apud illos*, de Consecrat. dist. IV. num. 28. Si tantum *in nomine Domini* se tinctum profiteatur, sine dubitationis ambiguo *in nomine sanctæ Trinitatis* est iterum baptizandus, ex cap. *Si revera*, ibidem num. 30. Si nesciat, num sit baptizatus, nullaque extent indicia, baptizandus est; quoniam *non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum nescitur*, ut alibi diximus, & liquet ex cap. *Cum itaque*, ibi. num. 112. Quod si certo sciat baptizatum se in nomine Trinitatis; omnino abstinendum est à baptismo, nisi aliqua perfidia hæresum præcedens lavacrum reddiderit nullum aut forma vitiata, aut contra Ecclesiæ consuetudinem pronuntiata ab aliquo, qui non profuderit aquam. Solent enim recentiorum hæreticorum quidam, ut demonstrent verba *concionatoria* esse, *non consecratoria*, ita profanare baptismum, ut unus aquam fundat, alter Evangelica verba pronuntiet: quod animadvertens Synodus Mechlinienſis celebrata an. 1607. & proximo anno à Paulo V. approbata, statuit tit. 3. cap. 6. *ut ab hæreticis, (qui non sunt ad baptismum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati, iterum sub conditione baptizentur.*

## III.

3. Baptizatum ab obstetrice, iterum sub conditione rebaptizandum affirmant aliqui,

At si domi ab obstetrice, urgente necessitate, baptizatus sit infans; estne iterum sub conditione baptizandus? Affirmat citato loco Synodus Mechlin. necnon Iprenſis tit. 12. cap. 5. neq. aliter sentiunt Joannes Molanus Tract. IV. cap. 3. Sylvius in q. 66. art. IX. & Farvaques de Bapt. q. VIII. Horum ratio est, quod mulieres subito necessitatis casu turbari possunt, & Parocho interroganti aliter referre, quàm in ea perturbatione fecerint, aut dixerint. Fieri etiam potest, ut malitiosè errent, maleficiis & sortilegiis dæmoni inservientes. Verum quia baptismus iterari non debet, nisi adsit de illius nullitate prudens suspicio; extra controversiam arbitror, non repetendum baptismum, si obstetrices diligenti Parochorum examine deprehendantur idoneam adhibuisse materiam, præscriptam callere formam, hanc protulisse; nec responsis suis nutent, nullamque exhibeant peractæ rei ambiguitatem: si demum nulla prudens hæsitatio oriatur, illas aut ignorantia, aut malitia, aut negligentia peccasse; atque hoc sensu accipiendos esse puto cum præcitatis Synodis Farvacquesium, Sylvium, Molanum. Eam ob rem qui audit se infantulum fuisse baptizatum ab obstetrice, nulla angi debet sollicitudine, & firmiter tenere Parochum baptismi sui explorasse rationem ac memoria repetere, quod cap. *Veniens*, de Presb. non baptiz. ait Innoc. III. *De illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur*

Negat Auctor.

*mitur quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.*

## IV.

4. Infantes expositi, licèt habeant testimonium appensum, rebaptizandi sub conditione.

De infantibus denique expositiis quæstio instituitur, an sub conditione baptizandi sint, si deferant collo appensam schedam, qua asseratur baptizatos fuisse? Respondent Theologi paulo supra laudati, utique istiusmodi infantes esse baptizandos, quoniam incompertum est, num scheda illa à malefica muliere, ab atheo, à Judæo, à perditissimo aliquo homine sit appensa. Haud aliter statuit Rituale Romanum editum jussu Pauli V. tit. de baptizandis parvulis: *Infantes expositi, & inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* Quibus tamen verbis monemur, à baptizando parvulo abstinendum, si scheda illa à fide digno inveniatur conscripta; propterea quod, ut sæpe diximus, & præcedenti titulo ejusdem Ritualis cautum est, *conditionali forma non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum.*

# CAPUT XVI.

## Pertractatur de Pædobaptismo, id est, de baptismate parvulorum.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Status quæstionis declaratur ulteriùs, & referuntur variæ hæreses.
3. 4. 5. 6. Licitum & congruum est, parvulos baptizare.
7. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

PRoximum est, ut postquam egimus de Rebaptizantibus, *de subjecto baptismi*, sive de baptizandis, dicere instituamus. Ac principio indubitatum est, posse baptizari omnes filios Adæ, qui generatione carnali contrahunt originalem reatum; cum ad hunc expiandum baptismus sit à Christo institutus: quod generale Christi mandatum Mat. XXVIII. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* universalis redemptio, participatio meritorum Christi, & ea, quæ de baptismi necessitate postea dicturi sumus, aperte confirmant. In quæstionem venire potest, an baptizari potuerit, & baptizata sit purissima Dei Genitrix nullo originali peccato, ut pie creditur, inquinata, idque de creatura alia, quæ extra consuetum naturæ ordinem, & absque polluto viri semine procrearetur, eadem ratione subjici posset disputationi. Nec vereor, quin multi asserant, nec Deiparam, nec innoxiam aliam creaturam fore baptizandam, propterea quod Augustinus de Præd. SS. cap. XIII. num. 25. scribat, *In eis, qui nullum hæbent omnino peccatum, falsus est baptismus, qui in remissionem traditur peccatorum:* & Walafridus Strabo de Reb. Eccl. cap. 26. de Pelagiano dogmate, *Si verum esset* (inquit) *vel parvuli non baptizandi essent, vel si extra necessitatem baptizarentur, imperfectum & non verum in eis esset baptismi Sacramentum; quod in symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum.* Euthymius tamen in caput 3. Joannis ex Majorum traditione refert, Christum manibus suis tantummodo baptizasse *Petrum & Virginem matrem;* quamvis Evodius ætati Apostolorum proximus apud Nicephorum lib. II. cap. 3. literis tradiderit, *solum Petrum* à Domino baptizatum. Certe Augustinus & Walfridus loquuntur de Baptismatis primario effectu, de remissione scilicet originariæ culpæ, quam negabant hæretici Pelagiani, non de initiatione, & cooptatione in Christi Ecclesiam, atque de visibili signaculorum consortio: quarum rerum intuitu, salvo meliori judicio, affirmarem Virginem, tametsi nulla contaminatam labe, sacra unda perfusam, quemadmodum, licet non peperit *suscepto semine*, neque fuerit immunda ob sanguinis menstrui defluxum, secundum legem Moysi adjit templum, obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum, servata aliarum puerperarum consuetudine.

An B. V. Maria fuerit Baptizata?

2. Status quæstionis declaratur ulteriùs; & referuntur variæ hæreses.

Hac prætermissa parvi momenti quæstione, utilius disputatur, an ante rationis usum baptizari possint infantes: quod negant Valdenses, Petrobruissiani, Cathari,

Cathari, ac præsertim Anabaptistæ, de quorum secta diximus supra. Tribuunt quidam hanc hæresim & Hieracitis, de quibus Epiphanius hær. 67. & S. P. August. h. 47. sed hi pueris negabant solummodo ante rationis usum salutem, *eoquod nullum certamen obierint*; & potius erasse videntur circa baptismi effectum, quam circa tempus administrationis. Solet & idem error tribui Tertulliano; sed, quemadmodum constabit infra, prorsus immerito. Recentiorum hæreticorum complures contendunt olim neminem baptizatum, *nisi ætate jam adulta*, neque invicte demonstrari antiquam esse & derivatam ex Apostolis consuetudinem pædobaptismi. Ita censent Salmasius in Epistola ad Justum Pacium, data sub nomine Simplicii Verini, Vitringa de Pædob. Vandale in Hist. Baptism. & in animadv. ad Augustinianam Epistolam 166. Joannes Phereponus, ubi more suo in S. Patrem iniquissimus, ait: *At Augustinum oportuisset proferre locum aliquem Scripturæ, ex quo liquido constet infantibus necessario impositum esse baptismum, ita, ut sine eo damnentur, qualis locus nullus est.* Similia ad epist. 175. His nil poterat dici absurdius, nam S. Pater, quæ ex Scriptura adduci poterant, attulit & exornavit, devicitque Pelagianos etiam traditione, quam hi minime denegabant. Id ex hac dissertatione patescet. Quantum ad Scripturam attinet, Vossius disput. x. de Baptismo conqueritur Bellarminum lib. IV. de Verbo Dei cap. 4. Costerum in Enchiridio, & Gretserum in defens. Bellarmini tit. 1. cap. 9. lib. 4. asserere Baptismum infantium probari contra Anabaptistas non posse, *secluſa traditione non scripta*, & nihilominus Bellarminum lib. de Bapt. cap. 8. hanc veritatem ex Scripturis demonstrare; quod, inquit, & præstant Eckius, Suaresius, Gregorius de Valentia, aliique. Verum, dum Catholici ajunt baptismum parvulorum non evinci ex Scripturis, id tradunt de veritate, quæ in Scriptura contineatur expresse, perspicue, & nequeat secluſa Ecclesiæ auctoritate, ab iis qui jactant se duci privato spiritu, facile eludi: non de veritate, quæ ex Scripturis recte inferatur, maxime si Ecclesiæ judicium, consensus Patrum, & robur traditionis accedat: nec mirum ita loqui Vossium, qui solis Scripturis dogmata firmari putat, more cæterorum hæreticorum. Præter Sectarios autem *neminem olim admotum sacro baptisterio, nisi adulta ætate*, affirmavit Annot. in librum primum de Civit. Dei cap. 27. Ludovicus Vives; nec aliter Walfridus Strabo de Rebus Eccl. cap. 26. Hi tamen, licet in historia temporum erraverint, & quorumdam consuetudinem differendi baptismum crediderint esse universalem & perantiquam; minime tamen negarunt licite, ac valide parvulos baptizari, ut ostendunt præcitata verba Walfridi. Consulto Ludovici Vives opinionem ex præcitatis Annotationibus expunxerunt Theologi Lovanienses. Erasmus in Epistola, quæ præmittitur illius Paraphrasi in Matth. docuit parvulos, *cum adoleverint interrogandos, an ratas habeant promissiones per eorum sponsores factas*, neque ad Christianam vitam cogendos, si illas noluerint confirmare: quam sententiam anno 1527. proscripsit Facultas Parisiensis, imo & Tridentinum Concilium sess. VII. canone 14. de Baptismo. Ex iis demum, qui probarunt parvulorum baptismum, Fidus, quem Pamelius Episcopum putat, Morellius autem presbyterum, voluit nonnisi die octava baptizandum infantem, apud Cyprianum Ep. 59. quod non utique propter necessitatem, sed propter mysterium alii etiam commendaverunt. Nonnulli ad quadragesimum diem, quidam ad triennium differendum baptismum existimarunt, nisi tamen immineat vitæ periculum, inter quos Orat. XL. sanctus Gregorius Nazianzenus. Quærimus ergo quid hac in re facere æquum sit, atque expediat.

PROPOSITIO Licitum, & congruum est parvulos baptizare. 3. Propositio. Licitum & congruum est parvulos baptizare.

Id priori loco evincitur ex Scripturis. I. Ut olim Deus mandavit *indefinitè, ac universim* circumcisionem Gen. XVII. ne *anima* incircumcisi *deleretur de populo suo:* ita Joannis III. 5. præscripsit unicuique & absolutè baptismum, ne à regno Dei excluderetur, dicens, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Quemadmodum ergo circumcisioni subjiciebantur pueruli, ita & nunc sunt baptismate regenerandi. Consequentiam demonstrant quæ diximus cap. 3. ubi ostendimus ex Augustino, Prospero, Gregorio Magno, Innocentio III. atque ex ipsis Scripturis, tam circumcisionem, quàm baptismum ad delendum Originale peccatum fuisse institutta. Atque hoc argumentum confirmatur, quoniam sicut olim nemo reputabatur absque circumcisione inter semen Abrahæ, quia Deus circumcisionem præceperat in signum fœderis, dicens Gen. XVII. 7. Pob. 1. ex Scripturis. I.

*Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te;* ita in baptismate facta est tam parvulis, quam adultis promissio gratiæ: unde ait Petrus Act. II. 39. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio & filiis vestris, & omnibus qui longe sunt: quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.* Accedit quod sicut capax erat circumcisionis quilibet masculus, ita capax est regenerationis quisquis materno ex utero natus est: & ideo Christus post ea verba, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* addidit, *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, demonstrans posse renasci
2. spiritu, quisquis natus est carne. II. Argumentum alterum est, quod Christus redemit omnes, nec est mortalium aliquis, qui redemptionis fructum nequeat percipere. Scribit enim Apostolus ad Rom. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* At non moriuntur parvuli in Adam, nisi ab illo per carnalem generationem oriantur; Igitur nequeunt in Christo vivificari, nisi per Christum regenerentur, neque ad vitam spiritualem resurgere, nisi cum Christo sepeliantur in mortem. Est autem baptismus *lavacrum regenerationis* ad Titum III. 5. & id, quo *consepulti sumus* cum Christo *in mortem*, ad Rom. VI. 4. Nec enim requiritur, ut parvuli spiritaliter reviviscant ipsorum fides, ac motus arbitrii; quia nec illorum assensus interfuit, ut peccarent in Adam. Vide quæ scripsimus volum. v. pag. 249. Hinc est, quod etiam parvulis Christi beneficia collata sunt: Matthæi quippe XIX. 13. *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret;* & discipulis increpantibus eos, qui parvulos offerebant, inquit: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.* Imo ab Apostolis etiam parvulos baptizatos haud obscurè colligitur ex Act. XVI. 15. ubi legimus baptizatam integram familiam, domumque Lydiæ purpurariæ, & versu 33. *domum omnem* custodis carceris: Paulus etiam 2. ad Corinth. 16. testatur se baptizasse *Stephanæ domum.* In tota autem domo, ac familia universa comprehenduntur & parvuli.
III. Non tantum adulti, verum etiam 3.
infantes Hebræorum transierunt mare rubrum, ut liquet ex libro Exodi XII. 37. Omnia autem in figura contingebant illis, & *omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. X. 2. Debet ergo typo veritas respondere, & parvulis conferri baptismus. Ad revincendam Phereponi temeritatem obiter nota hæc argumenta non uno in loco pertractari ab Augustino: primum de Circumcisione lib. IV. de Baptismo cap. XXIV. num. 31. de Peccat. Origin. cap. XXX. num. 35. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. XI. num. 24. Contra Julianum lib. 2. cap. VI. num. 18. & lib. 1. Op. Imperf. num. 50. Alterum de Christi Redemptione, morte, ac sepultura lib. 1. de peccat. meritis cap. 27. num. 41. ac lib. 3. cap. V. num. 10. lib. VI. contra Jul. cap. IV. n. 8. 10. 13. & in Op. Imperf. lib. 2. num. 172. Tertium quoque Tract. XLV. in Joan. num. 9. in Psal. LXXII. num. 5. & LXXX. n. 8. Serm. IV. num. 9. & CCLII. num. 3. de Catechiz. rud. cap. XX. num. 34. ubique iisdem Scripturæ locis productis.

Deinde propositio demonstratur ex 4.
Traditione, quam adversus Pelagianos Prob. 2. ex Traditione.
urget S. Pater serm. X. de Verbis Apost. nunc 176. num. 2. his verbis: *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc à majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit.* Superiori serm. 174. num. 9. morem baptizandi parvulos appellaverat *antiquam fidei regulam.* Commendat Augustinus eandem traditionem lib. X. de Genes. ad literam cap. XXIII. num. 39. Compertam & inconcussam esse traditionem istam inde liquet, quod illam nec Pelagiani ausi sunt denegare, comminiscentes baptizandum quidem parvulum, sed non ut mundetur ab originali peccato: unde S. Pater lib. 1. de peccat. merit. cap. 36. num. 39. de Pelagianis inquit. *Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, proculdubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt: concedant oportet eos egere beneficiis Mediatoris, &c.* Profecto si hæc traditio ætate Augustini ambigua & inexplorata fuisset; nunquam illam probassent Pelagiani, ingenia bona & peracuta, nimium ab Augustino argumentis petitis à baptismate parvu-

parvulorum vexati. II. Revera hæc traditio lectione Patrum redditur manifesta. Auctor libri de Eccl. Hierarch. cap. ult. ait θεογενεσίας, id est, divinæ, ac spiritalis generationis participes fieri *etiam pueros, qui nondum divina mysteria percipiunt.* Scriptor Constit. Apostolic. cap. 15. libri 6. pag. edit. Cotel. 344. *Sed & baptizate* (inquit) *vestros pueros, atque eos educate in disciplina, ac monitis Dei.* Irenæus lib. 2. adversus hæreses cap. 39. & ex distinct. Massuet. 22. ait: *Omnem ætatem Dominus sanctificat: omnes, inquam, omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.* Similia Origenes in cap. v. ad Rom. & hom. 8. in Levit. S. Cyprianus Epist. 59. ad Fidum. Chrysostomus hom. ad Neophytos, Ambrosius lib. 11. de Abraham cap. xi. n. 81. aliique omnes.

5. Prob. 3. ex definitionibus Ecclesiæ.

Accedunt Ecclesiæ definitiones: inter quas connumerari potest Cypriani Epist. ad Fidum, olim LXVI. Episcoporum, postea Hieronymi in fine Dialogi III. adversus Pelagianos, & Augustini lib. IV. contra duas Epist. Pelag. cap. VIII. num. 23. & lib. I. contra Jul. cap. III. num. 6. suffragio probata. Concilium Africæ plenarium celebratum Carthagine anno 418. edidit proximum canonem num. 2. *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, anathema sit.* Tribuitur Tom. 2. Concil. Concilio Milevitano celebrato an. 416. sed vide Append. Tom. X. Op. Aug. pag. 106. Gerundensem, & Barchinonensem Synodum profert Tournelius pag. 155. Senonensem anni 1524. Parisiensem an. 1557. Bituricensem an. 1584. Acquensem an. 1585. nec non capitularia Caroli Magni an. 789. producit Martenius de Antiq. Eccl. Rit. lib. I. cap. I. art. 8. num. 11. Adde caput, *Parvuli*, aliaque à Gratiano collecta, de Consecrat. dist. IV. sive à Turrecremata lib. I. p. IV. tit. 2. rubr. 9. Contenti erimus definitione Tridentini sess. VII. canone 13. de Baptismo: *Si quis dixerit parvulos, eoquod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos; aut præstare omittere eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

6. Prob. 4 ex rationibus. I.

Confirmatur propositio rationibus Theologicis. Ac prima petitur ex damnationis æternæ periculo, cui subjectos esse parvulos non regeneratos liquet ex dictis. Adeo est hæc ratio urgens & valida, ut S. Carolus Borromæus in Concilio I. Mediolanensi *excommunicationis pœna* mulctandos censuerit, *qui natum infantem ante nonum diem ad suscipiendum baptismum deferendum non curent.* Idem in Synodali mandato præstitit anno 1645. Rothomagensis Antistes Franciscus Harlæus. Innuerat olim eandem rationem Alcimus Avitus scribens in Consolatorio carmine ad Fuscinam Sororem:

*Omnibus id vero gravius, si forte lavacri*
*Divini expertem, tenerum mors invida natum*
*Præripiat, dura generatum sorte gehennæ.*

2. Profert rationem alteram citata Epist. ad Fidum S. M. Cyprianus: quod nempe *omnes, sive infantes sint, sive majores natu*, habere possint *eandem divini muneris æqualitatem*: ad quod comprobandum versat ingeniose factum Helisei, *qui super infantem viduæ filium, qui mortuus jacebat, ita se Deum deprecans substravit, ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisei membra singulis parvuli membris, & pedes pedibus jungerentur.* Ubi æqualitas divina & spiritualis exprimitur, cum naturaliter adulto infans non possit æquari. Affert quoque Cyprianus circumcisionis exemplum, necnon unctionem postium, quæ rebus sensu carentibus adhibita primogenitis tribuit salutem. Postrema ratio sit, quam insinuat S. Gregorius Nazianzenus Orat. XL. optimum esse, percommodum, & summopere utile, si, ne occasionem arripiat improbitas, *infans sanctificetur, & spiritui consecretur ab ipsis unguiculis.* Apposite laudato Carmine Avitus:

*Nulla Deo siquidem est acceptior hostia, quam quæ*
*Immaculata sibi primis offertur in annis.*
*Sic quondam cum prima novo splendesceret orta*
*Terra nitens, pulchrasque daret sua semina fruges,*
*Viventem ducens ad sancta altaria fœtum*

*Innocuis Jonuisse Deum balatibus agnum*
*Insinuante Deo justus cognoverat Abel.*

7. Objectio 1. Huc spectat cura adhibenda, ne filii Adam diu vivant mancipia diaboli.

Opp. 1. Præcepit Christus Mat. ult. ut soli adulti, & qui Evangelicam doctrinam audierint, sacro abluantur baptismate: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Non sunt ergo parvuli ante rationis usum tingendi; siquidem doceri nequeunt, & Evangelium percipere. Corroboratur argumentatio; nam Marci ult. ait Dominus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: debet ergo fides baptismum præcedere. Idem affirmari potest de pœnitentia, quandoquidem Petrus Act. 15. 28. ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Infantes verò quam pœnitentiam agent, quam fidem concipient, quam proferent confessionem? Hoc Anabaptistarum argumentum non diluunt, inquiunt Vitringa & Vandale, quæ in oppositum è sacris literis fuerunt producta. Non sententia illa, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* etenim cum parvuli præceptorum vi obstringi nequeant, nec ad illos spectat hoc mandatum, quemadmodum nec aliud Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem, &c.* Non Evangelica verba Mat. XIX. *Sinite parvulos venire ad me*, eo enim loci parvuli dicuntur παιδία, nimirum adolescentuli, qui propria voluntate, ut demonstrat complexio verborum, accedunt. Non denique Apostolica consuetudo totam domum baptizandi; siquidem *domus tota* dicitur, parvulis quoque seclusis. Nam 1. ad Corinth. XVI. 15. postquam Paulus domum Stephanæ commemoraverat, quam à se baptizatam scripserat cap. 1. ait: *Et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*; quod certe nequit parvulis convenire. In 1. etiam Paralip. x. 6. legitur: *Interiit ergo Saul, & omnis domus illius pariter concidit*, & tamen in Gelboe non interiit Isbosseth, neque Esbaal, neque Miphibosseth. Ita phrasi Scripturarum *omnis domus* minime significat *universam familiam.*

8. Responsio 1. Ad primum respondet clarissimus Auctor de Ingeniorum moderat. lib. III. cap. 2. Matth. ult. μαθητεύειν esse idem, ac *discipulos facere*, sive in scholam, ac professionem admittere, eorumque verborum sensum esse, *Colligite discipulos, baptizate, ac docete*: ibi enim Evangelista doctrinæ post baptismum iterum meminit. Videtur hæc responsio deprompta ex Vossio disput. XIII. num. 6. Verum huic responsioni non aquiescent Anabaptistæ, quoniam, & Græcum illud vocabulum significat etiam *docere*; & fieri discipulum non aliud est, quam *discere*, atque ad doctrinam admitti: & negari non potest prædicandum prius fuisse Evangelium, quam conferendum baptismum. Veteres cum Illiberitano Canone 42 & Auctore Constit. Apost. (quæ objectat Grotius in Matth. pag. 286.) docent prius *inferendam esse pietatem, fidemque credulitatis*, deinde conferendum baptismum: denique Vulgata nostra habet, *Docete.* Respondendum est igitur, Responsio 2. Matth. ac Marci ultimo, mitti Apostolos ad gentes idololatras, quæ utique ante baptismum docendæ erant, quia nemo ad Christianam religionem trahitur invitus: sed non prohibentur hoc mandato baptizari infantes eorum, qui crediderunt, parentibus enim & adultis Christi corpori insertis, tota domus, ac parvuli, majoribus annuentibus, sunt inserendi. Prædicandum est ergo Evangelium omnibus, baptizandi sunt omnes, & ab omnibus, qui credere & pœnitentiam agere possunt, fides & pœnitentia exigenda, non ab iis, qui nondum credere & pœnitentiam agere possunt. Id exemplo, & ratione fit manifestum. Ut circumcideretur Abraham adultus, fides præcessit; non præcessit autem, ut circumcideretur Isaac. Ipse Abraham jussus omnes masculos circumcidere, proculdubio adultos prius de hac ceremonia, Deique mandato instituit. Nunquid parvulos incapaces hujus institutionis reliquit incircumcisos? Mutuatus sum exemplum istud ex Augustino lib. IV. de Baptismo cap. XXIV. Vide paginam hujus voluminis 42. Rationem quoque suppeditat ipse Augustinus. Cum enim parvuli detineantur solo originali peccato; congruum est, ut quemadmodum alieno facto vulnerantur, ita ad aliena verba sanentur. Hinc S. Pater lib. 1. de peccatorum meritis cap. 19. num. 25. docet parvulos recte fideles, ac pœnitentes vocari, *quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, atque per eorundem verba gestantium diabolo, & huic sæculo renuntiare monstrantur.* Lib. III. cap. 2. num. 2. inquit: *Sicut ergo eorum, per quos renascuntur; justitiæ spiritus responsione*

*sua*

*sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt: sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo generat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores.* Item serm. XIV. de Verbis Apostoli, nunc 294. num. 12. *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio: respondetur, Credit. Pro non loquente, pro silente, pro ſente, & quodam modo ut subveniatur orante, respondetur, & valet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur quia non valet? Absit à cordibus qualiumcunque Christianorum. Ergo respondetur, & valet; conspiratione quadam communicat spiritus; credit in altero, quia peccavit in altero. An vero invenit vitam præsentis sæculi, quem parturivit infirmitas; & non invenit vitam futuri sæculi, quem parturivit charitas?* Hactenus Augustinus.

Nec enervant Anabaptistæ argumenta à nobis è Scripturis petita. Etenim sententia Domini, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ostendit necessitatem baptismi, quia ex carne nascitur caro, id est, quia generatione noxa originalis trajicitur; & per hanc, non ob transgressionem baptismatis, parvuli non baptizati cælorum regno privantur: quemadmodum, inquit Estius dist. IV. §. 27. phrenetico necessarium est pharmacum, non propter præceptum, cujus phreneticus non est capax, sed quia sine tali pharmaco curari non potest. At præcepti Dominici, *Nisi manducaveritis &c.* diversa prorsus est forma, quoniam Christus his verbis non absolute, ac in tertia persona loquitur, sed in secunda compellat adultos: quamquam & ad parvulos mandatum illud spectat, si de spiritali manducatione loquamur, per quam fidelis Christi corpori inseritur. De qua re alibi. In verbis autem illis, *Sinite parvulos venire ad me, &c.* designari infantes ante usum rationis constat, quia non solum dicuntur παιδία, *pueri*, apud Matthæum & Marcum, sed etiam βρέφη, *recentes ab utero*, Lucæ 18. 16. Confer Græca Act. VII. 19. & 1. Petri II. 2. Utitur quoque his verbis Ecclesia in parvulorum exequiis. Adde quod & parvuli ad Christum veniunt; quia, ut Augustinus scribit serm. X. de verbis Apost. nunc 176. num. 2. *Accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur: ut quoniam quod ægri sunt, alio peccante prægravantur: sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur.* Ex quibus corruit alia argumenta Anabaptistarum, opponentium non esse baptizandos incredulos: infantes quippe non increduli dicendi sunt, sed fideles, cum fidem profiteantur eo modo, quo profiteri possunt, id est, ore gestantium, aut sanctæ matris Ecclesiæ, Postrema denique cavillatio retunditur; quoniam in 1. ad Corinth. XVI. in ministerium sanctorum ordinati dicuntur Stephana, Fortunatus, & Achaicus, non singuli familiæ eorundem; tametsi & parvuli, qui actu ministeria exercere non valent, deputari possint ad ministerium. Præcitato autem loco Paralip. nominantur tres filii Saul, qui interierunt, Jonathan, Abinadab, & Melchisua, ideoque proximis verbis, *Et omnis domus concidit*, nequeunt designari alii filii, qui non processerant ad pugnam, nec illi, qui in objectione commemorantur; sed Saul, tres isti, familiares, famuli, & auxiliarii: unde legit Syrus, *Mortuus est Saul cum tribus filiis suis, & armigero suo, & strenuissimi quique milites ejus simul occubuerunt.* Tom. 2, Bibl. Valt. pag. 658. Addo Miphiboseth non fuisse filium Saulis, sed Jonathæ, 1. Paralip. IX. 40. & 2. Regum IV. 4.

Opp. 2. Canon IV. Neocæsarienſis rationem reddens, quare cum mulier prægnante nequeat baptizari fœtus, ait: *Quod proprium uniuscujusque institutum ac propositum in confessione ostendatur.* Non potest ergo parvulis prodesse fides parentum. Revera si illis nocere non potest parentum malitia; quomodo prodesse potest parentum fides? Objectio 2.

Respondeo ideo juxta Næocesarienſem canonem fœtum in utero matris inclusum non habere cum matre communem baptismum, quoniam baptismus matris non afficit puerum nondum natum, ut in hunc canonem adnotarunt Balsamon, Zonaras, & Aristenus: nam ad verba, quæ objiciuntur hæc præcedunt, *Neque enim ea quæ parit cum fœtu qui paritur ea in re aliquid habet commune.* Verbis autem proximis innuitur, quod nec fides salvare potest in utero matris existentem puerulum; quoniam fides uniuscujusque Responſio.

propria est, atque ideo pristinis Ecclesiæ sæculis *catechumeni*, inquit in illum canonem Albaspinæus, *se baptizari velle magna voce contestabantur.* Itaque puer materno in utero nec baptismo matris, nec fide salvatur: non baptismo, quia illi non applicatur; non fide, quia istam non profitetur, At enim, inquis, profitetur mater: cur illi non prodest? *Quia, ut possit regenerari infans per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus: non enim scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide, sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ regenerant hominem in uno Christo ex uno Adam generatum*; ait Augustinus epist. 23. ad Bonif. nunc 98. n. 2. Non prodest ergo parvulo sola parentum fides; quoniam gratia regeneratrix non ipsi fidei, sed Sacramento fuit divina institutione alligata. Atque per hæc diluitur postrema instantia. Fides enim parentum non ita prodest infantibus, ut illos regeneret; sed ut offerantur regenerationis lavacro, atque ita connumerentur inter credentes, dum illos extrinsecus abluit aqua, & intrinsecus sanctificat Spiritus. Quare parvuli, etsi non recta intentione à parentibus offerantur, dummodo celebrentur necessaria mysteria & verba Sacramentorum, intelliguntur offerri *ab universa societate sanctorum*, & sanctificantur à Spiritu, *qui agit quod agit etiam per servitutem aliquando non solum simpliciter ignorantium; verum etiam damnabiliter indignorum.* Vide eandem Epistolam num. 5. Ex hujus lectione etiam percipies, quomodo non communicetur culpa per alterius voluntatem, communicetur autem gratia per sancti Spiritus unitatem: quia nimirum, *potest & in hoc, & in illo homine esse unus Spiritus sanctus, etiamsi invicem nesciant, per quem sit utriusque gratia communis. Non autem potest spiritus hominis esse & hujus & illius, per quem peccante altero, & altero non peccante, sit tamen culpa communis.*

10. Objectio 3. Opp. 3. Tertullianus de Baptismo cap. 18. baptismum parvulorum his verbis improbat: " Itaque pro cujus-„que personæ conditione aut dispositio-„ne, etiam ætate cunctatio baptismi „utilior est. Quid enim necesse est, „si non tam necesse, sponsores etiam „periculo ingeri? qui & ipsi per mor-„talitatem destituere promissiones suas „possunt, & proventu malæ indolis fal-„li. Ait quidem Dominus, Nolite il-„los prohibere ad me venire. Veniant „ergo dum adolescunt, veniant dum „discunt, dum quo veniant docentur, „fiant Christiani cum Christum nosse „potuerint. Quid festinat innocens ætas „ad remissionem peccatorum? „ Et S. Hieronymus in fine Commentarii in Mat. „Non potest fieri, *inquit*, ut „corpus baptismi recipiat sacramen-„tum, nisi ante anima fidei receperit „veritatem.„ Tom. IV. pag. 144.

Resp. ex ipso textu Tertulliani evinci pædobaptismum. Si enim tunc temporis in baptismate *sponsores* aderant, certe baptizabantur qui non poterant ore proprio fidem profiteri, & Evangelicæ legis observationem promittere. Loquitur ergo Tertullianus de baptizandis infantibus extra causam necessitatis, & quando parentes infideles sunt, ac magnum urget periculum, ne baptizati, si *sponsores* decedant, injuriam faciant Sacramento. Ita in hunc locum Jacobus Pamelius, ac noster Moreau Tom. 2. pag. 134. Quod revera Tertullianus accipiendus sit extra casum necessitatis, demonstrant ea verba, *Si non tam necesse*, & quod supra scripserat cap. 12. *nemini sine baptismate competere salutem.* Quod vero loquatur, dum pueri in potestate permanent infidelium, constat, quia si vivant in Christianorum societate, nulli periculo subjiciuntur sponsores. Nec moveat quemquam Tertulliani effatum illud, *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum*? Si enim ætatem infantium dixit innocentem, id est sine originali reatu, deserendus est, & privatæ opinioni nimium indulsit, inquit Auctor de Moderat. Ingeniorum loco citato: si innocentem dixit, id est, absque actuali peccato, nil urget instantia, Hoc postremum mihi probatur, quod sint illustria Tertulliani testimonia, quibus adstruit damnationis traducem, & originariæ labis transfusionem, à nobis producta Volum. III. pag. 13. & quod in baptismate ceremoniæ permultæ ad idololatriam, mundique illecebras ejurandas, quibus pueruli minime inquinantur, antiqua peragantur consuetudine. Ad has itaque festinandum non esse parvulis illis, quos nondum polluit infidelium societas, asseruit, ut opinor, Tertullianus. Hieronymus verò sapientis- Responsio.

pientissime scribit infideles utiliter non baptizari, nisi antea fidem susceperint: quod accipiendum de adultis, inde patet, quia parvuli *negativè* tantum infideles sunt, nulloque ἀπιστίας vitio laborant, & quia idem Hieronymus in Epist. ad Lætam 2. p. Tom. IV. pag. 593. inquit *filios, si baptisma non acceperint, reos esse peccati, & etiam scelus referri ad eos, qui dare noluerint:* & in fine tertii Dialogi adversus Pelagianos, pag. 546. *etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem prævaricationis Adam.*

II. Objectio 4. Opp. ultimo: Aequum est, ut imitemur exemplum Christi, qui ad baptismum venit anno tricesimo. Nam & multi præclari viri, ut Constantinus, Ambrosius, Augustinus, Paulinus, Christi exemplo baptismum ad grandævam ætatem distulerunt. Deinde si parvuli tingendi sunt; cur saltem postquam ad justam ætatem pervenerunt, non interrogantur: an in religione Christiana, quæ nullum cogit invitum, permanere velint, ut post Zuingerum existimavit Erasmus? Si demum tingendi sunt recentes ab utero exemplo circumcisorum; quare octavo die, ut Fidus contendebat, non baptizantur?

Responsio Respondet ad primum S. Gregor. Nazianzenus Orat. XL. pag. 658. „ Cum „ Deum dixisti, quæstio à te soluta est: „ nam ille purgatio ipsamet erat, nec „ purgationis indigebat: verum tua „ causa purgabatur, quemadmodum & „ carnem ferebat, cum carnis expers „ esset. Nec vero quicquam periculi „ ei metuendum erat baptismum pro„ roganti: quippe qui passionis quoque „ suæ arbiter esset, quemadmodum & „ nativitatis. Tibi autem non leve pe„ riculum imminet, si hinc corruptio„ ni soli genitus, nec incorruptibilita„ te indutus excesseris. „ Ex quibus constat quàm male exemplo Christi Michael Servetus, & aliqui Anabaptistæ, dissentientibus tamen ejusdem sectæ aliis, baptizarint anno tricesimo. Cur vero nonnulli baptismum distulerint, dicam capite XX. Sufficiat modo animadvertere hæc exempla nullatenus juvare Anabaptistas: nam Constantinus, si baptizatus est Romæ anno 324. à Silvestro, cum natus sit anno 273. Aureliano imperante, ad baptismum accessit anno ætatis suæ LI. & si baptizatus est Nicomediæ morti proximus, id contigit anno 337. & vitæ ejus LXIV. Ambrosius baptizatus est anno 374. ætatis suæ 35. aut 42. nam quidam illum natum scribunt anno 340. quidam vero annum ejus natalem statuunt 333. Augustinus baptismo regeneratus est anno ætatis suæ 33. aut inchoato, aut completo: ac S. Paulinus anno circiter duodequadragesimo. Nullus horum aut tricesimo anno, ut optabat Servetus, aut primis annis exserentis sese rationis, ut vellet Anabaptistarum pars major, accessit ad salutiferum baptismi lavacrum. Ad alterum respondemus interrogandos non esse, qui ad ætatem perveniunt adultam, an velint in religione persistere; quia nec olim interrogabantur circumcisi octava die: quia eorum utilitas postulat, ut in Christiana religione permaneant, nec danda est illis optio in animarum suarum perniciem: quia parentibus non oblu-ctantibus indelebili Christianorum militum nota sunt insigniti: quia demum non proprii juris sunt, sed per Sacramentum regenerationis Ecclesiæ nati, emptitii, subjecti. Vid. Innoc. III. in cap. *Majores*, §. *Verum*, canonem 45. Concilii Tolet. IV. & Trident. de Bapt. 14. Ad ultimum respondet ep. 59. S. Cyprianus: „ Nam quod in Judaica „ circumcisione carnali octavus dies ob„ servabatur, sacramentum est in um„ bra, atque imagine ante præmissum, „ sed veniente Christo veritate comple„ tum. Nam quia octavus dies, id est, „ post Sabbatum primus dies, futurus „ erat quo Dominus resurgeret, & nos „ vivificaret, hic dies octavus, id est, „ post sabbatum primus & Dominicus „ præcessit in imagine: quæ imago ces„ savit superveniente postmodum ve„ ritate, & data nobis spiritali circum„ cisione. „ Non negamus tamen aliquos observasse in baptismo octavum diem, ut constat ex Epistola 44. Ambrosii ad Horontianum, atque ut moris est, auctore Allatio, apud Græcos: aliquos protrahere baptismum masculorum ad quadragesimum diem, & fœminarum ad octuagesimum, ut solent Chaldæi, Indorum aliqui, & Moschi: aliquos etiam annum tertium commendare, ut Gregorius Nazianzenus, aliique apud Martenium loco cit. num. 10. Sed horum consuetudinem sequi non tenemur, primo quia & ipsi quacunque die baptizant parvulum, si immineat periculum; deinde quia privatæ consuetudini præferenda est universalis, & Oecumenicis Synodis comprobata; tum quia infinita baptizandorum multitudo, aliam modo postulat à priscis sæculis disciplinam: demum quia cum omnes par-

parvuli contrahant per Adam originale peccatum, æquum est ut omnes vivificentur in Christo: unde Prosper περὶ ἀχαρίστων:

*Immortalem hominem factum si creditis, & nos*
*Credimus: inciderit mortem peccando, suamque*
*Progeniem culpa, & letho devinxerit omnem;*
*Nullus non egeat sacro baptismate Christi,*
*Infantesque etiam purgentur fonte lavacri.*

# CAPUT XVII.

## An infidelium pueri baptizandi sint parentibus reluctantibus atque invitis?

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis.
2. Regulariter loquendo non est licitum baptizare pueros infidelium invitis parentibus.
3. 4. Solvuntur objectiones Scotistarum.
5. 6. Satisfit reliquis objectionibus.

1. Status quæstionis.

EX quo plura nos compellunt ad parvulos baptizandos, Ecclesiæ nimirum consuetudo, auctoritas Patrum, atque Theologica ratio, ut dictum est hactenus, nemo inferat tingendos puerulos à Judæis, vel paganis progenitos, dominio parentum vi sublatos. Tenet id quidem Scotus in IV. dist. 4. 9. ac probabile censet Estius dist. VI. §. 2. sed videntur nobis melius sentire, qui cum D. Thoma q. LXVIII. art. 10. & 2. 2. q. X. art. 12. negant istiusmodi pueros licite baptizari. Atque hæc sententia inter Scholasticos communior est, eamque propugnant etiam nostrates laudati à Frid. Gavardi q. v. de Bapt. art. 1. Ad partes tamen Scoti accesserunt ex Lovanienſibus nostris Farvacques de Bapt. cap. VI. q. 3. §. 2. Vanroy cap. 2. q. 9. & Aurelius Piette. q. pariter 9. ita, ut recentior Scotista Henno disp. IV. q. 3. scripserit Augustinianos *communiter* Scoto adhærere: at non sunt Augustinienses omnes pauci illi Lovanienses. Ut brevi solvatur quæstio, prænotandum est non pertractari de baptismi validitate; nam certum est ratum esse baptismum ubicunque, & à quibuscunque verbis Evangelicis consecratur, nec requiri voluntatem parentum, ut possit infans regenerari: quod opus esse Spiritus sancti *intrinsecus operantis beneficium gratiæ*, non semel cum Augustino tradidimus. Certum quoque est licite baptizari parvulum ex infidelibus parentibus natum, in extrema constitutum necessitate; si id absque Christianæ plebis detrimento fieri possit, & mors sit certo consecutura; quia tunc jure patriæ potestatis non violato, nec Sacramento injuria aliqua illata, ad spiritalem, æternamque vitam parvulus, alioqui periturus, regeneratur. Indubitatum præterea filios infidelium licite baptizari, si posteaquam ad usum rationis pervenere, baptismum petant; cum in iis, quæ spectant ad jus naturale ac divinum, tunc incipiant esse potestatis suæ, habeantque liberi arbitrii exercitium. Postremo fatentur omnes licite parvulos hujusmodi baptizari, si Christianorum principum sint mancipia, quoniam eo in casu possunt jure gentium vendi, manumitti, inter libertinos asciſci, ideoque etiam à patria potestate separari; quia postquam servitus invasit, pueri etiam curæ parentum relicti, dominorum manui ac potestati subjiciuntur. Fiunt autem mancipia ac servi, vel nativitate, dum nascuntur ex ancillis, vel jure gentium, id est, ex captivitate, vel jure civili, dum liber homo major viginti annis sese venumdari patitur ad pretium participandum. Ita Justin. de Jure Personarum tit. 3. Remanet ergo difficultas de pueris infidelium, qui Christiano principi non *serviliter*, & tanquam mancipia, sed *civiliter* tantum, id est, ut cives atque indigenæ, subjiciuntur.

2. Propositio. Non licet baptizare pueros Infidelium, contra voluntatem parentum: excipe tamen &c.

PROP. Licitum non est baptizare pueros infidelium, ipsorum parentibus invitis & reluctantibus, casibus, qui subjicientur, exceptis.

Et-

Etenim idem de Baptismo, & de circumcisione videtur esse asserendum, præsertim quod Scotus hanc institutam fatetur ad delendum originale peccatum, nostrique præcitati Lovanienses ad sententiam suam corroborandam solent proferre quod legitur in primo Machab. II. 46. de Mathathia, ejusque commilitonibus: *Et circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel, & in fortitudine.* At neque facta sibi à Domino permissione, neque recepta unquam consuetudine, circumciderunt Hebræi subjectas sibi nationes civili duntaxat politia, si aut pro se, aut pro puerulis repugnaverunt adulti. Idem ergo in baptismate initiandis est observandum. Quod de circumcisione dixi nuper, liquet ex Genesis XVII. 19. quo in loco præcepit Deus Abrahamo, ut circumcideretur omnis infans, *tam vernaculus, quam emptitius,* & de ejusdem stirpe non procreatus, sed aut domesticus, aut serviliter subjectus: nam indigenis aliis, & colonis pudenda non debebant abscindi, nisi voluissent Judæis permisceri, & unà cum illis Phase Domini celebrare, ex libro Exodi XII. 48. Hinc lib. XIII. Antiquit. Judaicarum cap. VIII. num. I. narrat de Hircano Josephus, quod subactis omnibus Idumæis permisit in regione sua permanere, si præputium circumcidere, Judaicisque legibus uti vellent, eosque sponte patriæ suæ amore admisisse circumcisionem. Similia narrat de Aristobulo post Ituriam debellatam, multamque hujus regionis partem Judææ addictam. lib. XIII. cap. XI. n. 3. nec aliud de quibusdam Trachonitis, in libro de vita sua pag. II. hac producta ratione, *Hominem quemque oportere ex animi sui voluntate Deum colere, & non ad id faciendum cogi.* Quæ cum valeant de hominibus ratione utentibus, suique juris, tenent proculdubio & de parvulis sub patria potestate degentibus. Nec vero ad rem facit exemplum Mathathiæ, qui circumcidit pueros vel Israelitico genere natos, vel sibi jure belli subjectos, nec amplius sub parentum potestate constitutos, ut dixi ex Justinianeis Institutionibus.

Prob. 2. II. Neque Christus Dominus præcepit Apostolis, ut aliquem initiarent lavacro regenerationis invitum & reluctantem; sed jussit, ut prædicarent Gentibus Evangelium, & baptizarent credentes, Mat. ult. 19. Aequum est autem, ut imitemur exemplum Apostolorum, ac Domino obtemperemus: qui nemini vult vim inferri: sed quemadmodum sub peccato stant filii Adam propriæ voluntatis arbitrio, ita sponte debent se Domino mancipare. Neque vero dicas id quidem valere de adultis, qui libertatis suæ usum habent, non de parvulis: quoniam hi, donec ratione utantur, sunt aliorum potestatis ac juris; & ideo, si adulti cogi nequeant ut baptizentur, nec baptizandi erunt qui ipsis subjiciuntur. Alteri enim vis infertur non in propria duntaxat persona, verum etiam in iis, qui ad ejus pertinent potestatem. Hinc si fas est baptizare infantes invitis parentibus, licebit quoque vi adultos ad fidem suscipiendam compellee: quare Estius, unam quæstionem alteri cognatam recte appellavit, & Scotus in utraque pro affirmante parte complexus est argumenta.

Prob. 3. III. Revera illinc adversarii complures petunt propriæ sententiæ præsidium, quod Rex Hispaniarum Sisebutus, Carolus Magnus, aliique Religiosissimi Principes ad suscipiendum baptismum vi paganos, Judæosque coegerint. Sed nil adjumenti ex hujusmodi exemplis possunt capessere; siquidem Toletana IV. Synodus an. 633. canone 57. præcepit nemini ad credendum, vim esse inferendam: Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratia Dei propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. „ Vide Tom. 2. Conc. Hisp. pag. 488. Docet similia S. Gregorius Magnus epist. 45. libri I. nunc 47. ad Arelatensem, & Massilienſem Episcopos. De Sisebuto autem, aliisque Catholicis principibus, qui vi infideles ad Christianam religionem traxerunt, dicam infra: nam regulam formamque rerum agendarum præbent nobis Ecclesiæ statuta, non aliquorum regum exempla.

Prob. 4. IV. Ipsi tamen religiosissimi Principes, necnon Pontifices summi, sanctitate, doctrina, & zelo religionis clarissimi; quamquam construxerint pro Neophitis, & Catechumenis domus ampliſſimas, nunquam tamen parentibus à fide alienis subripuerunt infantes,

sed invitando singulos, neminem repellendo, cogendo neminem, servaverunt Christi instituta, & propugnatam à nobis sententiam perpetua consuetudine comprobarunt. Reponit Augustinensis quidam: Cur infensissimos illos Christi hostes, id est, Judæos in sua civitate tolerat Romanus Pontifex, cur eos inde non amandat? Sicut ergo suas habet rationes gentem illam abominabilem tolerandi, ita & rationem habet infantes Judaica stirpe procreatos ab invitis parentibus non avellendi. Bene ac sapienter id dictum est: sed rationem nostram firmat potius, quam diluat. Tolerare enim Judæum, ut illi conversionis non desit occasio, Christianam præfert pietatem; vi autem illum compellere non sinit Christi institutio, arbitrii libertas, & jugum religionis suave. Sed qualiscunque summorum Pontificum animo insideat agendi ratio, quam esse optimam, æquissimamque non dubito; si tolerandi sunt pervicaces Judæi, quoniam ab illis tolerantur: igitur quia non baptizantur eorum pueri, hi non sunt baptizandi.

Prob. 5. V. Quis vero Principum id præter inveteratam consuetudinem attentabit? Profecto aut Ecclesiasticus, aut Politicus, aut utraque præditus potestate. Non debet hoc sibi arrogare Princeps Politicus, quoniam ejus auctoritas extenditur tantum ad regimen populi, instituendum juxta naturalis, humanique juris præscriptiones. Neque Ecclesiasticus Princeps; quippe ad eum non spectat de iis, qui foris sunt, judicare, ut inquit Apostolus in priori ad Corinth. v. 12. Qui vero utraque pollet auctoritate, nihil aliud exequi potest, quàm quod illi sejunctim.

Prob. 6. VI. Postremo, ne prætermittamus tritam communemque argumentationem, puerulus invitis parentibus baptizatus aut sub eorum cura relinqueretur, aut hinc subtraheretur vi illata parentibus ipsis invitis. Primum includit manifestum fidei periculum, filii enim à parentibus infidelibus educati eisdem imbuerentur erroribus. Alterum lædit jus naturæ quod tribuit parentibus potestatem in filios; quippe donec hi ad usum rationis perveniant, ita subjiciuntur patriæ potestati, ut à cura parentum subtrahi nequeant, quemadmodum, inquit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 12. animalia destituta ratione, atque res aliæ dominorum suorum arbitrio subjectæ.

At opponunt Scotistæ. I. Potius Deo, quàm hominibus obediendum est, ex Act. v. 29. Atqui Deus præcepit, ut omnes baptizentur. Igitur omnes pueri, etiamsi parentes repugnent, baptizari possunt. II. Apud Lucam XIV. 23. ait Dominus servo: *Compelle intare, ut impleatur domus mea.* Vi ergo possunt infideles ad baptismum compelli. III. Machabæi invitis parentibus circumciderunt pueros in finibus Israel repertos, & quidem parentibus, ut inquit Tirinus, invitis & reluctantibus. At circumcisionis, & baptismi eadem est ratio. IV. Dum parentes nolunt baptizari filium suum, non utuntur jure naturali, sed eo abutuntur; possunt ergo eodem jure privari. Atque hoc argumentum confirmatur, nam si parentes velint filium occidere, aut filiam ad stuprum impellere, aut vi cogere ad furtum, aut alia facinora; filius, & filia à patria potestate subtraherentur. Subtrahi ergo quoque possunt, si parentes nolint eos baptizari; cum inde proveniat mors animæ, quæ magis est pertimescenda, quam carnis interitus. Confirmatur præterea idem argumentum ex quo Augustinus in Epist. ad Vincentium Donatistam 93. aliàs 48. laudet *leges ab Imperatoribus latas adversus sacrificia Paganorum*, producto decreto Nabuchodonosoris, de quo Danielis III. 96. Si ergo Imperatores impedire possunt sacrificia paganorum; cur non poterunt infantes ab impia eorum educatione subtrahere. V. Non violatur jus naturale, si à parentibus invitis puer subtrahatur, ac baptizetur. Corruit ergo præcipuum momentum superius productum. Probatur antecedens, tum quia parentes non habent ex jure naturali potestatem impediendi baptismum suorum filiorum, si ipsi velint baptizari; tum etiam quia potior est ratio juris divini, quam juris gentium: si ergo jure gentium titulo servitutis possunt filii infidelium baptizari invitis parentibus, non violato jure naturæ; multo magis baptizari poterunt vi juris divini baptismum omnibus præcipientis. VI. Si desit consensus Genitorum, adest consensus Conditoris & Auctoris naturæ, qui omnem puerum ad finem supernaturalem ordinavit, & vult, ut cuique media applicentur, quibus finem suum possit assequi: ad ipsa quoque media pueri omnes jus habent; ideoque si culpa parentum iis mediis exspolientur, irrogatur illis injuria, nec divina adimpletur voluntas.

3. Objecto 1.

2.

3.

4.

5.

6.

Re-

4. Responsio Ad 1.

Respondetur ad 1. falsam esse minorem propositionem; siquidem vult Deus omnes baptizari, servato, non violato naturæ ordine, qui in adultis exigit eorum assensum, in parvulis consensionem unius, vel alterius parentis, ut demonstrat ratio, auctoritas, & consuetudo. Major etiam propositio æquivocatione laborat; nam qui vim non infert parentibus, illis subtrahendo puerulos, non transgreditur Dei præcepta, sed implet, cum à Deo sit quoque lex naturæ indita hominibus universis, atque ob nullum positivum præceptum violanda.

Ad 2.

Ad 2. respondetur eatenus Gentiles compelli ad fidem, quatenus ad Evangelii prædicationem ex nolentibus fiunt volentes, accedente, ea gratia, quæ à nullo duro corde respuitur, persistente tamen liberi arbitrii facultate & optione. Alioqui ex eo loco inferretur, impios quoque in sceleribus pervicaces ad cælestis regni hæreditatem violenter perduci.

Ad 3.

Ad tertium jam dictum est pueros à Machabæis in finibus Israel circumcisos, fuisse filios Judæorum: quod recte observatum est à Lyrano, Estio, clarissimisque aliis interpretibus. Præcedenti enim cap. 1. 51. legimus præcepisse Antiochum, ut Judæi filios suos relinquerent incircumcisos, eique multos ex Israel consensisse. Hos itaque pueros, quos parentes aut mortis timore, aut apostasia à lege non circumciderant, Mathathias & socii ejus ac pristina instituta revocando Israelitas, secuerunt præputio: & si id fecerunt in filiis gentilium justo bello manu captis, vicem rependentes Antiocho, qui Judaicæ stirpis pueros ad gentium inquinamenta coegerat; nec istud, ut liquet ex prænotatis, nostræ adversatur propositioni.

Ad 4.

Ad quartum distinguendum est antecedens. Abutuntur parentes infideles jure naturali, adversus debitum justitiæ naturalis, nego: adversus debitum religionis, concedo: sed quantum ad religionem attinet, ipsi parentes infideles nondum alicui hominum subjiciuntur. Non debet autem exspoliari potestate sibi naturali jure collata, qui ipsum jus naturale non frangit. Hac verò ratione diluitur prior confirmatio: siquidem si parentes velint filium interficere, aut prostituere filiam, abutuntur jure naturali in iis, quæ ad ipsius juris debitum ac rectitudinem spectant, ideoque merito privantur potestate, quam habent in filios jure naturæ: at dum renuunt filios suos baptizari, peccant adversus jus supernaturale, in quo nulli hominum subjiciuntur, ideoque ab homine exspoliari nequeunt ea potestate, qua ex naturali jure fruuntur. Diluitur eadem ratione confirmatio altera; etenim potest ac debet princeps Christianus impedire sacrificia paganorum, qui sibi civiliter subiecti sunt, quoniam cultus disparitas, ac publicum idololatriæ exercitium potest subditorum suorum, quos continere debet, mores labefactare, ac turbare tranquillitatem. At non potest idololatras, aut Judæos vi ad baptismum compellere: quia ad religionem homines non trahuntur inviti: tantummodo si Christianæ plebi scandalo sint, potest ac debet ex propria ditione expellere, si baptizari detrectent, aut illos separato contubernio concludere. Hinc Augustinus non laudat leges Imperatorias, quæ vi ad Christianam religionem compellant, sed quæ profanarum religionum cohibent cultum publicum: quæ duo longè diversa sunt, ac plurimum discrepant. In decreto pariter Nabuchodonosoris posita fuit lex, ne aliquis loqueretur *blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago*, non ut quilibet in cultum ipsius Dei per circumcisionem inviti & obluctantes initiarentur.

Ad 5.

Ad quintum negandum est antecedens, cujus futiles afferuntur probationes: nam ad primam dicimus, puerum cum ad usum rationis pervenit, in iis, quæ pertinent ad jus naturale, ac divinum esse potestatis suæ, ideoque non est deinceps penes patriam potestatem illum impedire, si velit baptizari; ante usum autem rationis idem puer jure naturali patriæ potestati subjicitur. Ad probationem alteram dicimus, non quocunque jure gentium licitum esse puerum baptizare invitis parentibus; sed eo tantum jure, quo à potestate ipsorum parentum subtrahitur, id est, si captivus fiat, si mancipium, si servus: quo in casu etiam Jus divinum baptisma puero collatum laudat & comprobat.

Ad 6.

Ad sextum argumentum respondemus, consensum & voluntatem Dei esse ut impii ad Christianam religionem invitentur, ut nemo expellatur, ut singulis venientibus exhibeantur remedia salutis; non verò ut pertrahantur inviti,

viti, nec ut violetur jus naturale, vel patriæ potestati inferatur injuria. Hinc Augustinus de Ecclesia inquit, de vera Religione cap. VI. n. 10. *Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: omnibus autem gratiæ Dei participandæ dat potestatem, sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi sive recolligendi, sive admittendi.* Nota, quod omnia fere argumenta ab adversariis producta, si aliquid efficerent, probarent quoque non solum posse principes illata vi baptizare pueros infidelium, verum etiam ad hoc omnino teneri, quemadmodum tenentur dare operam, ne pagani, aut Judæi filios suos interficiant, ne Christianæ plebi sint scandalo, ne Jus naturale, aut civile ab illis quoquo modo violetur.

5. Objectio 2. Opponunt insuper: Sisebutus Hispaniarum Rex apud Baronium ad annum 614. num. 39. Judæos vi ad baptismum coegit; nec id improbatum est à Toletano Concilio IV. quin potius citato canone 57. Sisebutus summis laudibus celebratur, ac præcipitur, ut Judæi *qui fidem Christianam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur.* 2. Lege III. Visigothorum lib. XII. tit. 3. Judæi sub pœna exilii compelluntur, ut filios suos baptizandos mittant ad Sacerdotes; idemque statuit Chintillanus Rex, ut constat ex canone 3. Concilii 3. VI. Toletani. III. Carolus Magnus circa annum 804. Saxones, & Hunnos vi ad baptismum compulit, litteris Adriani primi Pontificis plurimum commendatus. 4. IV. Idem de Chilperico, & Dagoberto refert in dissert. de hoc 5. argumento Launojus. V. Addunt Farvacques, & Piette Epistolam S. Francisci Xaverii ad Franciscum Henricum, ubi hæc habentur: *Noli mirari, frater, quod minus in istorum Neophytorum cultura proficias; quippe cum & gens ipsa, ut scribis, idolorum cultui dedita sit, & Rex à Christi religione alienus acerbe infectetur Christianos. Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos per baptismum cælo pariendo.*

6. Responsio. Ad 1. Resp. adversarios in hisce historiis colligendis parum fuisse ocula os. Sisebuti enim factum reprobatur eodem canone à Synodo Toletana. Dum autem ibidem Sisebutus *religiosissimus* appellatur; zelus religionis, ac statuta alia adversus Judæos laudem istam promeruerunt. Mandavit quippe Sisebutus lib. XII. tit. 3. l. 12. ne Judæi Christianum mancipium circumciderent, l. 14. ne Christianum liberum tanquam servum, mancipiumque tenerent, l. 16. ut quicunque Christianus exercuerit Judaicos ritus, morte turpissima plecterentur. Vide has, aliasque leges Sisebuti Vol. 1. legum antiq. Profecto Judæos baptizatos ad retinendam religionem, in qua Sacramenta participarunt, cogendos esse, licet metu mortis ad baptismum venerint, rectè definitum est canone præcitato; cum in illis fuerit intentio *interpretativa*, ut dixi cap. XVIII. præcedentis libri, confirmata etiam, ex eodem canone, susceptione *Chrismatis*, & participatione *Corporis & Sanguinis Domini.*

Ad 2. At lex Wisigothorum præcipit, ut Judæi, qui noluerunt subire exilii pœnam, promittentes se potius recepturos baptismum, *decalvati susceptisque centum flagellis*, statuta pœna multentur, *si aut se baptizari distulerint, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserint, vel se suosque de baptismo subtraxerint, vel unius anni spatium*, post legem illam editam, *quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit.* Vide præcit. Vol. 1. legum antiq. pag. 223. Adde ex lege 4. præced. tit. 2. pag. 213. Judæos, pro quibus edita fuit lex illa 3. *Cum veritas*, fuisse forsitan filios Judæorum illorum, qui perceperant *sacræ Religionis Christianam fidem unctione baptismatis.* Etsi ergo statui non debeat Ecclesiasticæ disciplinæ regula in una lege Wisigothorum; hæc tamen imperitè profertur pro sententia, quam refutamus.

Ad 3. Idem asserendum est de Carolo Magno: Saxones enim à Carolo rebellarant anno 776. iterumque in ditionem redacti baptizati sunt cum uxoribus & infantibus suis, & anno proximo in Synodo Paderbornæ jurarunt servaturos se Christianam fidem, passuros alioquin dispendium bonorum omnium. Anno tamen 795. iterum à Carolo defecerunt, sed paulopost eidem sese dederunt cum Hunnis, qui pariter baptismum susceperunt. Hæc non tantum Baronius, sed & Ado Viennensis, Albinus Flaccus in Epistola ad Paulinum Patriarcham Aquilejensem, Francorum Annales, Regino, & alii. Jure ergo Carolus Saxones, Hunnosque compulit ad retinendam Christianam religionem, quam liberè susceperant.

Chil-

Ad 4. Chilperici factum improbat Gregorius Turonensis lib. VI. Hist. Francorum cap. 17. Dagobertus verò literas quidem dedit ad Amandum Trajectensem Episcopum, ut infideles cogeret ad baptismum, sed sanctus Antistes neminem baptizavit, nisi credentem, & Evangelii prædicatione ab infidelitatis erroribus revocatum. Vide Amandi Acta apud Bolland. Tom. I. Februarii pag. 850.

Ad 5. Denique etiam epistolam S. Francisci Xaverii nimium oscitanter adversarii legerunt, Eo quippe in loco, pag. Rom. edit. 67. ita Xaverius prosequitur: *At memento te octo mensibus, quibus istic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis.* Non ergo laudat Xaverius Franciscum Henricum, quod paganorum infantes repugnantibus parentibus Baptizaret; sed quod baptizaret morti proximos, & à parentibus derelictos.

APPENDICULA.

Excipiendi sunt ergo infantes morti proximi, quos Apostolici viri solent etiamnum apud Sinas, Indosque baptizare, non explorato parentum infidelium consensu. Eo quippe in casu nulla infertur injuria Sacramento, consulitur sempiternæ infantium saluti, ac mors potius, quàm ministrator baptismi, genitoribus filios eripit. II. Idem asserendum de infantibus, qui à parentum contubernio ita separantur, ut omninò patriæ potestatis cesset usus, puta si à piratis capiatur Turcarum triremis, eaque vecti pueruli ad nostra trahantur litora: nam hoc in casu liberi parentibus suis perierunt. Si injuriâ tamen ac per vim filius separaretur à patre, E. G. puerulus Judæus furtim ab homine Christiano sublatus domi retineretur; idem puer parentibus foret remittendus, quia per violentam illam separationem nullum jus patria potestas amisit. III. Baptizari potest infans, si consentiat parentum alteruter, eoquod consensus tunc præstatur ab eo, qui naturale jus habet in puerum; & quamquam repugnet parentum alter, prævalere debet assensus ille, qui cedit in favorem religionis, maximamque pueri utilitatem. Hinc canone XIV. Concilii III. Toletani celebrati anno 589. præcipitur, *ne Judæis liceat habere Christianas uxores, vel concubinas, & si qui filii ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum.* Et Synodus Toletana IV. celebrata anno 633. præcepit canone 63. ne pater Judæus impedire valeat baptismum filii à se procreati ex Christiana muliere, jussitque, ut *ex talibus nati fidem atque conditionem matris sequantur.* Idem habetur cap. *Ibi, qui Christianas,* XXVIII. q. 1. Gregorius quoque IX. cap. *Ex literis,* Extra, de Conv. infidel. mandavit, ut à matre in Judaismo relicta traderetur viro ad fidem converso puer adhuc infans, *cum filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali* (quadriennis erat) *quis non debeat apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti, vel vitæ insidientur illius.* Addit Pontifex, *si puerum remanere contingeret apud matrem, posset illum adducere ad infidelitatis errorem;* & ideo *in favorem maxime fidei Christianæ patri eundem puerum esse assignandum.* IV. Quod dixi de patre, de avo dicendum est, cui competit cura nepotum: ideoque baptizandum esse infantem matre Judæa reluctante, si defuncto patre id velit avus paternus, censet Sylvius q. 68. art. 12. concl. 6. & ait idem à Gregorio XIII. fuisse statutum. V. Postremo si filii infidelium, etiam invitis parentibus baptizati sint, debent ab illis separari. Ita definitum est canone 60. Concilii IV. Toletani, extatque cap. *Judæorum,* c. XXVIII. q. 1. Idem decernitur cap. *Contra,* in Sexto lib. V. tit. 2. & ratio est, quia cum Christo sint regenerati, curandum est ne paterno detineantur errore: nec potest obtendi jus potestatis paternæ adversus injuriam, qua tunc afficeretur Sacramentum, Ecclesia, & Deus hominum Conditor, & Reparator.

# CAPUT XVIII.

## De infantibus materno in utero adhuc existentibus.

### *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis referuntur tres sententiæ.
2. Infanti adhuc clauso in utero non prodest ablutio matris.
3. Nequit infans ante apertionem uteri regenerari.
4. Non debet baptizari infans, nisi egressus secundum aliquam saltem partem.
5. 6. Solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

Quod attinet ad infantes nondum ex alvo matris egressos, quæritur an baptizari debeant, si partus appareat difficilis, immineatque grave periculum ne vivi prodeant in lucem. Tres autem hac in re adinvenio sententias: quarum prima est Cajetani contendentis periclitantibus illis pueris impendendam esse benedictionem in nomine Trinitatis, & causæ discussionem divino Tribunali reservandam, concepta spe Deo hujusmodi baptismum in voto parentum acceptum iri, cum nulla incuria, sed sola impossibilitas impediat Sacramenti executionem. Hæc sententia parum ab ea differt, quam diximus libro XIII. cap. 9. traditam à Gersone, aliisque perpaucis docentibus Deum singulari quodam privilegio exaudire tali in casu parentum vota, & supplere baptismi defectum: quamquam hi non asseruerint adhibendum esse exterius signum, sicut affirmasse dicitur Cajetanus. Hanc vero sententiam, licet postea ab omnibus refutatam, in Tridentino Concilio nulla censura fuisse perstrictam opera præsertim Seripandi nostri, auctor est in Historia ejusdem Concilii libro IX. cap. 8. Pallavicinus. Nunc ergo videndum est, an per baptismum exterius collatum, aut per signum, vel benedictionem, prægnantis mulieris consulatur periclitantium puerorum saluti; nam ad hanc non sufficere parentum vota, ostendimus tertiodecimo libro, idque repetendum est paulo infra. At secunda sententia est eorum, qui cum fateantur ipsum infantium corpusculum esse abluendum, docent id fieri non posse, nisi materno ex alvo infans aut caput, aut saltem partem visibilem aliquam emittat: in qua sententia fuerunt Scholastici omnes antiquiores, necnon ex recentioribus Theologis Juenin quæst. VII. de Bapt. cap. 1. art. 2. Felix Veranus lib. v. Theol. Polemicæ cap. 7. Natalis Alex. cap. VII. prop. 2. Ludovicus Habert Tom. v. pag. 199. Nicolaus L'Herminier de Bapt. cap. 10. Tournelius quæst. 3. art. 3. Martinus Orelli in peculiari de hoc argumento dissertatione, & Cardin. Gotti Tom. XIII. pag. 260. Sententiam tertiam propugnant Florentinus de Coq. de Baptis. sect. 7. Franciscus Henno disp. 3. q. 1. concl. 2. Farvacques noster de Sacrament. pag. 251. necnon Aurelius Piette quæst. 8. operosius vero Gabriel Gualdus Clericus Regul. in opusculo de hac re accurate conscripto: qui tenent in puerperio, dum mulier nititur parere, & interdum nonnullis antea diebus aperiri uterum, & etiam infantium involucra discindi, adeo, ut obstetrices, vel manu, vel saltem syringia, aut siphunculo possint illos salutari aqua perfundere. Tribus itaque propositionibus quæstio hæc erit expedienda.

Referuntur tres Sententiæ.

2. Propositio I. Puero adhuc clauso non prodest ablutio matris &c.

Propositio I. Baptismus matris, aut signum aliquod ei applicatum, nec pertingens ad abluendum puerum, quem gestat in utero, ad hunc regenerandum nequaquam sufficit.

Prob. 1.

Probatur 1. Ex cap. *Si ad matris*, de Consecrat. dist. 4. n. 114. quod desumptum est ex Augustino lib. VI. contra Julianum cap. XIV. num. 43. *Si ad matris corpus, id quod in ea concipitur, pertineret, ita, ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum etiam ipse baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus cum esset in utero pertinebat.* Habentur similia

cap.

cap. *Si quidquid*, eadem dist. IV. quod depromptum est ex eodem Augustini libro cap. XVII. num. 52. Idem definitur cap. *Si qua mulier*, in eadem dist. 2. ex canone sexto Neocæsarienſi. II. Petitur ex his locis Theologica ratio, quam affert q. 68. art. XI. sanctus Thomas, quoniam nempe fœtus animatus non est pars aliqua materni corporis, sed est propria ac distincta persona; ideoque proprio, distinctoque baptis- 3. mate est abluendus. III. Illud externum signum, aut benedictio, neque ex sua institutione, neque vi fidei, votorumque parentis potest infantibus afferre salutem: non quidem institutione sua, quoniam fatente Cajetano Sacramentum non est, nec remedium à Christo pro originali peccato institutum; neque ex opere operantis, atque vi fidei, votique alieni, siquidem nemo potest aliis promereri gratiam primam, nisi *de congruo*, orando scilicet, ut Deus excitet in impiis piam animi affectionem, fidem, & virtutum exordia, quorum in- 4. capax est puer ille miserrimus. IV. Rejecta est communi Theologorum consensione opinio Cajetani, à Dominico Soto in IV. dist. V. q. un. art. 2. connumerata inter hæreses, & jussu Pii V. Pontificis Maximi ex Cajetani commen- 5. tariis expuncta. V. Tandem Cajetani argumenta fracta nimium sunt, & infirma. Quod enim inquit post effusum Christi sanguinem facilius esse salutem consequi; quàm in lege veteri, in qua interdum supplebat Sacramenti defectum fides sola; id refutatum est capite 2. libri XXX. ubi affirmavimus longe facilius esse remedium præsens, positum in elemento communi & obvio, atque habens ex se efficientiam; nunquam pueros absque visibili Sacramento regeneratos, & decedentes maternis in uteris nullo aut legis, aut naturæ tempore purgatos fuisse ab originariæ labis reatu. Addebat Cajetanus fore in sententia nostra statum aliquem hominum ineptum ad recipiendam justitiam, latitantium nempe in alvo matris, quod ait repugnare remedio taliter instituto, ut prodesse valeat hominibus universis; sed neque id firmum est, quoniam docente Augustino in 1. de peccat. meritis cap. 21. & de Dono persev. cap. 12. non tenetur Deus servare parvulum in hac vita, ut possit per baptismum regenerari; & cur uni baptismate subveniatur, alius non solvatur ab originali impietate, reservatum est supernis judiciis: impossibilitas autem illa, neque naturalis est, cum natura procreet homines singulos ut nascantur; neque inducta ex speciali providentia, cum pro universis Deus salutare remedium instituerit ac præparaverit, sed orta ex tali serie causarum, quam ipse Deus non tenetur avertere, nec vult, in uno justitiæ æquitatem, in altero gratiæ beneficium exercens. Atque ex his alio in loco, nec semel commonstratis etiam diluitur quod Cajetanus inquit de divina misericordia; quam nemo nostrum in dubium revocat, sed affirmat duntaxat cum justitia esse conjunctam, ac plenissima potestate & providentia mirabili eligere unum, alterum in massa perditionis relinquere. At de opinione Cajetani dictum hactenus.

PROPOSITIO II. Nequit infans in utero matris ante aperitionem partus per Baptismatis sacramentum regenerari.

3. Propositio 2. Nequit infans ante aperitionem uteri regenerari. Prob. 1.

Probatur 1. Auctoritate Augustini innixa verbis Evangelicis Joan. III. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo*, & versu 7. *Oportet eos nasci denuo*, quæ ibidem explicantur de renascentia spiritali *ex aqua & Spiritu sancto*. Ait ergo Augustinus in Epist. ad Dardanum 57. nunc 157. *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit:* & paulo infra, *Non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati:* & rursus, *Illa sanctificatio, qua efficimur & singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt.* Respondet Gualdus cap. VIII. deserendum Augustinum, quemadmodum in quæstionibus Philosophicis, in sententia de pœnis parvulorum, & in iis quæ spectant ad prædestinationem & gratiam. Repetit eadem in additamento *de Auctoritate Augustini*, vulgato sub nomine Angeli Cupetioli. Addit non requiri nativitatem ex utero, modò infans ablui possit, cum huic nativitati Christus non alligaverit baptismum, sed sufficere nativitatem in utero; qualem commemorat Matthæus cap. 1. 2. *Quod enim in ea natum est.* Inquit, cap. tertio Joannis nativitatem ex aqua dici *secundam*, non comparate ad nativitatem ex utero, sed ad generationem carnalem, ut liquet ex versu 6. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Subjicit, nec futurum esse capacem baptismi partum *Cæsareum*, qualis fuit S. Raymundi *Nonnati*, partum scilicet eductum

ctum è mortuæ matris dissecto latere, si necessaria sit ad baptismum propria ex alvo nativitas. Similia reponunt Farvacques, & Piette, si excipias quod Gualdus ait de auctoritate Augustini: atque ne sanctum Patrem deserant, inquiunt ejus scopum fuisse demonstrandi infantes existentes in uteris non posse baptizari baptizata matre, ut docet S. Pater contra Julianum loco paulo supra producto. Concludunt aperto ostio uteri partum jam inchoative natum esse, & posse aquam ad illum pertingere. Verum hæc nequeunt labefactare Augustinianam argumentationem. Enimvero quod Gualdus ait de auctoritate S. Patris, non facit quin ejus dogmata de puerorum pœna, ac de prædestinatione & gratia à nobis inconcussa non habeantur. Deinde hæc Augustini de baptismate infantium sententia tradita est, inquit Gualdus ipse cap. 1. num. 3. *per pluva sæcula ab antiquis tum Theologis, tum Canonistis, tum Casuistis unanimi consensu*; ideoque temere quorumdam novitas contra exploratissimam vetustatem obtenditur. Præterea Augustinus non imbecilli ducitur ratiocinio, sed auctoritate Scripturæ. Ipsius denique doctrinam, ut ex dicendis erit manifestum, comprobat universalis Ecclesia. Corruunt & responsa cætera: siquidem Joannis III. de nativitate *ex utero*, non *in utero*, sermo instituitur. Primo, quia illa duntaxat est propria nativitas, & nativitas *in utero* ab illa non distinguitur, nisi ut rei alicujus exordio ab ipsius complemento: *Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero. Sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit; natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & spiritu;* ait citata Epistola S. Pater. Ad hæc homo in utero generatus non dicitur natus absolute, sed *natus* in matre, atque ita legitur citato cap. 1. Matthæi, *Quod enim in ea natum est*: idque ob proprietatem verbi γένναμαι, quod utrumque significat, *nascor*, & *gignor*. Sed *natus* non dicitur, nisi qui ex utero prodiit, ut liquet ex Gen. IV. 26. XXXVIII. 4. L. 22. Matth. II. 1. 6. Igitur & *renatus* nemo dici potest, nisi proprie *natus* sit, id est, ex utero egressus. Quod ajunt fore in sententia nostra incapacem baptismi partum *Cæsareum;* futile nimium est, nam & apud Grammaticos *nasci*, & in *lucem edi* synonima sunt; & accidentarium est, quod partus vitam hanc & lucem ingrediantur non protrudente muliere, sed extrahentibus aliis; quare Augustinus logomachiam omnem citata Epistola evitans ait loqui se *de hominibus adhuc intra materna viscera constitutis*. At Christum opponere nativitatem carnalem spirituali, non solum Gualdo concedam; sed ulterius affirmabo, id Theophilactum: Cyrillum, Chrysostomum, Augustinum ipsum tradidisse: sed quærimus modo, an nativitatis spiritalis sit capax, qui carne nondum sit natus. Stat ergo Augustini argumentatio contra Cupetiolum, sive Gualdum immobilis. Nam Farvacques & Piette non recte distinguunt quæ S. Pater contra Julianum, & quæ ad Dardanum scripsit. Pertractare Augustinum priori loco de baptismate matris, verum est: hac in re versari scribentem ad Dardanum, falsum est penitus. Agit enim hic de exultatione Joannis in utero matris suæ, disputatque num istic queat infans sanctificari. Dices fortasse: Sed de sanctificatione Joannis male sensit Augustinus: at solvimus hunc nodum lib. XIII. cap. 9. Addo pertractari in præsentia, non de sanctificatione singulari Dei privilegio peracta, sed de ea, quæ habetur ordinaria via, & per instituta Sacramentorum remedia. Denique ante aperitionem partus non potest aqua pertingere ad abluendum infantem, ut adversarii fatentur. *Facta enim conceptione uterus ita clauditur, ut nec cuspidem acus admittat*, inquit Gualdus cap. 3. n. 39. recitato Hippocratis testimonio. Itaque ante aperitionem partus, ac nondum puerperio inchoato, quod nunc asserimus, frustra de baptizandis pueris subit cogitatio. II. Ex his, quæ dicta sunt modo, confirmatur propositio. *Est enim de necessitate baptismi*, inquit S. Thomas q. 66. art. 1. & quæst. 68. art. 11. *ut corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur:* ideoque si corpus infantis non possit ablui, nec etiam poterit baptizari. Tandem de Consecratione dist. IV. c. 115. legitur: *Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest.* Desumptum est ex Isidoro de summo Bono cap. 24. Qui ergo adhuc materno in utero clauditur, natus non est, nec baptismi capax; ut ajebat paulo supra Augustinus.

4. Propositio 3. Non debet baptizari infans, nisi egressus se-

Propositio III. Licèt initio puerperii aperiatur uteri ostium, & infans possit per siphunculum, aut clysterem aqua perfundi; attamen nisi secundum ali-

cundùm aliquam saltem partem.

aliquam corpusculi partem sit egressus ex alvo, baptizari non debet.

Prob. 1.

Hæc propositio sequitur ex præcedenti: infans quippe ille juxta Augustinum, juxta Isidorum, juxta communem sensum non est *natus*: igitur nec potest *renasci*. Probatur tamen peculiari ratione. Adscisci inter Ecclesiæ membra, quod fit per baptismum, est duntaxat eorum, qui prodierunt in lucem, qui fruuntur hominum cæterorum consortio, qui ad forum Ecclesiæ pertinere possunt, qui in Ecclesiæ visibilis cœtum possunt coadunari. Atqui infans nulla sui parte ex utero egressus, in lucem non venit, non versatur in foro Ecclesiæ, & cooptari nequit tanquam membrum visibile in mysticum Christi corpus. Igitur infans adhuc materno in utero existens baptizari non potest. Innuitur argumentum istud ab Augustino scribente in eadem epistola ad Dardanum, natos duntaxat homines, dum renascuntur per gratiam, transferri *in compagem corporis Christi, tanquam in vivam structuram templi Dei, quod est Ecclesia.* Eruitur ex ipsa idea Sacramentorum, quæ sunt visibilia signa, quibus homines in unum religionis nomen adunantur. Traditur à Divo Thoma citato articulo XI. ad 1. his verbis: *Pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant: unde non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem.* Profertur à D. Bonaventura in IV. dist. 6. art. 1. ubi distincto triplici hominum statu, inquit: *Primus est in utero: secundus extra uterum in statu infantiæ: tertius in statu naturæ adultæ. In primo ergo statu, cum soli Deo sit notus, potest per ejus voluntatem sanctificari, non per nostram operationem, cum non agnoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiæ.* Eandem rationem inconcussam, firmissimamque existimant Theologi gravissimi, Suarez disp. IV. sect. 1. in quæst. 61. 3. p. Paulus Comitolus quæst XIII. Resolut. moral. antiquiores Scholastici ibidem laudati, Auctor Theologiæ ad usum Seminarii Petrocorensis Tom. 3. pag. 149. aliique innumeri. Non ergo eadem ratio talis est generis, ut illi præferri debeant commenta quorumdam recentiorum.

2. II. Movet tamen me ratio altera longe robustior, praxis nimirum Ecclesiæ, præcipientis ne infantium aliquis *in utero matris* baptizetur; sed hoc fiat tantum, *si caput emiserit*; si emiserit autem *membrum aliud*, quod indicet vitalem motum, baptizetur quidem, si mors immineat; at si natus vixerit, *baptizetur iterum sub conditione.* Ita Rituale Romanum tit. de Baptiz. parvulis: de quo ubi egimus de modo ablutionis pag. 235. Respondent adversarii, id in Romano Rituali præscribi, ex suppositione, quod infans in utero existens ablui nequeat, cum tamen ætate nostra hoc falsum esse ostenderint obstetrices, & peritissimi Medicorum miraturque Gualdus hæc Natalem Alexandrum non didicisse ex Francisco Mauriceau lib. 2. cap. 33. Parisiis ætate sua laude artis Medicæ celeberrimo. Sed potius miror ego, Medicorum observationes proferri adversus Ecclesiæ praxim. Ac primo hæc de aperitione uteri observatio non est posterioris ætatis; cum de illa scripserint Hippocrates de nat. puer. aliique Medici verustissimi apud ipsum Gualdum cap. 5. & tamen nunquam Ecclesia docuit, ut infantes baptizentur in utero, sed contra præscripsit ne baptizentur, si non *caput*, aut saltem *membrum aliud* emiserint. Non vult ergo Ecclesia, ut in Sacramentis conferendis nobis philosophi ac medici præbeant regulam, sed ut consulamus Patres, canones, vetustamque consuetudinem, quod scite monet Paulus V. in Bulla *Apostolicæ*, quæ præmittitur Rituali. Deinde, si docere nos debeant Medici quando administranda sunt Sacramenta, quare cum nulli jam dubium sit, quin in puerperio possit infans nedum ablui, verum etiam contrectari manu obstetricis, non deletur ex Jure Canonico cap. *Qui in maternis*, atque in re tam gravi, dum agitur de sempiterna infantium salute, non præcipitur in Rituali, ut baptizetur fœtus etiam in utero, quamquam foras nullam emiserit partem corpusculi, nec mulier obstetricis fungatur munere, nisi ad baptismum deferat syringias, ac fistulas? Damnat præterea Adversariorum responsio non solum Rituale Romanum, sed Ecclesiarum omnium consuetudinem. Etenim ne baptizetur infans, cujus nulla pars apparet extra uterum, præcipit Sacramentale Ambrosianum editum jussu sancti Caroli pag. edit. Mediol. 9. his verbis: *Si vero fœtus ex utero matris, quæ in partu periculose laborat, vel manu, vel pede, vel aliqua parte extans, in necessitate in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est, cum superstes erit, sub eadem conditione baptizetur. Si vero in capite, quod primo ex utero prodiit, &c.*, ut in Rituali

tuali Romano: de quo supra, pag. 235. Præcipit *Manuale Parochorum* pro Provincia Salisburgensi: in quo pag. 59. edit. Ingolst. habetur: *Nullo modo infans in utero materno adhuc existens, matre etiam periclitante, baptizari debet, propterea quod qui natus non est, ex aqua & Spiritu sancto renasci non potest.* Præcipit *Pastorale* editum pro Ecclesia Mechlinensi jussu Joannis Hauchini Archiepiscopi: præcipit *Rituale Sacramentorum* ad usum Ecclesiæ Bononiensis, olim editum cum Annotationibus Itala lingua conscriptis: præcipit ejusdem Ecclesiæ Antistes eximius, & nunc supremus Ecclesiæ Pastor, in Notificatione primùm edita die 30. Septembris anno 1732. ac semel, iterumque, hoc etiam anno Romanis typis recusa: præcipit *Liber Sacerdotalis* his verbis: *Puer in ventre matris existens, nec apparens extra, non est baptizandus*: præcipit Rituale Gregorii XIII. pag. 17. præcipit vetustissimum *Sacramentale* Angelicæ Bibliothecæ, lit. I. Econtra baptizandum puerum, qui *extra uterum* nullam corporis sui emiserit partem, nullius Ecclesiæ, quos noverim, Rituales libri permittunt. Eat modo Gualdus, & cum eo juniores quidam litteratuli, Anatomici potius, quàm Theologi, & Augustini argumentationem nitantur eludere atque elevare. Non Augustinus solus, sed magistra veritatis Ecclesia docet baptizandos non esse infantes maternis in uteris constitutos, nec posse renasci, nisi aliqua sui parte sint extra alvum. Igitur etiamsi ope syringiæ, aut siphonis possent perfundi aqua, baptizari tamen non debent.

5. Objectio 1. Oppones I. Instante partu infans ablui potest. Igitur baptismatis capax est.

2. II. Exorta dubitatione, an mulier validum inierit matrimonium ob impedimentum frigiditatis, obstetrices ex cap. *Fraternitatis*, de frigid. & malefic. inspicere debent fœminam; idemque faciendum est, si oriatur suspicio, num mulier sit gravida, ex l. *Temporibus*, ff. de Insp. ventris. Nunquid vero, inquit Gualdus cap. 2. num. 32. major cura pro matrimonio, quàm pro baptismate est adhibenda, aut majus negotium est filios generari mundo, quam

3. cœlo renasci? III. Non ex Theologis, sed ex Medicis & Chirurgis petenda est quæstionis hujus solutio. Idcirco namque Scholastici in sententiam abierunt Contrariam, quod putarent ante nativitatem *ex utero* infantes ablui non posse. Docent autem oppositum Medici, Anatomici, obstetrices; quibus attendendum esse demonstrat, inquit Gualdus cap. 4. illud Propertii,

*Navita de ventis, de tauris narrat arator,*
*Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

4. IV. Sat est ad quodlibet Sacramentum, si adsit materia, forma, & intentio: quæ tria haberi possunt in casu, de quo disputatur. 5. V. Aperto uteri ostio fœtus est sufficienter visibilis; nam aliquando manibus immissis extrahitur: atque etiam in alvo existens, si tenellum illius caput lædatur, inquiunt Farvacques & Piette, cataplasmate juvari potest, & forte curari: quid ni etiam juvandus non erit spiritali remedio? 6. VI. Infans in utero inficitur originali peccato: igitur expiari, & regenerari potest. 7. VII. Aliquando Deus in utero sanctificavit infantes: sunt ergo illic existentes spiritalis regenerationis capaces. VIII. Baptizatum in utero, & *antea cœlo, quam terris natum* sanctum Aloysium Gonzagam, narrant ejusdem Acta.

6. Resp. hæc argumenta ex dictis talia apparere, ut in illorum solutione parum nobis sit immorandum. Primi itaque falsa est consequentia, quoniam ut infans sit capax baptismi, non sufficit quod ablui queat; sed requiritur etiam, ut natus sit, ut versetur in foro Ecclesiæ, ut in visibilem corporis Christi compagem possit aptari. Alterum adversus Gualdum retorquetur: nam quia matrimonium per impedimentum frigiditatis solvi potest, mandat Ecclesia ut hujus impedimenti suspicione suborta, obstetrices, honestæque mulieres inspiciant uxorem. At Ecclesia, dum mulier laborat in partu, non præcipit, ut interrogentur obstetrices & medici, an infans capax sit ablutionis; sed districte mandat ne baptizetur, *nisi caput, aut saltem membrum aliud emiserit.* Censet ergo Ecclesia infantem, cujus nulla pars *extra uterum* prodiit, non esse subjectum idoneum baptismatis: alioqui magis de matrimonio, quàm de baptismo, & magis de carnali generatione, quàm de spiritali foret sollicita. Retorquetur & argumentum, quod consequitur: quippe, *Si navita de ventis, de tauris narrat arator*; medici & obstetrices de corporeo partu, non de regeneratione spiritus, de medicamentorum applicatione, non de administratione Sacramentorum narrare debent: de hac vero Ecclesia primum, deinde Theologi sunt

Responsio. Ad 1. Ad 2. Ad 3.

audiendi;

audiendi; quorum argumenta persistunt, si primum petitum ex impossibilitate ablutionis referatur ad tempus, quod præcedit puerperium; alterum ad puerperium ipsum, nondum infantulo *extra uterum* prodeunte. Ad 4. Resp. ad IV. tria, quæ assignantur requiri ad perficiendum Sacramentum, sed præsupponendam esse subjecti capacitatem. Ad 5. Ad argumentum proximum, negamus fœtum in utero ita esse visibilem, ut censeatur versari in foro, & notitia Ecclesiæ, cum plerumque dignosci nequeat an sit mortuus aut vivens, an sit homo vel monstrum: & quamvis id tactu perciperetur, non esset tamen talis vita, per quam infans in hominum contubernio, & in Ecclesiæ foro quomodolibet versaretur, & ideo licet capax esset emplastri, non foret capax baptismatis. Præterea quemadmodum emplastrum apponendum non esset periclitante vita corporis, si Medici id inhiberent; ita in casu non est ministrandum baptismum, cum id Ad 6. prohibeat Ecclesia. Sexti argumenti inepta est consecutio: nam peccatum originale contrahitur generatione carnali, ideoque animato statim fœtu: diluitur autem visibili regenerationis Sacramento, & consequenter postquam fœtus prodiit in lucem. Ad VII. liquet ex dictis propos. 2. infantes in uteris matrum sanctificari quidem posse singulari privilegio, ac per potestatem divinam; non autem ordinata via, & per Ecclesiæ visibilis ministerium. Respondeo denique ad VIII. scripsisse utique nonnullos Divum Aloysium baptizatum in matris utero, ac plures fuisse commotos, dum in quadam Academia, de qua citato loco Martinus Orellus, recitaretur hoc Epigramma, Ad 7.

*Astra prius, Ludovice, vides, quàm lumina terræ:*
*Ante Deum cernis, quàm videare puer.*
*Sic dum non visus sacrato fonte lavaris,*
*Non vivis terris, vivis at ipse polo.*

Nemo tamen aut S. Aloysii baptismate, aut postremo argumento debet permoveri, qui de Aloysio legerit apud Annibalem Marchetti lib. 1. cap. 1. *Cum Medici rem ex arte pensantes negarent eum puerperio fore superstitem, ut animi saltem incolumitati mature consuleretur, ubi puer corpusculi partem, qua sacri baptismatis fonte tingi posset, emisit, obstetrix lustralibus aquis aspergere maturavit.*

# CAPUT XIX.

## Quo continentur quædam circa baptisma infantium problemata.

## *SUMMARIUM.*

1. Mater prægnans viva non debet aperiri.
2. Monstra baptizari non debent, nisi referant humanam speciem.
3. Benè verò spurii.
4. Et filii excommunicatorum.

1. Mater prægnans viva non debet aperiri.

CUm dixerimus periclitantem puerum non esse baptizandum, nisi caput emiserit, aut saltem membrum aliquod præditum vitali motu; oritur quæstio, an mater prægnans aperiri debeat, præsertim si medici de ejus vita desperent, ut saltem spiritali infantis saluti consulatur. Sed nunquam fas est aliquem, etiam periclitantem occidere, ut alteri subveniatur; ideoque tunc dissecto matris utero extrahendus est fœtus, cum mater extremam obierit diem. Id vero, quoniam Rituales libri, Theologi omnes, ipsaque naturalis legis rudimenta inconcussum, atque exploratissimum, esse declarant, non est prolixiori disquisitione expendendum. Duntaxat si mater esset ad mortis supplicium damnata, scripserunt quidam posse quamcitius auctoritate judicis mandari executioni sententiam mortis; sed haud dubium, quin satius sit, magisque consonum æquitati, post partum executionem illam differre.

### II.

2. Monstra baptizari non debent nisi humanam referant speciem;

At mulier enititur monstrosum fœtum: quid agendum est eo in casu? Dispiciendum, an humanam naturam, speciemque præseferat quod potissimum dignosci potest ex capite, utpote corporis suprema parte, in qua vigent sensus omnes, extatque domicilium rationis, imo judicio philosophorum complurium residet animus immortalis.

Atque id in Instructionibus Baptismi docuerunt sanctus Carolus, & Rituale Romanum, necnon in IV. Sent. Landulphus, & Sotus, Sylvius in quæst. 68. Angelus in Summa, aliique permulti. Quod si dubitetur, an fœtus sit homo; nisi immineat mortis periculum, monet sanctus Carolus, ut consulatur Episcopus: si extrema urgeat necessitas, ratio postulat ut baptizetur adhibita conditione. Si gemelli eo in monstro adnati sint, quod discernitur, si plura præsertim distinguantur capita, aut plura pectora, sunt distincto baptismate regenerandi, nisi extrema necessitas compellat, ut tingantur simul pronomine multitudinis sub hac forma, *Ego vos baptizo*, *&c.* Si vero duarum personarum nequeat dignosci discrimen; una absolute erit baptizanda, & altera sub conditione, ut vitetur reiterati baptismatis sacrilegium.

## III.

3. Bene verò Spurii,

Quale autem judicium ferendum erit de spuriis? Isti suntne baptizandi? Utique, & absque ulla prorsus dubitatione: pro omnibus quippe instituta sunt gratiarum remedia, nullumque ex Eva procreatum repellit S. Mater Ecclesia. *A baptismo, atque à gratia Dei, qui omnibus misericors, benignus, & pius est, neminem prohibendum*, scripsit ad Fidum Cyprianus. Similia Augustinus in Epist. ad Auxilium 75. nunc 250. Nec evincit oppositum, quod legitur Deut. XXIII. 2. *Non ingrèdietur mamzer, hoc est de scorto natus in Ecclesiam Domini*, *&c.* hoc enim in loco *ingredi in Ecclesiam* idem est, ac fungi Levitarum officio, sive, ut placuit Maimonidi, habere in populo Dei jus connubii. Revera Jephte, de quo Jud. XI., *filius erat meretricis*, & tamen non solum circumcisus est, verum etiam ad Hebr. XI. 32. inter eximios viros connumeratur. Adde ampliorem Evangelicæ legis, quàm Mosaicæ munificentiam. Zanchius, Boquinus, Tremellius, aliique hæretici scripsere ad Vossium disputat. XV. th. 5. spurios non esse baptizandos, *si à parentibus impœnitentibus præsententur*, ne videantur pastores præceptum de obsignandis consecrandisque Deo infantibus contempsisse: sed est hæretica, cæterisque similis ludificatio: quippe nullo præcepto arcentur à baptismate impiorum filii, neque ab hominum sanctimonia pendet virtus Sacramentorum.

## IV.

4. Et filii excommunicatorum.

Baptizandine erunt pariter filii excommunicatorum? Neque id jure in dubium vertitur; quippe, ut citata Epistola ad Auxilium ratiocinatur Augustinus, hoc est discrimen inter corporalem, & spiritalem pœnam, quod corporali pœnæ aliqui contemptores divinorum præceptorum subjiciuntur etiam cum omnibus, *qui ejusdem impietatis participes non fuerunt*, quin ad terrorem viventium aliquando mortalia corpora perimuntur *quandoque utique moritura*. At spiritalis pœna infligi non potest, nisi ob proprium peccatum, cum Ezech. XVIII. 20. scriptum sit, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Hinc S. P. infert, non recte anathematizari *propatris peccato filium*, *pro mariti uxorem*, *pro Domini servum*, hortaturque Auxilium, ut certis rationibus, vel Scripturarum testimoniis ostendat, quomodo, si puer *eodem tempore*, *quo universa domus est anathemate obligata nascatur*, *non ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri*; testaturque se nunquam id facere ausum fuisse. Atque hæc Augustini doctrina in canonem relata est, cap. *Si habes*, XXIV. q. 3. num. 1. Imo nec in Generali Interdicto inhiberi baptismum, constat ex cap. *Quoniam* de sent. Excommun. in VI. atque ex omnibus JCC. in caput, *Quod in te*, de pœnit. & remiss. Ea autem ratio Augustini commonstrat quàm imperite Farellus erronum filios non intingeret, *nisi prius ad omnem impietatem abnegandam adigerentur parentes*, ut ipse scripsit ad Calvinum; & quàm impie Gerardus Vossius cit. disput. XV. th. 7. contenderit non posse filios sine profanatione Sacramenti ad baptismum admitti, *nisi mundi fuerint utriusque*, *aut alterutrius parentis ratione*; nemo siquidem spiritali regeneratione privandus est propter aliena flagitia.

De Exposititiis, aliisque, de quibus dubium est an fuerint baptizati, diximus supra post confutationem Anabaptismi, capite XV.

CA-

# CAPUT XX.

## In quo agitur de dilatione baptismatis, atque de Catechumenis.

## *SUMMARIUM.*

1. Quondam multi distulerunt baptismum in longam ætatem.
2. Ob quas rationes?
3. Modò tamen dilatio meritò reprobatur.
4. Catechumeni qui? sunt alii audientes, alii competentes, alii electi.
5. De audientibus.
6. De competentibus.
7. De electis.

1. Quondam multi distulerunt baptismum ad longam ætatem,

BAptizandos esse parvulos ostendi cap. XVI. sed pervenerunt tamen ad gratiam baptismatis permulti adulta jam ætate, non solum ii, quibus Evangelii lumen serius effulsit, verum etiam quidam imbuti jam fide, & aliqui etiam Christianis parentibus procreati. Constantinus Magnus, qui Christum agnoverat ante annum 312. si Baronio subscribimus, Romæ anno 324. baptizatus est à Silvestro; si Eusebio, aliisque assentimur, prope vitæ suæ finem, Nicomediæ anno 337. Secutus est exemplum patris Constantius, qui suscepit baptismum Antiochiæ paulo ante mortem, quæ contingit anno 361. Theodosius quoque baptizatus est Thessalonicæ in gravem delapsus morbum, à quo tamen convaluit. S. Ambrosium paucis diebus ante Ordinationem suam baptizatum, narrat in ejus vita Paulinus Notarius. Augustinum Parentem nostrum regeneratum, anno ætatis suæ tertio ac tricesimo, consentiunt omnes. Nolanus Episcopus Paulinus tinctum se, cum ageret annum duodequadragesimum, innuit epist. XLI. in qua S. P. Augustinum ita alloquitur: *Nolo in me corporalis ortus, magis quàm spiritalis exortus ætatem consideres: quippe ætas mihi secundum carnem ea jam est, qua fuit ille ab Apostolis in porta Speciosa verbi potestate sanatus* (id est annorum supra XL. ex Act. IV. 22.) *in natalibus autem animæ illius adhuc mihi tempus infantiæ est, quæ intentatis Christo vulneribus immolata digno sanguine Agni victimam præcucurrit;* Bimatus scilicet Innocentium.

2. Ob quasdam rationes.

Hæc, aliaque dilati exempla baptismatis nonnullis quæstionibus locum aperit: quarum prima est, quid causæ fuerit tot, tantisque viris tamdiu Sacramentum summopere necessarium differendi. Multas itaque dilationis hujus causas invenio: ac præcipuam illam puto, quam tradidit Tertullianus lib. de Baptis. cap. 18., ubi ait utilem esse cunctationem baptismi, quia sponsores possunt promissiones suas destituere, & proventu malæ indolis falli; & cætera, quæ produximus cap. 16. op. 3. Hinc aliqui ad usum saltem rationis differendum baptismum existimarunt; & ipse Gregorius Nazianzenus, qui orat. XL. in sanctum baptisma, etsi dilationem baptismatis valde improbet, censet tamen exspectandum *triennium, aut aliquando brevius, aut longius temporis spatium, quo tingendi audire ac respondere possint, & si minus plane & exacte intelligant, imbui tamen & informari.* Alteram longioris dilationis causam invexit hæresis Novatiana, quæ ex male intellecto loco Apostoli ad Hebræos VI. 4. colligebat nullam illis superesse spem veniæ, qui semel illuminati, & accepta baptismi gratia, iterum deliquissent; quare laudatus Nazianzenus ita eos, qui studio baptismum distulissent, alloquitur: Ἀλλὰ φοβῇ μὴ διαφθείρῃς τὸ χάρισμα, ᾗ διά τοῦτο ἀναβάλλῃ τὴν κάθαρσιν, ὡς δευτέραν οὐκ ἔχων, id est, *Sed times, ne gratiam amittas, & idcirco purgationi moram inducis, utpote nullam aliam ulterius habens.* Tertia causa fuit voluptuosa quorumdam vita, ob quam considerantes quantum refrænati esse debeant mores baptizatorum, noluerunt sese initiare spiritali lavacro, ne florente ætatate illecebris vale dicerent, & arctiori vivendi genere obstringerentur. Insedit enim multorum animo, quod literis mandavit Ambrosius lib. II. de Pœnit. cap. XI. num. 104. *Nemo in peccato positus arrogare sibi debet auctoritatem, aut usurpationem Sacramentorum:* cujus rei hanc subinde rationem profert, *Si enim caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo & mentis imperio, alienа est terra, quæ non domatur exercitio cultoris, & ideo non potest fructus charitatis, patientiæ, ac pacis afferre.* Eam ob rem Monicam distulisse baptismum Augustini, quod

putaret non esse maturandum tempus in adolescente, qui æstu cupiditatum abripiebatur, annotarunt in hunc Ambrosii locum PP. S. Mauri. Fuerunt differendi baptismatis causæ aliæ, timor, ne parvulis sub paganorum aut hæreticorum tyrannide ab Ecclesia divulsis Sacramentum afficeretur injuriâ; suborta in Episcoporum exilio laxitas disciplinæ, & adultorum socordia; ipsorum denique negligentia baptizandorum, nata sive ex inolita vitiorum consuetudine, sive ex persuasione, quod in hora mortis baptizati facile consequerentur patratorum omnium scelerum remissionem. Atque hæ quidem causæ, non singulæ unumquemque, sed quædam unum, quædam alterum ad differendum baptismum impulerunt.

3. Modò tamen dilatio meritò reprobatur.

Oritur hinc quæstio, expediatne ob allatas, similesve rationes etiam modò sacrum baptismum differre. Verum quæstionem hanc dirimunt quæ produximus de Pædobaptismo disputantes, præsertim periculum damnationis, servitus diaboli, labisque orginariæ reatus, quæ oportet ut, quamcitius fieri potest, abjiciamus atque expellamus. Nec sunt productæ rationes adeo validæ, ut aliquem probum virum debeant permovere. Nam prior ex Tertulliano & Nazianzeno petita (etsi hi duo non probent dilationem baptismatis ad provectam usque, & senescentem ætatem) refellitur traditione perpetua, cæterisque momentis alibi adductis: quamquam Tertullianus loquitur de parvulis degentibus sub potestate infidelium, & Nazianzenus expectari non vult pleniorem ætatem, *propter inopinatos & repentinos periculorum impetus; quæ ratio*, inquit dist. v. §. 38. illustris Estius, *non minus, imo etiam magis militat pro eo tempore, quod est minus triennio.* Nec injuria infertur parvulis, si baptizentur in infantia, tum quia illorum saluti consulitur, tum etiam quia per susceptores ad id tantum adstringuntur, quod illi, si ratione uterentur, utique deberent suscipere. Verum de his plura cap. XVI. Infirma est etiam causa altera à Novatianis inducta, quoniam nec Apostolus negat lapsis pœnitentiæ remedium, ut suo loco dicemus; nec sani consilii est procrastinando pœnitentiam, & contemnendo Sacramenta thesaurizare sibi iram in futurum; nec denique melius est versari in continuo damnationis periculo, quàm sit innovari, remissionem accipere, supernoque auxilio communiri, ac, si labitur humana fragilitas, habere aditum, & jus ad spiritalia remedia. Tertia autem causa, quemadmodum commendat studium eorum, qui ad Sacramenta non admittunt pravis consuetudinibus irretitos, abreptosque fluctibus cupiditatum; ita illos condemnat, qui baptismum in seram usque ætatem differentes peccatis indulgent, ac se in tali statu constituunt, in quo difficulter Sacramenta cum recta dispositione suscipiuntur. Quare citata oratione XL. in sanctum baptisma ita hujusce generis homines compellat Nazianzenus: *Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua cogamur: ne beneficium tanquam injuriam differamus; nec expectemus ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur: nec Christo, cauponum & negotiatorum ritu, abutamur; nec graviori sarcina oneremur, quam vires nostræ ferre queant, ne una cum ipsa navi demergamur, ac gratiam naufragio amittamus; dumque plura spe, atque animo concipimus, omnia perdamus.* Causæ denique postremo loco productæ eadem refelluntur ratione, qua ingens stupor, supinus error, & culpabilis negligentia reprehenditur. Nemo ergo debet baptismum differre in adultam ætatem, & adversus praxim universalis Ecclesiæ obtendere aliquorum exempla: sed infantes suos baptizando profiteri adversus Pelagianos originale peccatum, & in illis consepultis in mortem Christi delere damnationis chirographum: detestari insuper Anabaptistas, qui ajunt *præstare omittere parvulorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ;* & quos sess. VII. can. 13. de Baptismo anathematizat Synodus Tridentina.

4. Catechumeni qui?

Nunc quoniam illi, qui ætate adulta statuerunt Christum induere, aliquo tempore inter Catechumenos morabantur, de iisdem Catechumenis dicere instituo. Κατηχούμενος ergo, *Catechumenus*, græcum vocabulum est, sive participium passivum verbi κατηχέω, *instruo*, *doceo*, *elementis religionis imbuo*: quare idem sonat *Catechumenus*, ac *Ille, qui instruitur*, & *Catechizans* idem, ac *Qui instruit*, traditque viva voce sacræ Religionis elementa: unde Apostolus ad Gal. VI. 6. inquit: Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis.* Hinc pariter Institutionem in fide Græci κατηχησιν, *catechesin*, Latini, *Catechismum* appellant

appellant à κατηχίζω, ejusdem cum verbo κατηχέω significationis. Dicuntur tamen *Catechumeni* etiam pueri recens nati, qui ad baptismum offeruntur, eoquod in iis servetur ordo veteris disciplinæ, nominis impositio, inunctio, signum crucis, exorcismus, & alia, de quibus infra. Pluribus id demonstrat in Glossario Du-Cangius tom. 1. pag. 887. Dividit eo loci Cangius Catechumenos in tres classes, *Audientium, Genuflectentium, Competentium.* Secuti sunt eandem partitionem recentiores Theologi, Tournelius pag. 177. & Auctor Op. de Re Sacram. pag. 195. sed *Genuflectentes* distinctam classem non constituere tenet lib. 1. cap. 1. art. 6. de Antiq. Ritibus Martenius, affirmans *Genuflectentes* fuisse catechumenos lapsos, qui Dei verbum flexis genibus audirent. Ad hanc opinionum diversitatem componendam faciunt Canon XIV. Nicænus, & v. Neocæsarienſis: quorum primus mandat, ut catechumeni lapsi *tribus annis sint inter Audientes, post hæc autem cum Catechumenis orent*; alter vero distinguit Catechumenorum stationes duas, *Audientium*, & *Genuflectentium*, qui manuum impositione expurgabantur cum substratis pœnitentibus commorantes: atque hos lapsos mandat rejici ad *Audientiam*, illos de *Audientia* expelli. Ex quibus intelligimus *Genuflectentes* non fuisse diversos à *Competentibus*, qui crebris orationibus, ac pœnitentiis subjiciebantur. Nos itaque Catechumenorum classes ita distinguimus, ut prior sit *Audientium, Competentium* altera, tertia *Electorum*, tametsi laudatus Martenius *Competentibus* præponat *Electos*, Tournelius verò *Competentes, Electosque* confundat. Sane partitio nostra comprobatur ipsius Catechumenatus explicatione.

Eorum tres classes, *Audientium, Competentium & Electorum.*

5. *Audientes,*

Qui ergo Christianam religionem cupiebant amplecti, præsentati Episcopis inter *Catechumenos* recipiebantur, facto illis signo Crucis in fronte, & alicubi etiam in pectore, in oculis, in ore, in scapulis, in auribus, addita cum precibus manuum impositione, necnon insufflationibus & exorcismis, de quibus infra, ubi pertractabo de ceremoniis baptismi, quæ sunt, antiquæ disciplinæ vestigium. Hoc pacto ad audiendum verbum Dei admittebantur in eam Ecclesiæ partem, quam hodie *navim* appellant, & in qua certum est olim habitas fuisse conciones. Quare idem locus, in quo Catechumeni consistebant, κατηχουμένων, id est, *Auditorum*, dictum est, ipsique Catechumeni, *Audientes*. Hinc etiam superiores Ecclesiæ porticus olim dicebantur *Catechumenia*, quod ibi starent mulieres auditu conciones, sacrasque Liturgias excipientes: imo istic locarunt Catechumenorum stationes Baronius, Wolphius, & Meursius, decepti fortasse *Catechumenii*, id est, *Auditorii* vocabulo. Ubicunque tamen *Audientes* constiterint, sive in ναρθηκη, *navi*, sive in tabulatis, ac porticibus supernis; primam illi classem constituunt, & si vim nominis attendamus, proprie sunt *Catechumeni*, nimirum *Edocti*; quamquam eo nomine late accepto designentur *Competentes quoque*, & *Electi*. Non denegatas Catechumenis Eulogias dixi pag. 186. Concione audita Catechumeni ab Ecclesia dimittebantur, clamante ex ambone Diacono, *Catechumeni discedite*, ne illis mysteria patefierent ob disciplinam arcani. de qua vide pap. 10. hujus Voluminis. Interrogabantur ante discessum, an vellent sectari illam vivendi rationem, fusisque pro ipsorum salute precibus, iisdemque abeundis, sequebatur Missa Fidelium, incipiens ab Offertorio: atque hinc pars Missæ præcedens *Missa Catechumenorum* appellabatur.

6. *Competentes.*

Expleto Catechumenatus, sive *Audientiæ* tempore, pro Episcoporum discretione, & qualitate initiandorum, longiori, aut breviori, qui baptismi desiderio flagrabant, ad illum admitti supplici demissione petebant. Hi sunt, qui secundam Catechumenorum stationem tenent, scilicet *Competentes*. Isidorus lib. VIII. Orig. cap. *Competens*, inquit, *vocatur, qui post institutionem fidei competit gratiam Christi. Inde à petendo Competens vocatur*. Igitur vel ipsum nomen demonstrat *Competentes*, ut supra dixi, post *Audientes* locandos esse. Petebant Catechumeni baptismum in terram postrati, ut scribit Gregorius Turonensis lib. v. cap. 7. unde in Ecclesia Mediolanensi infans humi prope Baptisterium solet collocari. Tunc non *Audientiæ* tempore, Catechumeni nomen dabant. *Baptizandi*, inquit Conc. IV. Carthag. can. 85. *nomen suum dent*; ac S. Pater Augustinus de Fid. & Op. cap. 6. *Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt:* ac de se ipso, utique jam Catechumeno, lib. IX. Confess. c. 6. *Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, &c.* Ferrandus quoque Carthaginensis in Epist. ad Fulgentium,

de

de quodam Aethiope baptizando ait: *Propinquante solemnitate Paschali inter Competentes offertur, scribitur, eruditur.* Ex his infertur nomina Catechumenorum inscripta fuisse Ecclesiasticis tabulis ante Pascha duabus, aut tribus hebdomadibus, atque, ut plurimum diebus quadraginta, & aliquando Dominica in Palmis: qua die Catechumenos ad *Competentium* classem ascendisse, putat Lupus Parte 2. pag. 1024. Interim *Competentes* assiduis orationibus dabant operam. *An usque adeo dissimulamus*, scribit Augustinus citato cap. 6. de Fid. & Op. *quantum fuerimus attenti atque solliciti quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur?* Citato etiam Confessionum loco, fletus, cordisque sui motus, excitatos hymnis & canticis, commemorat S. Pater. Tertullianus de Baptismo cap. 19. scribit, ingressuris baptismum sedulo incumbendum *orationibus crebris, jejuniis, geniculationibus, pervigiliis.* Similia Gregorius Nazianzenus Orat. XL. Cyrillus Jerosolym. Catech. 3. & alii; qui etiam scribunt eo temporis Catechumenos confessos patrata crimina, non Confessione Sacramentali, sed ea, quæ ipsorum conversionis, melioriſque propositi foret indicium: atque ita omni conatu se præparabant ad gratiam regenerationis percipiendam. Ecclesia econtra omnem adhibebat diligentiam, ne initiarentur indigni, instituto circa Competentium mores examine, quod appellabant *Scrutinium.* Septem vero ex Ordine Romano scrutinia celebrabantur, à tertia hebdomadâ in Quadragesima usque ad Sabbatum sanctum; & si quis Catechumenorum interea temporis perpetrasset flagitium aliquod, remittebatur, ut supra diximus, ad classem *Audientium.* Præcipuum tamen scrutinium habebatur feria IV. majoris hebdomadæ, quæ propterea dicebatur *dies scrutinii*, ut scribunt Rupertus de divinis Officiis lib. IV. cap. 18. Hugo Victorinus I. de Sacram. cap. 17. Casalius de Antiq. Rit. Christ. cap. 5. Dufresne in Glossario, Vicecomes, Martenius, alii.

7. *Electi.* Nisi prioribus scrutiniis *Competentes* inventi fuissent indigni, illis Symbolum tradebatur, & dicebantur *Electi*: quo nomine designantur qui initiandi, aut consecrandi sunt, priusquam initientur, aut consecrentur, ac præsertim Episcopi. Hoc nomine appellantur Catechumeni in Ordine Romano, ubi agitur de *die scrutinii*, id est, feria IV. majoris hebdomadæ, ad quam fideles omnes invitantur his verbis, *Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscitis: ibidem solita devotione, succedente sequenti quarta feria, circa horam tertiam convenire dignemini.* Majori itaque hebdomada accepto Symbolo *Competentes* dicebantur *Electi*: imo Casalius contendit *Competentes* appellatos fuisse *Electos* eo tantum die, quo baptizabantur, ex Siricio epist. I. ad Himerium cap. 2. Utut sit, pertinent *Electi* ad classem Catechumenorum sublimiorem. Symbolum tradebatur in die Palmarum, ex Alcuino de divinis Offic. cap. de Dominica Palm. & Isidoro lib. I. cap. 27. Idcirco Dominica Palmarum *Pascha Competentium* appellabatur: extatque sermo S. Patris 115. de Tempore, nunc *de Traditione Symboli*, habitus eadem die. Amalarius tamen Fortunatus lib. I. cap. 8. scribit traditum Symbolum Catechumenis feria 2. post Dominicam tertiam Quadragesimæ: eamque consuetudinem inductam à S. Gregorio existimat Lupus in Canonem LXXVIII. Trullanum. Reddebant Catechumeni symbolum in Ecclesia Romana Sabbato sancto, paulo ante baptismum, ex Ordine Romano, & Amalario, citato loco: nec aliter in Africa ex Homilia XLII. Augustini, cap. I. Præcitato tamen canone Trullano, & 46. Laodicensi præcipitur, ut Catechumeni reddant Symbolum *feria quinta.* Idem habetur cap. *Non licet ante.* de Consecr. dist. IV. num. 59. Est autem *reddere symbolum* illud memoriter recitare, & Christianam fidem ante susceptionem baptismatis profiteri. Una cum Symbolo tradebatur Catechumenis *Oratio Dominica*, quam tamen reddebant non Sabbato sancto, sed in proxima Paschali solemnitate post Eucharistiam, ut scribunt citata homilia Augustinus, & in libro de Baptis. cap. 28. Tertullianus. Quo autem ritu mergerentur Catechumeni dictum supra in Appendice cap. VI. Hæc itaque de Catechumenis, eorumque classibus verisimilora nobis videntur, atque possunt ex dictis facile comprobari.

CA-

# CAPUT XXI.

## Solvuntur quæstiones aliquæ circa adultorum baptisma.

## *SUMMARIUM.*

1. Ad adultorum baptismum quædam dispositiones requiruntur.
2. Baptizentur in Sabbato sancto Paschæ, vel Pentecostes, nisi aliud ratio suadeat.
3. Potest anticipari baptismus quoad catechumenos infirmos.
4. Baptismus fictè susceptus sublato obice reviviscit.

1. Ad Adultorum baptismum quædam dispositiones requiruntur.

Quæritur modo quid agendum sit, si baptismum petat adultus, paganus, aut baptizatus in hæresi absque præscripta *forma* verborum? Respondeo non statim, & absque delectu tingendum esse; sed ejus voluntate explorata, dandam operam, ut ritu ad justificationis gratiam disponatur. Pertractat de hac dispositione Synodus Tridentina sess. VI. cap. 6. nonnullaque à me dicta sunt lib. XIX. cap. 4. Excitanda est ergo in catechumeno fides per Evangelicam institutionem: nam inquit Apostolus ad Rom. X. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Exigit hanc fidem Dominus in Evangelio, dicens Math. XXVIII. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et Marci XVI. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* De Petro etiam legitur Act. II. 41. *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt.* Philippus pariter Eunucho baptismum petenti, Act. VIII. respondit, *Si credis ex toto corde, licet.* Fidem comitari debent spes, timor, ac pœnitentia: quod citato in loco demonstrat sacrosancta Synodus verbis Christi alloquentis paralyticum Matt. IX. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* tum recitata sententia Eccli I. 27. *Timor Domini expellit peccatum:* concione insuper Petri Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* De hac pœnitentia inquit Augustinus serm. 351. n. 2. *Omnis, qui jam suæ voluntatis factus est arbiter, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur, soli parvuli immunes sunt; nondum enim uti possunt libero arbitrio.* Haud secus in Epist. 265. ad Seleucianam aliàs 108. num. 7. & uterque locus extat in Decreto cap. *Omnis,* & cap. *Agunt homines,* de Consecr. dist. IV. n. 96. & 97. Quo autem sensu etiam parvuli credere, & pœnitentiam agere dicantur, scripsi Vol. III. pag. 313. ac paulo supra Pædobaptismum propugnans. Requirit etiam Tridentina Synodus, ut adulti, qui se ad justificationem disponunt, Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant;* ut habeant nimirum amorem saltem inchoatum, de quo prolixius agemus differentes de Pœnitentia. Paucis hæc complectitur Rabanus Maurus lib. I. de Instit. Cleric cap. 27. *Primum interrogatur paganus, si abrenuntiat diabolo: & omnibus damnosis operibus ejus, atque fallacibus pompis, ut primum respuat errorem, & sic appropinquet ad veritatem; possitque juxta Apostolum deponere veterem hominem secundum priscinam conversationem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, abnegans impietatem & sæcularia desideria.* Inserta hæc sunt cap. *Primum,* cit. dist. IV. num. 95.

### II.

2. Baptizentur in Sabbato Sancto Paschæ, vel Pentecostes, nisi aliter ratio suadeat.

Præterea quæritur, quo tempore solemnis adultorum baptismus sit celebrandus. Respondeo autem, jure præscribere Rituale Romanum, ut id fiat *in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes,* nisi obstet impedimentum aliquod, aut ad fidem post Pentecosten conversi, ac plene doctrina Evangelica instructi, dilationem baptismatis in longum tempus ægre ferant. Primo enim Romani Pontifices ex perantiqua traditione statuerunt, ut nonnisi prædictis diebus, *exceptis ægritudine laborantibus,* præsumant Episcopi baptismum Catechumenis tradere. Ita definit Siricius epist. I. ad Himerium cap. 2. anno 385. S. Leo epist. 16. ad Episcopos per Siciliam constitutos cap. 3. anno 447. Gelasius epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ cap. 10. circa annum 493. quorum decreta extant de Consecrat. dist. IV. cap. *Non ratione. Proprie in morte. Baptizandi.* num. 11. 13. 18.

Accedit antiquarum Ecclesiarum consuetudo. Thessalicas olim baptizasse in festo Paschatis, testatur Socrates lib. v. H. E. cap. 26. Africanas in Paschate, & Pentecoste, Tertullianus de baptismo cap. 19. iisdem diebus Gallicanas, Gregorius Turonensis lib. v. Hist. Franc. cap. 11. Addi poterat congruentia, quam profert citato loco Tertullianus: *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat, cum & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est: exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequenta est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa.* Similiter Leo Magnus laudata Epist. xvi. *Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis, &c.* Ea de causa, non quavis hora Paschalis Sabbati conferebatur baptismus, sed nona, *propter mysterium sepulturæ Christi*, inquit Amalarius Fortunatus lib. iv. de Offic. Eccl. cap. 29. Plura de baptismi tempore Josephus Vicecomes de Antiq. Baptismi ritib. lib. i. cap. 22. Barnabas Brissonius in lib. Observat. divini, & humani juris, Martenius lib. i. cap. 1. Vossius etiam disput. xvi. thesi 6. Ob antiquæ igitur disciplinæ veneratio-nem, æquum est, ut adulti prædefinito tempore baptizentur: quod tamen ut dixi, non est necessario servandum; quoniam ea, quæ ad disciplinam pertinent, sæpenumero patiuntur variationem. Invenimus quippe aliquando collatum fuisse baptismum in die Epiphaniorum, ut in lib. de Rebus Eccles. cap. 26. testatur Walafridus Strabo: ea die ab Eugenio Carthaginensi cæcum illuminatum, dum Catechumenos baptizaret, auctor est in libro 2. de Persecutione Vandalica Victor Vitensis: collati eo tempore baptismatis meminit quoque in Prato Spirituali cap. 214. Joannes Moschus; & Clodovæum Francorum regem eo die baptizatum, *quo natum Cæli Dominum mundus accepit*, scripsit Epist. vii. Avitus Viennensis. Exortam de more conferendi baptismum in solemnitate Epiphaniæ controversiam inter duos Parisienses Theologos refert Ludovicus Habert cap. xii. de Baptismo, & consuetudinem illam sæpe fuisse prohibitam animadvertit Gerardus Vossius citata th. 6. Sed facile poterat dissidium illud componi. Nam S. Leo præcitata Epist. xvi. cap. 14. scribit: *Si quis autem Epiphaniæ festivitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur.* Ac Petrus Blesensis serm. xiii. pag. 343. narrat fuisse quosdam hæreticos, *qui dicerent super illum locum*, Jesu baptizato & orante, *Jesum orasse, ut hi tum acciperent Spiritum sanctum, qui eadem die baptizarentur, qua & Christus.* Si ergo interdixit Ecclesia baptismum in die Epiphaniorum, id fecit propter eos, qui baptismati Joannis, & Christi eandem tribuerunt virtutem, vel soli baptismo ea die collato gratiam adoptionis alligarunt; potuitque in illa solemnitate baptizari, ubi inaudita essent hujusmodi errorum portenta. Certè apud Hibernos & Anglos traditum baptisma etiam in Epiphania, constat ex Epist. 30. libri vii. sancti Gregorii Magni. Atque hinc sequitur præfinitum illud tempus Paschatis & Pentecostes non esse prorsus necessarium ad Catechumenorum baptisma. Ait enim Tertullianus de Baptismo cap. 19. *Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo*: ac Basilius Exhortat. ad Baptismum, *Tempus aliud alii oportunum negotio: ad baptismi vero salutem quodlibet tempus accomodum est; sive dies sit, sive nox, sive hora, sive quodcunque temporis momentum, etiam minutissimum:* πᾶς χρόνος εὐκαιρίαν ἔχει, πρὸς τὴν τοῦ βαπτίσματος σωτηρίαν, κἂν νύκτα εἴπῃς, κἂν ἡμέραν, κἂν ὥραν, κἂν συγμὴν χρόνε, κἂν τὸ βραχύτατον.

## III.

Oritur quæstio tertia, quid observandum sit circa adultum Catechumenum, qui ante expletum catecheseos tempus corripitur infirmitate, præsertim si obmutescat, neque divinum munus expostulet. Respondeo Catechumenum illum baptizandum esse, ut definiunt canones, docent Patres, suadet ratio. Etenim Concilium Arausicanum i. can. 12. inquit: *Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* S. Cyprianus Epist. 13. *Si qui fuerint*, ait, *periculo præventi, vigilantia vestra non desit.*

3. Potest anticipari baptismus quoad catechumenos in firmos &c.

*desit.* Ratio ex eo petitur, quod ad susscipiendum baptismum sufficiat intentio *interpretativa*, de qua diximus præcedenti libro xxx. cap. 28. Ex eodem capite constat quid dicendum sit de amentibus, & energumenis; qui tingendi sunt, si aliquando baptismatis ostenderint desiderium. Si tamen habeant lucida, ut inquiunt, intervalla, in iis regenerandi sunt, ut percipiant quod in eis perficitur: si nunquam compotes sui fuerint, eadem omnino illorum est ratio, ac sit parvulorum. Quod si adultus implicatus, peccati consuetudine corripiatur morbo, nec ullum pœnitentiæ signum exhibeat, utrum baptizandus sit, videtur gravior difficultas. Atque illum baptizandum non esse, si constet cum voluntate baptismi habuisse voluntatem permanendi in peccato, ob quam sese ostenderit indignum percipiendæ gratiæ, docent in art. xii. quæst. 68. celebres, probique Theologi, quoniam cum tali obice prorsus inutiliter ablueretur vitæ lavacro. Augustinus tamen in capite ultimo de adulterinis conjugiis, baptizandos censet Catechumenos retinentes *adulterina consortia* (tametsi salvi corpore in iis permanentes ad baptismum non admittantur) *si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec per se respondere potuerint*, ea permotus ratione, quoniam credibile est, nolle ipsos ulterius *carnis illecebra detineri.* Et quidem si tali in casu baptizandi sunt, quamquam nondum reddiderint symbolum, nec ore abrenuntiaverint diabolo, quoniam in catechumenatu commorantes creduntur id esse facturi; baptizandi sunt quoque conjugiis illicitis copulati, dum hæc à se dimittenda fore ipsum catechumenatus studium, officiumque promittit. Verum, cum impœnitentes lapsosque in Catechumenorum classibus passa nunquam sit vetus Ecclesiæ disciplina; præcipuum catechizantium est munus, baptismi cupidos instruere simul, & à carnis illecebris removere.

## IV.

4. In illis, qui simulato animo baptismum recipiunt, sublato obice revivisci Sacramentum.

Postrema quæstio est de illis adultis, qui simulato animo, id est, fide interna destituti, & cum peccati mortalis affectu accedunt ad regenerationis Sacramentum. Ab his, modò non baptizentur inviti & prorsus coacti, perspicuum est recipi characterem, non autem gratiam: unde Augustinus lib. iii. de Baptis. cap. xiv. num. 19. *Non interest*, inquit, *cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.* Vide cap. *Sicut in Sacramentis*, de Consecrat. dist. iv. num. 151. Ad gratiam itaque percipiendam debet baptizatus credere, & agere pœnitentiam: remota enim fictione Sacramentum baptismatis reviviscere, & gratiam justificationis conferre, tradidit S. Pater, affirmantque Theologi universi. *Tunc valere incipit ad salutem*, ait de Baptismo Augustinus lib. i. cap. 12. *cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Idem docet S. Pater de hæreticis, lib. iii. cap. 13. asserens tunc illis baptismum valere ad dimittenda peccata, *cum ad Ecclesiæ pacem venerint*: nec aliter de Christianis, qui solis verbis, & non factis renuntiant sæculo, scribit lib. iv. cap. 3. affirmans hoc illis veram conversionem præstare, *Ut sacramentum quod non mutatis valebat ad perniciem, mutatis valere incipiat ad salutem.* Hic nota falli Morinum, qui lib. ix. de Pœnit. cap. 13 scribit reviviscere duntaxat baptismum extra Ecclesiam collatum; cum idem de hæreticis, ac de improbis Catholicis tradat Augustinus. Indefinite pariter loquitur cap. *Tunc valere*, de Consecr. dist. iv. num. 152. Hujus *reviviscentiæ* probationes petunt Theologi ex regeneratione, quæ baptismati tribuitur, Joan. iii. 5. & ad Titum iii. 5. Cum ergo ficte baptizatus nondum regeneratus sit, & ab originali peccato solutus; dum remota fictione consequitur gratiam, hæc susceptio baptismati est tribuenda, ideoque Sacramentum, quod erat *informe*, tunc effectum sortitur suum. Hinc Augustinus citato cap. 12. libri i. de Baptismo confirmat quod scripserat, ex quo nemo possit Christum induere, nisi sit baptizatus in Christo, ficte autem baptizatus nequeat accipere Spiritum sanctum, productis verbis Apostoli ad Galatas iii. 27. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*, & Sapientiæ i. 5. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod baptismus iterari non potest, ideoque ut salutem afferat baptizatis sine prævia dispositione, debet in pœnitentibus vim propriam exerere, quod præstare non potest in hæresi, schismate, & contaminatis moribus persistenti; ut S. Pater exquisitis testimoniis demonstrat duobus aliis in locis prælaudatis. Atque

que hinc apparet Vasquesium nimia confidentia scripsisse disp. 159. cap. 3. ab Augustino nulla ratione fuisse comprobatam *revivisentiam* istam baptismatis. Alteram addunt Theologi probationem, quod nempe peccata baptismum præcedentia non sint *materia* Sacramenti Pœnitentiæ, instituti ad dimittenda peccata post baptismum commissa, ut docet Tridentinum sess. VI. cap. 14. & sess. XIV. cap. 1. Necessum est ergo, ut peccata illa deleantur per baptismum, qui fictione semota reviviscat. Solet opponi, quod baptismus, dum removetur obex, non amplius existat: quod ipsa baptismatis susceptio fuerit in simulantibus *opus mortuum*, ideoque reviviscere nequaquam possit; postremò quod fictio ipsum baptismum præcedat, & tamen per solam pœnitentiam possit remitti. Sed hæc facile diluuntur. Ad primum enim responsum est pag. 164. hujus Voluminis. Ad alterum dicimus baptismum non reviviscere, quatenus est sacrilega actio baptizati, sed in quantum est Sacramentum Christi virtute collatum, & in se non *mortuum*, sed efficax, quamvis perseverante fictione gratiam non conferat, ad instar seminis, cui ariditas terræ est impedimento ne germinet. Ad ultimum reponimus fictionem actu, vel affectu perseveravisse in ipsa susceptione baptismatis, ideoque remitti per Pœnitentiam, quemadmodum remittuntur peccata, in quæ regenerati post baptismum labuntur: & quod affirmamus de fictione, asserendum est de quolibet peccato, cujus affectu detineatur accedens ad sacrum spiritalis regenerationis mysterium, ut docent in quæstionum LXIX. art. 10. Sylvius, aliique Theologi.

# CAPUT XXII.

## De baptismate mortuorum, ærisque Campani.

### *SUMMARIUM.*

1. Quidam baptizarunt vivos pro mortuis: alii mortuos.
2. Unde mos ille exortus.
3. Mortui non sunt baptizandi: neque viventes pro mortuis.
4. Textus Apostoli explicatur tripliciter.
5. Auctor subscribit explicationi tertiæ.
6. 7. 8. Refelluntur hæreticorum argumenta contra baptismum campanarum.

1. Quidam baptizarunt vivos pro mortuis.

BAptismata duo remanent expendenda, quorum unum nos in antiquis hæreticis condemnamus, alterum hæretici recentiores reprehendunr in nobis; mortuorum illud, istud verò signorum, quæ *Campanas* consuetum nobis est appellare. Ac de baptismate mortuorum dicam primò quinam mortuos, aut vivos pro mortuis baptizaverint, deinde cur id fecerint, tandem an recte gesserint, an male. Baptizarunt itaque vivos pro mortuis vetustissimi hæretici Cerinthiani, & Marcionitæ: quorum ductor Cerinthus vixit Apostolorum temporibus, ut constat ex Irenæo lib. III. adversus hæreses cap. 3. & Eusebio lib. III. H. E. cap. 22. alter, id est, Marcion fuit successor Cerdonis, ex eodem Irenæo lib. I. cap. 27. alias 28. vixitque Hygini Papæ, & Antonini temporibus, ut ex priori Apologia Justini, & Epiphanio hæresi XLII. demonstrat ad annum Christi CXLIV. num. 3. Antonius Pagius. Et de Cerinthianis quidem id refert Epiphanius h. XXVIII. *Ex traditione res quædam ad nos pervenit, quod ut quidam apud ipsos de vita decesserunt morte præoccupati citra baptisma, alii pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur, ne ubi resurrexerint, illi in resurrectione pœnas luant, eoquod non acceperunt baptisma: & subditi fiant potestati, quæ mundum condidit.* De quo loco plura Estius in Paulum Tom. I. pag. 387. necnon Vossius disput. XII. de Baptismo, thesi 2. Idem de Marcionitis scribunt Chrysostomus hom. XL. in 1. ad Corinth. cap. 15. Theophilactus eundem in locum, & ex Latinis Tertullianus lib. V. contra Marcionem cap. 10. & de Resurrect. carnis cap. 48. Horum vero testimonia, & quæ scripsit Ambrosiaster in Paulum, & Walafridus de rebus Eccles. cap. 26. cum apertissima sint, & omnia à Vossio producta, brevitatis gratia prætermittimus. Addimus Constantinum Hermenopulum libro de Sectis cap. 11. à Vossio quidem omissum, sed laudatum à Lupo ad Canonem 83. Trullanum, atque hæc de Marcionitis, & Manichæis scribentem: *Quoties apud ipsos non baptiza-*

*tizatus aliquis moritur, sub lectulo defuncti viro quodam occultato, lectulum adeunt, ac mortuum interrogant, an baptizari velit. Respondet occultatus ab imo, velle: atque ita loco defuncti eum baptizant.* Hi ergo hæretici, id est, Cerinthiani, ac Marcionitæ, viventem aliquem pro mortuo tingebant. Cataphrygas autem, quorum in hoc Opere sæpe mentionem fecimus, exortos juxta Ephanium h. XLVIII. circa annum Antonini Pii XIX. id est, Christianæ Æræ 156. auctore pseudoprophetа, perditissimoque Montano, Cataphrygas, inquam, baptizasse mortuos, scribit Brixinensis Episcopus sanctus Philastrius h. XLIX. pag. novæ edit. 37. his verbis: *Hi mortuos baptizant.* In quem locum Auctor Not. lectorem remittit ad Vossium supra laudatum, ad Grotium in 1. ad Corinth. XV. 29. & ad Historiam Pædobaptismi editam Anglica lingua. At Vossius Philastrium quidem laudat, observatque errasse Alphonsum de Castro, qui ait Cataphrygas non baptizasse mortuos, sed vivos pro mortuis, ut fecerunt Cerinthiani & Marcionitæ: at Grotius plura eo loci tractans de baptismate mortuorum, nec Philastrii, nec Cataphrygum fecit mentionem ullam. Hujus præterea erroris non meminit agens de Cataphrygis Ephiphanius h. XLVIII. nec Augustinus de hæres. num. 26. nec Irenæus lib. III. cap. 11. ubi suppresso nomine Montanistas exagitari animadvertit Massuetus. Hæc tamen talia non sunt, ut dicamus erravisse Philastrium; cum ex alia parte constet mortuos à nonnullis hæreticis baptizatos, præsertim ex canone Synodi III. Carthaginensis, de quo infra. Videntur Cataphrygis accensendi Archontici; nam de his scribit Theodoretus lib. I. hæret. fabul. cap. 11. pag. 202. *Post mortem oleum & aquam mortuorum capitibus injiciunt, sic fore dicentes, ut ipsi invisibiles sint, superioresque evadant interjectis dominationibus, & potestatibus.* Atque hi sunt hæretici, quos invenimus baptizasse mortuos, aut viventes pro mortuis.

Alii mortuis.

2. Unde mos ille exortus?

Cui bono, & qua intentione id fecerint, perdifficile est edisserere. Nam si baptizare mortuos positum fuit in consuetudine aliquorum hæreticorum, ante exortam Cerinthi hæresim, ut quidam conjectant ex verbis Pauli 1. ad Corinth. XV. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* probabile est inductum morem illum ex frequentissimis lotionibus Pharisæorum, apud quos fertur usu fuisse receptum, ut si quis mortuus esset legaliter immundus, pro ipso alius ablueretur, eaque ceremonia fieret ne immunditia noceret mortuo, simulque fides excitaretur futuræ resurrectionis, quam Sadducæi denegabant. Visum ita Francisco Turriano, qui id ex Appollinari, Ephræm Diacono, & Eustratio presbytero conatus est demonstrare apud clarissimum Estium in Paulum pag. 388. Sed ambigua sunt, sacrorumque Interpretum ingenia torquent præcitata Apostoli verba. Si autem dixerimus Apostolum de perverso illo more nequaquam fuisse locutum, nec obtinuisse consuetudinem baptizandi mortuos, quando scripsit ad Corinthios priorem Epistolam, id est, circa annum V. Ae. LVII. haud inverisimile erit exortum tingendi mortuos abusum ex prava Apostolicorum verborum intelligentia. Postquam itaque reprobavero mortuorum baptisma, proferam nonnulla de obscuro illo, ac perdifficili Apostoli testimonio.

3. Mortui non sunt baptizandi.

Sane mortuos baptizandos non esse probatur auctoritate, & ratione. Et enim in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ c. 18. legitur: „ Placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non „ detur. Scriptum est enim, Accipite „ & edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Et ne „ jam mortuos homines baptizari faciat „ presbyterorum ignavia: „ sive, ut habetur in Collect. Conciliorum, can. 6. Conc. III. Carthaginensis, *Cavendum est, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.* Ratio etiam evidens est, quoniam mortuorum cadavera recipere nequeunt spiritalem regenerationem, & gratiam, cum anima rationali sint destituta. Neque potest vivus baptizari pro mortuo, quia cum ille renasci debeat ex aqua & Spiritu sancto, qui natus est carne, baptismus prodesse non potest, nisi suscipientibus; præterquamquod defunctis absque baptismo, & ab Ecclesia alienis, nequeunt aliquid præstare suffragia viventium. De Eucharistia data mortuis differendum est alibi: sufficit modò animadvertere & hanc vetari citato canone Carthagi-

Neque vivens pro mortuis.

Carthaginensi, LXXXIII. Trullano, aliisque; imperite autem à nonnullis receptam in usu, quod antiqui Patres ad compescendas diabolicas grassationes in fidelium cadavera, iis aliquando applicuerint Dominici corporis Sacramentum. Vide in præcitatum canonem Trullanum Christ. Lupum P. 2. vet. edit. pag. 1044.

4. Explicatur textus Apostoli triplici-ter,

Restat ergo, ut dicamus de perdifficili illo textu, *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, &c.* Varias loci hujus interpretationes affert, expenditque accuratissime Estius in Paulum, & in peculiari dissertat. de Baptismate mortuorum Augustinus Calmet Tom. 2. pag. 203. Plura etiam de hoc argumento Raynaudus, Albaspinæus, Poncius noster, atque, ne de Vossio, & Grotio aliquid repetam, Epistolarum Pauli Interpretes universi. Tres tamen sunt expositiones, quæ videntur mihi cæteris præferendæ. Prima est eorum, qui asserunt ex consuetudine aliquorum, qui viventes baptizabantur pro mortuis, demonstrare Apostolum futuram corporum resurrectionem, argumento, ut inquiunt, *ad hominem*, non consuetudinem illam approbando, sed ex illa adstruendo fidem resurrectionis. Pugnat pro hac interpretatione acerrime Calmet: eamque præter ea, quæ diximus de more Pharisæorum, confirmant verba Tertulliani lib. v. contra Marcionem cap. 10 scribentis, Paulum non fuisse baptismi pro mortuis auctorem & confirmatorem, sed ea scripsisse, *Ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem: quanto illi, qui vane pro mortuis baptizaventur, fide resurrectionis hoc facerent.* Altera interpretatio est eorum, qui censent loqui Paulum de iis, qui decumbentes in lecto, & morti proximi baptismum suscipiunt, & reipsa declarant se baptizari *pro mortuis*, id est, ut baptismus prosit sibi vita functis, & pro eo statu, ad quem accelerant: quod pariter ad probandam resurrectionem invictum est argumentum, quia dum Sacramentum impenditur corporibus, consecrantur immortalitati; ideoque suscipientes baptismum ex hac vita migraturi sperant se fore resurrecturos. Ac de hac interpretatione legendus Estius, nec prætermittendus Gerardus Vossius. Expositio tertia est eorum, qui interpretantur τὸ *pro mortuis*, pro corporibus morti obnoxiis, ita, ut verborum Apostoli sensus sit, Si futura non est carnis resurrectio, cur in spe & fide resurrectionis baptizantur corpora, ita addicta morti, ut nunquam sint immortalitate donanda? Amplectuntur interpretationem istam Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Teophylactus, & Oecumenius, ut præteream juniorum complures: & in ejus confirmationem observat Chrysostomus, baptizandos recitatis verbis symboli, *Credo carnis resurrectionem*, in hac fide regenerari. *Hoc ergo* (inquit hom. XL. in 1. ad Corinth. pag. edit. Commel. 688.) *in memoriam revocans Paulus dicebat, Si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis, id est, corporibus? Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, id est, quod non maneat mortuum.*

1ma Explicatio.

2da.

3tia.

Hanc Chrysostomi explicationem præpono cæteris: prima siquidem, licèt non levibus conjecturis innixa sit, inde refutatur, quod vero non videatur simile, Apostolum adstruere fidem resurrectionis ex perversa quorumdam consuetudine. Hanc præterea consuetudinem ante annum LXXX. & Cerinthianæ hæreseos primordia, certo non constat obtinuisse. Insuper Sadducæi, aliique resurrectionem negantes potuissent eludere argumentationem Apostoli, reponentes mortuos, aut vivos pro mortuis baptizari, non in spem resurrectionis, sed ne defunctis obesset immunditia legalis. Secunda pariter expositio non videtur invicta; quoniam in spem resurrectionis non solum baptizantur Clinici & decumbentes, sed omnes omnino qui baptizantur, fruentes quoque bona valetudine: contra interpretatio Chrysostomi quadrat optime scopo Apostoli de resurrectione differentis, & cohæret præcedenti argumento inde petito, quod *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Respondet Calmet, incertum esse quod Apostoli ætate baptizandi recitarint illum articulum, *Credo carnis resurrectionem*: addit Estius hæc verba *pro mortuis* ægre trahi ad sensum illum, *pro corporibus morti obnoxiis*, sive, *pro fide & spe resurrectionis corporum*, ut visum Chrysostomo. Sed quod ait Calmet refellitur ex his, quæ diximus lib. XXII. cap. 6. de Symbolo Apostolico: & insuper baptizandos, nisi ore, saltem corde professos fuisse resurrectionem carnis, adeo apertum est, ut non indigeat probatione. Estio autem primò respondemus, si τὸ *pro mortuis* coacte referatur ad corpora *moritura*, & nondum mortua, coacte etiam accipi ab ipso Estio pro decumbentibus & *moribundis*.

5. Auctor subscribit 3tiæ.

*bundis.* Deinde asserimus recte corpora subjecta mortis necessitati, ab Apostolo dici *mortua*; siquidem idem Paulus ad Rom. VIII. 10. inquit: *Si autem Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem:* quem in locum scribit pag. 83. ipsemet Estius: *Mortuum corpus vocat, quod paulo post mortale: sed ideo dicit mortuum, quia non tantum tale est, ut mori possit, sed quod corruptionem in se habeat, qua perpetuo & inevitabiliter tendat ad mortem. Unde & corpus mortis ipsum appellavit superiori capite. Quò pertinet etiam illud vulgatum, Nascentes morimur.* His itaque vindicata à nobis est interpretatio Chrysostomi, investigatus sensus Apostoli, & dissertatio de mortuorum baptismo ad umbilicum perducta.

6. Contra baptismum æris campani afferunt hæretici argumenta.

Agendum est modò de Campanarum baptismo; quem, ut diximus, hæretici damnant superstitiosi ritus, Magdeburgenses cent. X. cap. 6. Hospinianus lib. I. de Templis, Vossius Tract. Theolog. tom. 6. pag. 300. aliique apud Joannem Georgium pag. 343. Horum argumenta sunt. 1. I. Quod hujus ritus inventor fuit Joannes XIII. qui anno 968. omnium primus sacris cæremoniis consecravit Lateranensis Ecclesiæ Campanam. 2. II. Eundem ritum proscripsit Carolus Magnus in Capitul. pag. edit. Moguntinæ 266. hac Constitutione, *Ut clocas non baptizent, nec chartas per perticas pendant propter grandinem.* 3. III. Quoniam Campanæ sunt omnino 4. baptismatis incapaces. IV. Quia ridiculum ac superstitiosum videtur in Campanarum baptismo ea omnia adhiberi, quæ in baptismate hominum usurpantur, impositio nominis, inunctio, lavacrum, candida vestis, necnon *Patrinorum* præsentia.

7. Refelluntur hæretici, & ostenditur usus Campanæ pervetustus.

Verùm hæc ad eliminandum sacrum Ecclesiæ ritum infirma nimium sunt, & futilia. Principio enim, quantum attinet ad usum Campanæ, quovis tempore ad Ecclesiam signo aliquo fideles congregati fuere: in veteri lege tubis argenteis, ac ductilibus, ut habetur in Num. X. 2. pro quibus substitutas Campanas scribit Albinus Flaccus de div. Off. pag. Rom. edit. 66. Et licet incompertum sit, quo præcise signo primis Ecclesiæ sæculis convocarentur, neque, ut opinor, signum duntaxat unum fuerit in usu; convocatos tamen signo aliquo sonoro, scripsit sæculo IV. S. Ephrem Edessæ in Syria Diaconus Paræneſi 43. & alii apud Casalium de vet. Rit. Christ. cap. 43. Et quidem Græci, antequam Ursus Participatius Dux Venetorum circa annum 865. Campanas quasdam dono mitteret ad Michaelem Imperatorem, consueverunt plebem evocare ad templa, nunc lignea tabula, quam malleis duobus pulsabant, nunc verò lamina ferrea, malleo pariter percussa: quæ instrumenta describit, delineatque in Opusculo de Tintinnabulis Hieronymus Magius, ubi quoque ait primum appellatum σύμανδρον, *Symandrum*, alterum Ἁγιοσίδηρον, *Hagiosidirum.* At in Ecclesia Occidentali Campanæ longe antea fuerunt in usu: siquidem earum meminit Auctor Ordinis Romani tit. de Sabbato sancto, S. Audœnus in Vita S. Eligii scripta circa annum 650. lib. 2. cap. 21. & sub initio sæculi VII. Ven. Beda lib. IV. Hist. Gentis Anglorum cap. 23. Quis verò Campanarum invexerit usum, arduum est definire. Sabiniano ad Petri catedram evecto anno 604. id tribuunt Polydorus Vergilius lib. VI. de Rer. invent. cap. 2. Genebr. in Chronico, Panvinius noster in Epitome Rom. Pontif. Ciaconius, & quidam alii. At vellent eruditi hujus ævi, protulissent viri illi percelebres assertionis hujus momentum aliquod: nam si sola Polydori ducantur auctoritate; de illo haud illepide Joannes Audœnus Epigram. 49.

*Virgilii duo sunt: alter Maro, tu Polydore*
*Alter; tu mendax, ille poeta fuit.*

Fert vulgaris, & communior opinio Campanas initio sæculi V. usurpatas à S. Paulino Nolano Episcopo, ac propterea *Campanas*, & *Nolas*, à Nola Campaniæ urbe fuisse dictas. Sed & opinionem hanc refellunt plurimi, quibus novissime accesserunt Sandinus in Notis ad Sabinianum, & Joseph Catalanus in Pontif. Romanum P. 2. tit. 23. ea ducti ratione, quod nullus veterum, qui scripsere de Paulino, nec Paulinus ipse describens in Epist. ad Severum partes omnes Basilicæ à se constructæ, inventionem istam laudaverit. Addunt vocabulum *Nola* tribus fere ante Paulinum sæculis usurpatum à Quintiliano lib. VIII. cap. 6. ubi ait: *In cubiculo nola.* Ego utique non ausim id definire; contemnendum tamen non est argumentum petitum à nominum etymologia. Puto enim Sandinum labi, dum post Magium, aliosque putat Quintilianum adhibuisse vocem *Nolæ* ad significandum

candum tintinnabulum. Fefellit viros doctos Cælius Rhodiginus lib. XIX. cap. 11. & *nola* est fœmina, quæ in triclinio simulat se paratam ad venerem, ad quam non vult in cubiculo adduci: unde est ænigma illud ad Fabium, *In triclinio coa, in cubiculo nola*: de quo Vossius lib. IV. Instit. Orat. cap. XI. & in Etymol. pag. 99. Non arbitror autem à re tam obscœna nomen sacrorum signorum deriv sse; præsertim cum nomen aliud *Campanæ*, nonnisi à Campania sit derivatum; quemadmodum trutina, sive statera constans scapo lineis distincto, ex quo reperta sit in Campania, *Campana* & ipsa dicitur ab Isidoro lib. XVI. cap. 24. & à Græcis κώμπανος. Derivari Campanæ nomen à καπάνη, *galea*, inserto M. demonstrari non potest; & Vossius, qui hanc præmiserat etymologiam, ait postea, plus illam argutiarum habere, quàm veritatis. Certe Walafridus Strabo de div. Off. cap. 5. *Campanas* à Campania, *Nolas* à Nola dici absque ulla hæsitatione pronuntiat. Solemnem Campanarum benedictionem antiquiorem esse Joanne XIII. consentiunt recentiores, probantque ex Ritualibus libris editis ante eundem Pontificem. Vide Bonam lib. I. de Rebus Liturgicis cap. 22. nostrum Angelum Roccam Tom. I. pag. 162. Martenium de Antiq. Eccl. ritibus lib. 2. cap. 21. Catalanum citato loco, & Sandinum in Vitis Rom. Pontif. pag. 309. Etsi Joanne XIII. ritus ejuscemodi recentior esset, nil evincerent Ecclesiæ hostes, cum sit in Ecclesia novos instituendi ritus plena potestas. Profectò Campanæ non baptizantur, quasi fidei & gratiæ sint capaces, sed ut nos sacra quadam voce ad Ecclesiam convocemur, ac benedictione æris tinnientis percipiat populus invitari se ad fidei verbum, confortetur in Domino convocatus, crescat in eo devotio, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, & impetus tempestatum: quem ob finem consecrari Campanas docent ipsa verba Pontificalis Romani, & cap. 14. Concilii Colonienſis Tom. XIV. Labbei pag. 549. necnon Confutatio Claudii De-Vert §. LI. confirmantque admiranda, quæ de Campanis consecratis collegerunt Gretserus lib. 2. de Benedict. cap. 45. & Angelus Rocca cap. VII. pag. 166.

8. Respondetur ad hæreticorum arg. Ad 1.

Ad primum ergo hæreticorum argumentum, dicimus Joannem XIII. non esse institutorem consecrationis sacrorum signorum, nec nomen suum imposuisse Campanæ Lateranensi, ut inquiunt Vossius, & Balæus; sed consecrasse Campanam illam, impositio ei S. Joannis nomine, ritu jam antea instituto: quamquam si hunc primò induxisset Joannes XIII. frustra heterodoxi garrirent. Ad 2. dicimus reprobasse Carolum Magnum consecrationem Campanæ peractam superstitioso quodam ritu, non recepto ab Ecclesia, ut animadvertit Vitus Amerbachius apud Roccam pag. 163. etsi fidei norma non sit à Carolinis Capitulis repetenda. Ad tertium reponimus benedictionem Campanæ dici *baptismum* lata significatione, quatenus idem est, ac ablutio, ut in exemplis productis supra pag. 293. non *baptismum* consecratum *forma* verborum, & sacramentum producens gratiam. Ad IV. respondemus in Campanarum baptismo non adhiberi *formam*, quæ Sacramentum constituit, nec instructionem & catechismum, ut recte ait Bellarminus lib. IV. de Rom. Pontif. cap. 12. Imponitur verò Campanæ nomen, ut quasi voce alicujus Sancti christiana plebs convocetur: benedicitur, & inungitur, inquit Durandus lib. I. cap. 22. quemadmodum lapis, quem Jacob erexit in titulum, nempe quia consecratur in Dei cultum: extergitur linteo mundo in sacri olei venerationem; admittuntur denique in quibusdam Cataloniæ partibus, non tamen ubique, nec ex Pontif. Romani præscriptione, in hoc baptismo *patrini*, ut sacrorum signorum præsint custodibus, atque hi ea pulsent juxta Ecclesiæ consuetudinem, atque ob finem pervulgato disticho expressum,

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

*Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,*
*Defunctos ploro, nimbum fugo, Festaque honoro.*

CAPUT

# CAPUT XXIII.

## Quatenus baptismus ad salutem sit necessarius, & per votum, aut martyrium suppleri possit.

## *SUMMARIUM.*

1. Status quæstionis, & quædam remissivè.
2. 3. Baptismus omnibus ad salutem est necessarius necessitate medii, & adultis etiam necessitate præcepti.
4. 5. Solvuntur objectiones hæreticorum.
6. 7. Baptismum fluminis supplet baptismus flaminis in adultis, non autem in parvulis.
8. 9. Satisfit objectionibus.
10. 11. 12 Martyrium tam in adultis, quàm in parvulis supplet baptismum,
13. Expediuntur objectiones.

1. Status quæstionis & quædam remissivè.

AMpla, ac perdifficilis foret præsens quæstio de Baptismi necessitate, nisi variis partibus harum lucubrationum pertractata esset, atque expedita. Nam antiqui hæretici, Cajani, Archontici, aliique baptismum aquæ ad salutem necessarium denegantes, quibus accesiere discipuli cujusdam Gandulfi Itali anno MXXV. damnati in Synodo Atrebatensi, capite IV. hujus libri exagitantur & refelluntur. Pelagiani negantes originale peccatum, & asserentes parvulos non propter salutem & propter vitam æternam, sed duntaxat propter regnum cœlorum, quod perperam distinguebant à vita æterna, sacro baptismate esse abluendos, lib. XIII. refutantur prolixa dissertatione. Calvinus, aliique Novatores autumantes filios baptizatorum salvos fieri absque generationis lavacro, adultos autem justificari per solam fidem, eodem libro XIII. cap. 4. & libro XIX. cap. 2. & 5. data opera revincuntur. Sociniani quoque nullum aliud baptisma necessarium affirmantes, præter institutionem atque doctrinam, confutantur cap. 1. & 4. hujus libri. Denique infantes salutem non consequi per solam fidem, votumque parentum, ut visum est nonnullis Catholicis, capite nono libri XIII. secundo, tertio, & quarto libri XXX. necnon libri hujus duodevicesimo, satis, quantum arbitror, commonstravimus. Compendio itaque, ne sæpe eadem repetamus, nobis de necessitate baptismatis est pertractandum.

2. Propositio 1. Baptismus omnibus *necessitate medii*, & adultis etiam *necessitate præcepti* necessarius est ad salutem.

PROPOSITIO I. Baptismus omnibus *necessitate medii*, & adultis, qui libero utuntur arbitrio, & Evangelicæ legis notitiam habent, etiam *necessitate præcepti*, necessarius est ad salutem.

Illud enim necessarium est ad salutem *necessitate medii*, sine quo finis obtineri non potest. At sine baptismate sempiterna salus obtineri non potest. Ergo baptismus necessarius est ad sempiternam salutem obtinendam *necessitate medii*. Minor probatur 1. ex Scripturis: nam Joan. III. 5. ait Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* 1. Petri III. 21. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*: aliaque hujus generis in superioribus disputationibus producta & explicata. II. Confirmatur Ecclesiasticis definitionibus. Etenim in Concilio Palæstino, id est, Dispolitano Pelagius Ecclesiastico judicio *anathematizare compulsus est, infantes etiamsi non baptizentur habere vitam æternam*; ut refert S. P. Augustinus epist. 106. ad Bonifacium, nunc 186. ad Paulinum. Concilium Carthaginense IV. in Epistola Synodica ad Innocentium, inter Augustinianas 90. nunc 175. prope finem hæc habet: *Quicunque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit:* & Tridentinum Concilium, ut cætera brevitatis gratia prætermittamus, sess. VII. can. 5. ait: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* III. Corroboratur perpetua Patrum traditione. Cyprianus Epist. LXIX. aliàs VII. libri IV. *Si Fide Trinitatis*, inquit, *mundatus non fuerit, in resurrectione apud sanctorum collegium immundus erit*: loquitur autem aperte de Sacramento visibili, subjiciens, *aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere.* S. P. Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis cap. XVI. num. 21. *Quisquis ex concupiscentia carnis, & lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari spiritaliter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, sed etiam à damnatione peccati liberetur: sicut enim*

Prob 1ma Pars. 1. Ex scripturis

2. Ex definitionibus Ecclesiasticis.

3. Traditione Patrum.

*per primum hominem in peccato & morte nascuntur, sic etiam per Christum in justitia & vita æterna in baptismo renascuntur.* Lib. II. cap. 27. num. 43. *Sicut generatio carnis peccati per unum Adam in condemnationem trahit omnes, qui eo modo generantur, sic generatio spiritus gratiæ per unum Jesum Christum ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem baptismi profecto Sacramentum regenerationis est, &c.* Chromatius Aquilejensis hom. in Matth. apud Justum Fontanini in Hist. Aquil. lib. III. cap. 4. *Non potest quis gratiam doni cœlestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per donum baptismi salutaris.* Laudantur hæc verba sub nomine Joannis Chrysostomi apud Gratianum de Pœnit. dist. 1. cap. 41. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. XXVII. num. 68. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati, sine Sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos; quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, tamen originalis peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.* Hæc ex innumeris Patrum testimoniis selegimus, quoniam singula inter canones dist. IV. de consecr. relata sunt; aliorumque Patrum consensio liquet ex præmissis dissertationibus.

3. Prob. 2da Pars. Probatur altera pars. Omnes quippe tenentur adhibere ea media, quæ ad consecutionem finis sunt necessaria; nec aliam, si ea media negligant, & aspernantur, habere possunt excusationem, nisi latæ legis invincibilem ignorantiam. Adulti itaque habentes libertatis usum, si illis annuntiatum sit Evangelium, præcepto suscipiendi baptismatis obstringuntur. Comprehendi autem in Evangelica lege præceptum baptismi, constat ex cap. XXVIII. Matth. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ex praxi Apostolorum, Act. II. 38. VIII. 12. 36. ex Epistola prima ad Corinth. I. 14. 16. quæ loca vindicavi ab interpretamentis Socinianorum supra pag. 193. & 194. Urget eadem loca prælaudatum Concilium Atrebati cap. 1. ubi etiam hæretici, qui usurpabant lotionem pedum, baptismum autem damnabant, gravi hac ratiocinatione revincuntur: *Quid sibi vult illa materialis aquæ alluvio, quæ lavandis pedibus invicem exhibere soletis? Nam si hoc ab Evangelio vos accepisse dicitis, ut quia Dominus discipulorum pedes lavans hoc illis exemplum reliquisse legitur, & vos quoque hujus rei gratia facere vos invicem dicatis; stultum est, imo sacrilegum cætera, & multo majora repudiare, quæ ab ipso rerum auctore Domino sunt constituta, ab Evangelio nuntiata, ab Apostolis tradita, sine quibus nostræ salutis plenitudo non potest consistere: quæ quidem ipse Dominus & ante resurrectionem, & post resurrectionem discipulis suis servanda instituit.* Extat tom. XI. Concil. collect. Venetæ pag. 1154.

Opponunt hæretici. I. Deus Gen. XVII. 7. statuit pactum cum Abraham, & semine ejus, *fœdere sempiterno.* Atqui hæc promissio per fidem spectat ad filios baptizatorum, ex Apostolo ad Rom. IV. 13. & IX. 8. Igitur filii baptizatorum per solam fidem, & absque visibili Sacramento æternam promissionem poterunt adipisci. II. Ex eodem Apostolo ad Rom. XI. 16. filii credentium sunt *Rami* ex radice sancta pullulantes, & ex prima ad Corinthios VII. 14. sunt *sancti*, & *mundi.* Nullo ergo egent salutari lavacro. III. Act. X. 44. Cornelius, & omnes, qui audiebant verbum loquente Petro, nondum suscepto baptismate receperunt Spiritum sanctum. Non est ergo necessarium ad sanctificationem & gratiam lavacrum aquæ. IV. Ecclesia priscis sæculis consuevit orare pro Catechumenis absque baptismo defunctis; ut constat ex Canone 79. Concilii IV. Carthaginensis celebrati anno 398. & ex canone 12. Concilii II. Arelatensis celebrati anno 452. Ex veteri ergo disciplina Ecclesiæ pro Catechumenis istis preces & sacrificia offerentis, constat quamplurimos absque unda baptismatis salutem consequi.

4. Objiciunt hæretici I. 2. 3. 4.

Resp. ad primum nego consequentiam: nam quemadmodum Judæi procreati ex semine Abrahæ participes non erant sempiterni fœderis, *nisi accepto signo circumcisionis;* ita filii credentium non sunt filii promissionis, nec reputantur in semine, nisi *per exspoliationem corporis carnis* sint consepulti Christo in baptismate: & sicut delebatur anima pueri incircumcisi de populo Dei, ob præscriptum legis, *Masculus,*

5. Respondetur Ad I.

*Masculus, cujus præputii caro, &c.* ita excluditur à regno Dei quisquis non regeneratur baptismo, juxta Evangelicam sententiam, *Nisi quis renatus fuerit &c.* Vide supra lib. xxx. cap. 3. prop. 5. Cæterum Apostolus ad Romanos IV. loquitur adversus Judæos circumcisionem, legisque Mosaicæ observationem jactantes, demonstratque homines justificari *per fidem Christi*, minime seclusis Evangelicis institutis, virtutum operibus, & sacramentis, ut diximus disputantes de Justificat. lib.
Ad 2. XIX. cap. 4. & 5. Ad 2. & 3. diximus lib. XIII. cap. 4. *radicem sanctam* esse religionem Christianam, & *ramos insertos* filios gentilium, baptismate regeneratos, qui appellantur *sancti* ob renascentiam spiritalem, & Sacramenti virtutem: unde poterit lector dicta eo loci repetere, aut rectâ adire præstantissimum Augustinum lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 25. & 26. Ad
Ad 3. tertium respondeo, ex Cornelii facto nullum accedere heterodoxis præsidium; primò quoniam etiam Cornelius, aliique gentiles jubente Petro *baptizati sunt*, eodem cap. x. 48. quare licèt idem Cornelius *ante visibile Sacramentum cum suis qui aderant acceperit Spiritum sanctum; verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit*, inquit Augustinus quæst. XXIII. in Num. n. 9. Secundò, quoniam hoc in facto *singulari privilegio* sanctificatio præcessit baptismum, ac propterea id nihil derogat hujus Sacramenti necessitati; sicut nec tollitur necessitas circumcisionis, ex quo Abraham ante ipsam circumcisionem justificatus fuerit ex fide. Videatur S. Pater quæst. LXXXIV. in Leviticum, & serm. 269. num. 2. necnon lib. IV. de Bapt. cap. 24. Tertiò, quia *licet eleemosynæ mundaverint Cornelium ad quemdam modum, restabat tamen, ut tanquam cibus mundus incorporaretur Ecclesiæ*: ita Eximius Doctor serm. 149. num. 7. Tandem quia exorta dubitatione, utrum incircumcisi baptizandi essent, ideo accidit illapsus visibilis Spiritus sancti, ut ipsa rei magnæ attestatione perciperent ex circumcisione fideles, etiam in gentes effundi gratiam ejusdem Spiritus, & Petrus manifesta Dei virtute animatus regnum Dei nationibus aperiret. Traditur hæc ratio ab ipso Augustino serm. XCIX. num. 12. ab Oecumenio pag. 99. in Acta & à præcitata Synodo Atrebatensi cap. 1. ac videtur certa, & planissima, modò conferatur cum Apostolica. Ad ultimum respondeo, non ubique locorum viguisse consuetudinem orandi pro Catechumenis sine baptismo defunctis, &, ubi id fuit in usu, pro iis Catechumenis oblatas preces, qui decessissent cum vehementi baptismatis desiderio.

PROPOSITIO II. Baptismus *flaminis*, id est, ardens baptismi votum supplet in adultis, non autem in parvulis, qui per se votum illud nequeunt concipere, necessitatem baptismi *fluminis*, hoc est, aquæ.

6. Propositio 2. Necessitatem baptismi *fluminis* supplet baptismus *flaminis* in adultis; non autem in parvulis.

Demonstratur prima pars ex Scripturis, quæ in Deum credentibus ac sperantibus, & eum ardenti charitate diligentibus salutem promittunt æternam. Legimus quippe Joelis II. 32. Act. II. 21. & ad Rom. X. 13. *Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Is. XXVIII. 16. & ad Rom. X. 11. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Ps. L. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* 2. Paralip. XXX. 19. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum; & non imputabit eis quod minus sanctificati sunt.* Lucæ II. 14. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Ex quibus constat remissionem peccatorum cum fide, & conversione ad Deum esse conjunctam, si voluntas humana vehementer expetat sacramenta, eaque ob rerum circumstantias elemento, aut administris deficientibus, percipere reipsa non valeat; ut de Judæo quodam injecta arena baptizato dixi pag. 221.
Prob. 1ma Pars 1. ex scripturis.

II. Accedunt definitiones Tridentinæ Synodi: quæ sess. VI. cap. 4. posteaquam justificationem descripsit, *ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum*, addit, *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit, &c.* Similia leguntur sess. VII. can. 4. de Sacram. in Gen. ubi pariter ad justificationem S. Synodus requirit præter fidem, à qua duntaxat hæretici justitiam repetunt, *aut sacramenta*, aut saltem *eorum votum*.
2. Ex Trid.

Confirmatur propositio Patrum auctoritate. Sanctus enim Ambrosius in Oratione de obitu Valentiniani n. 51. inquit:
3. Ex SS. Patribus.

„ Audio vos dolere, quod non acce-
„ perit sacramenta baptismatis. Dicite
„ mihi, quid aliud in nobis est, nisi vo-
„ luntas, nisi petitio? Atqui etiam du-
„ dum hoc votum habuit, ut antequam
„ in Italiam veniisset, initiaretur, &
„ proxime baptizari se à me velle signi-
„ ficavit: & ideo præ cæteris causis me
„ accersendum putavit. Non habet er-
„ go gratiam, quam desideravit? non
„ habet quam poposcit? Certe quia po-
„ poscit, accepit. „ Plura ibidem ad rem nostram aptissima Præsul sanctissimus. Augustinus quoque lib. IV. de Baptismo cap. XXII. n. 29. affirmat, „ non tantum passionem pro nomine
„ Christi id quod ex baptismo deerat
„ posse supplere; sed etiam fidem, con-
„ versionemque cordis, si forte ad ce-
„ lebrandum mysterium baptismi in an-
„ gustiis temporum succurri non potest.
„ *Et infra ait*, sine visibili Sacramento
„ impleri invisibiliter, quod ad Rom. X.
„ inquit Apostolus, Corde creditur ad
„ justitiam, ore autem confessio fit ad
„ salutem, quando mysterium baptis-
„ mi non contemptus religionis, sed
„ articulus necessitatis excludit. „ Et cap. XXV. ejusdem libri num. 32. scribit, „ aliud esse Sacramentum baptismi, ali-
„ ud conversionem cordis, sed salutem
„ hominis ex utroque compleri: nec si
„ unum horum defuerit, ideo putare
„ debemus consequens esse, ut & alte-
„ rum desit, quia & illud sine isto po-
„ test esse in infante, & hoc sine illo po-
„ tuit esse in latrone, complente Deo
„ sive in illo, sive in isto, quod non ex
„ voluntate defuisset. Cum vero ex vo-
„ luntate alterum horum defuerit, rea-
„ tu hominem involvi, & baptismus
„ quidem potest inesse, ubi conversio
„ cordis defuerit: conversio autem cor-
„ dis potest quidem inesse non percepto
„ baptismo: sed contempto baptismo
„ non potest. Neque enim ullo modo
„ dicenda est conversio cordis ad Deum,
„ cum Dei sacramentum contemnitur.
Habentur hæc omnia cap. *Baptismi vicem*, de Consecrat. dist. IV. num. 34. Etiam S. Bernardus Epist. LXXVII. ad Hugonem Victorinum, „ Si quis vo-
„ luerit (*inquit*) & petierit baptizari,
„ sed mortis præoccupatus articulo for-
„ te obtinere nequiverit, dum non de-
„ sit fides recta, spes pia, charitas sin-
„ cera, huic ego ob solam aquam, si de-
„ fuerit, nequaquam, omnino possum
„ desperare salutem, nec vacuam cre-
„ dere fidem, nec confundere spem, nec
„ excidere charitatem, tantum si aquam
„ non contemptus, sed sola, ut dixi,
„ prohibeat impossibilitas. „ Productis deinde testimoniis Ambrosii & Augustini, „ Ab his duabus columnis, *ait*, dissi-
„ le avellor; cum his, inquam, me aut
„ errare, aut sapere fateor, credens &
„ ipse sola fide hominem posse salvari
„ cum desiderio percipiendi sacramenti;
„ si tamen pio adimplendi desiderio mors
„ anticipans, seu alia quæcunque vis
„ invincibilis obviaverit. „ Vide Bern. Tom. IV. pag. 118.

At in parvulis non suppleri baptismum per fidem, votumque parentum, ostendi lib. XIII. cap. 9. & hoc ipso, in quo versamur, cap. 18. Etenim aliena fides & charitas nihil in parvulis operatur, eosque relinquit à Deo aversos, pollutosque ea labe, quam contraxerunt generatione carnali, quoadusque abluantur, & renascantur per lavacrum spiritalis regenerationis. Eatenus quippe adulto sufficit fides, & charitas propria, quatenus per has potest Deo conjungi, & averti à peccato; cum ex adverso fides & charitas nostra nequeat, ut alibi dictum est, ad aliorum justificationem prodesse, nisi eis promerendo pios illos arbitrii motus, quorum incapaces sunt parvuli. Ad hæc Christus instituit medium, per quod sancta mater Ecclesia possit fidem suam infantibus accommodare: ac medium illud est baptismus; in quo *os maternum* Ecclesia parvulis præstat, illosque parit quidem & enititur, sed *ex aqua*, tanquam ex alvo & matrice. Frustra itaque fidem præstaret suam, nisi regeneraret ex aqua; cum fides sit, quasi nisus, ac dispositio ad emittendum partum, baptismus vero sit regenerationis mysterium, & quasi uterus parientis. Recte Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. XXIII. num. 33. *Nulla igitur ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.* Habet similia epistola 187. ad Dardanum num. 33. epist. 166. ad Hieronymum num 10. & 25. lib. 3. de Origine animæ cap. IX. num. 12. & VI. contra Julianum cap. IV. num. 10. 7. Prob. 2. Pars.

Oppones contra primam propositionis partem. S. Ambrosius serm. 3. in Psalmum 118. num. 14. & lib. de Myst. cap. IV. num. 20. docet neminem consequi salutem, *nisi per Sacramentum baptismi.* Idem repetit lib. 2. de Abraham cap. XI. num. 79. & 84. ubi recitata Evangelii sententia, *Nisi quis renatus* 8. Objectio 1. contra primam partem.

*natus fuerit, &c.* inquit: *Nullum excipit, utique non infantem, non aliqua præventum necessitate.* S. P. Augustinus pluribus in locis negat Catechumenum justificari sine baptismo. Illustriora sunt Tract. IV. in Joan. num. 13. & Tractatu XIII. num. 7. Ecclesia demum per quinque priora sæcula nunquam consuevit sacrificia & preces offerre pro Catechumenis defunctis absque baptismo. Votum ergo baptismi nequaquam supplet ejusdem Sacramenti necessitatem.

Responsio. Resp. Ambrosium, & Augustinum accipiendos de infantibus; atque de Catechumenis, qui cum sibi justi videantur, contemnunt Sacramenti virtutem; & in quibus licet sit fides aliqua, & etiam charitas initialis, cum non sit illa conversio cordis, quæ inesse non potest *contemnendi baptismum*, nec etiam est tale votum, quod salvet hominem inopinata morte præventum. Atque hæc responsio constat ex præcitatis Ambrosii, & Augustini testimoniis, atque ex iisdem tractatibus IV. & XIII. in Joannem. Expedita ergo est via ad has, aliasque Patrum sententias percipiendas, si dicamus *baptismi* nomine comprehendi etiam baptismi desiderium, quando necessitas excludit actualem ipsius perceptionem, ut in dist. IV. §. 18. inquit Estius. Ob ipsam negligentiam, & contemptum Catechumenorum procrastinantium baptismum ad provectam ætatem, ut diutius improbis moribus indulgerent, jure canone 17. Concilii Bracarensis an. 563. aliisque Ecclesiæ statutis definitum est, ne Catechumeni illi decedentes absque sincera cordis conversione, fruerentur communione sanctorum; atque hujusmodi disciplinâ consultum cæteris, ut quamprimum salutaribus undis expiarentur. Non fuit tamen hæc disciplina universalis, ut apparet ex præced. propositione.

9. Objectio 2. contra secundam partem. Adversus partem alteram propositionis objicies: Fides adultorum supplet fidem in parvulis: Quare votum adultorum non potest supplere votum iisdem in parvulis? Deinde, nonne instituta circumcisione parvuli ante octavam diem decedentes salvabantur per vota parentum? Num fides suam modò vim, ac præstantiam deperdidit?

Responsio Resp. fidem adultorum non regenerare parvulos, id enim *aquæ & Spiritus sancti* proprium est; sed illis applicare *Sacramentum regenerationis*, sine quo fides aliena non prodest infantibus, & cum quo etiam sine fide aliena salvantur, ut dixi supra. Idem ergo dicendum est de parentum voto, quod infantibus absque applicatione *Sacramenti visibilis* non potest spiritalem vitam, salutemque conferre. Accedit, quod nec adultis potest fides opitulari absque cordis conversione & charitate, quam habere nequeunt infantes. Quocunque ergo tempore originale peccatum *visibili Sacramento* oportuit expiari, ut cum Augustino scripsimus præcedenti libro XXX. pag. 19. & 41. ubi etiam de puerulis ante diem octavum demortuis, quando circumcisio obtinebat. Vide etiam supra cap. XVIII.

10. Propositio 3. Tam in adultis quàm parvulis supplet martyrium baptismum. Prob. 1ma. Pars 1. ex Scripturis. Prop. III. Martyrium quoque supplet baptismi vicem, non tantum in adultis, verum etiam in parvulis.

Demonstratur 1. ex Scripturis. Matth. enim X. 32. legitur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: & cap. XVI. 25. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* quæ duo loca ingeniose versans Augustinus lib XIII. de Civit. Dei cap. 7. ait: *Nam quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: alia sententia istos fecit exceptos, ubi minus generaliter dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. Hinc est quod scriptum est, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, & merita comuatius augeantur?* II. Confirmatur thesis veterum traditione. Ac primo Auctor Constit. Apost. lib. V. cap. 6. pag. 304. hæc habet: *Qui vero martyrio dignus est habitus, lætitia in Domino efferatur, quod tantam coronam nactus fuerit, ut per confessionem ex hac vita migret. Quamvis Catechumenus sit, sine tristitia excedat: passio enim pro Christo perlata erit ei sincerior baptismus; quandoquidem ipse revera, & periculum faciendo, Christo commoritur: reliqui vero, hoc est, qui baptizantur, figure*

2. Traditione Veterum.

*tantum.* Cyprianus Epist. LXXVII. ad Jubajanum de Catechumenis pro fide occisis inquit: *Sciant Catechumenos nec privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur glorioſissimo & maximo sanguinis martyrio, de quo & Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari & divinæ pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in paradiso pollicetur.* Vide pag. postremæ edit. Ven. 236. Cyrillus Jerosolym. Catech. VIII. Joanne Grodecio interprete pag. 60. hæc habet: *Redimens terram Salvator per crucem, & in latere vulneratus sanguinem & aquam emisit: ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alii vero tempore persecutionis in propriis sanguinibus. Quod vero etiam is recte baptismus vocetur, vide Salvatoris testimonium qui dicit: Potestis bibere calicem, quem ego bibam, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* S. Basilius de Sp. S. cap. XV. pag. 178. edit. Morel. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui in certaminibus pro pietate, revera pro Christo mortem perpessi, nihil hujusmodi Sacramentis, quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine.* Vertit Erasmus *Christi mortem*: sed habetur in Græco, ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον. Ambrosius prælaudata Orat. de obitu Valentin. num. 53. hæc habet: *Si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc mòvet: ergo nec martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur: non enim coronantur si non initiantur, Quod si suo abluuntur sanguine; & hunc* (Valentinianum) *sua pietas abluit, & voluntas.* Augustini locum insignem produximus paulo supra: testimonium aliud ex lib. IV. de de Baptismo laudavimus præcedenti propositione. Vide & epist. 108. ad Seleucianam, nunc 265. num. 4. necnon lib. 2. de Anima & ejus orig. cap. XII. num. 17.

3. Ratione.

III. Accedit tertio loco ratio convenientissima; siquidem ad Rom. VI. 3. legitur; *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Qui ergo pro Christo fundunt sanguinem, cum non tantum *figura*, sed etiam *re, ac veritate* referant Christi mortem, non baptizari tantum, sed baptizari baptismo *glorioſissimo maximoque* dicendi sunt. Quæ sane ratio insinuatur à D. Thoma q. 66. art. 12. atque præcitatis Sanctorum sententiis fulcitur ac roboratur.

II. Prob. 2da. Pars.

Tenent hæc omnia de infantibus pro Christo necatis; quoniam & hi proprio sanguine baptizantur: ad quod nec requiritur nativitas *ex utero*; cum martyrium non sit secunda nativitas supponens primam, & etiam in utero clausi possint in se recipere stigmata Christi, ut dixi Tom. III. pag. 62. Hinc Ecclesia semper infantes Bethlehemiticos tanquam martyres venerata est. Irenæus lib. III. adversus hær. cap. 18. ex distinct. Massuet. 16. num. 4. de puero Jesu ait: „ Ipse infans cum esset, infan„tes hominum martyres parans, pro„pter Christum, qui in Bethleem na„tus est Judæ, in civitate David, in„terfectos secundum Scripturas.„ Ambrosius lib. 1. de Officiis Ministr cap. XLI. num. 213. „ Quid de Bimulis lo„quar, qui ante palmam victoriæ ac„ceperunt, quàm sensum naturæ? „ Et Epistola ad Horantianum XLIV. num. 9. „ Una mihi stella abundat pro omni„bus, stella splendida & matutina: cu„jus ad exortum seminata est, non „frugum, sed martyrum seges; quan„do Rachel ploravit filios suos, ut la„crymis ablutos suis, pro Christo of„ferret infantulos.„ S. P. Augustinus lib. III. de lib. arbit. cap. 23. num. 68. „ Non enim frustra, *inquit*, etiam „infantes illos, qui cum Dominus Je„sus Christus necandus ab Herode quæ„reretur, occisi sunt, in honorem Mar„tyrum receptos commendat Ecclesia.„ Similia lib. X. de Gen. ad lit. cap. XXII. num. 39. in Psal. XLVII. num. 5. serm. 199. aliàs 34. de temp. num. 2. & serm. 375. aliàs 9. ex Vignerianis, aliisque in locis. Consentiunt Patres universi, accedente auctoritate Ecclesiæ, & antiqua sanctorum Innocentium solemnitate; de qua plura Baronius in notis ad Martyrol. Romanum V. Kal. Jan. pag. Rom. edit. 631. Mitto brevitatis gratia Hymnum XII. Prudentii Cathemerinon: unde excerpti sunt quos canimus in Transfiguratione Domini, & in ipsa SS. Innocentium solemni die, atque in Epiphania ad Laudes. Adde H. X. περὶ στεφάνων, ubi de Infante, qui cum Romano passus est, cecinit ipse Prudentius:

*Hic, hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,*
*Mille in Bethleem, quem biberunt parvuli.*

Nec

Nec repetam epigramma Prosperi, de quo pag. hujus Volum. 192. Alios quoque, præter necatos ab Herode, pueruIos Ecclesia tanquam Martyres veneratur; ut Modestum, & Ammonium, in Rom. Martyr. pridie Idus Februarias, pag. 89. decem alios Idibus Julii, pag. 343.

12. Martyrium per se seu *ex opere operato* abluit peccata.

Ex his inferimus probabiliorem esse sententiam Theologorum illorum, qui censent Martyrium per se, atque, ut ajunt, *ex opere operato* efficax esse ad peccata abluenda. Id enim in primis evincitur ex martyrio infantium: in quibus *singulari quodam privilegio*, non *per se* martyrium contulisse salutem, affirmant quidem nonnulli, sed istud nullo valido argumento demonstrant. Deinde Augustinus supra laudatus diserte docet, *tantum* martyrium valere ad delenda peccata, *quantum* valet si quis abluatur *sacro fonte baptismatis*. Alii insuper præcitati Patres martyrium appellant *baptismum* lavacro aquæ *præstantiorem*, utpote in quo, *non figura*, sed *re* homines Christo commoriuntur.

13. Objectiones.

Patitur tamen postremum assertum istud quasdam difficultates, quæ in oppositam sententiam viros celebres pertraxerunt. Ac prima est, quod ex Apostolo in priori ad Corinthios XIII. 3. tradere corpus ad flammam ei, qui charitatem non habeat, *nihil prodest*. S. quoque Thomas 3. p. q. LXVI. art. 12. ad 2. negat effusionem sanguinis habere rationem martyrii, *si sit sine charitate*.

1.

2.

3. Præterea Cyprianus Epist. LIV. ad Cornelium pag. 172. eos redarguit, qui absque Sacramentis subeunt martyrium, dicentes: *Qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur*. Idemque docet scribens ad Hugonem S. Bernardus.

4. Accedit, quod si martyrium *ex opere operato*, conferret gratiam, foret inter sacramenta connumerandum. Tandem imbecillis videtur ratio petita ex infantium martyrio, cum priusquam jussu Herodis occiderentur, sanctificati fuerint circumcisionis mysterio.

Solutio. Ad 1.

Verum his facile occurritur. Ad Apostoli enim auctoritatem dico, requiri ad martyrium charitatem in adultis, tanquam dispositionem ad gratiam, quemadmodum requiritur fides, & cordis conversio: præsertim cum mors, corporisque cruciatus nequeant dici *martyrium*, nisi pro Christo, ejusque honore perferantur. Hinc autem non consequitur martyrium non esse *per se* efficax ad peccata delenda; nam & fides, & initialis amor, & cordis conversio requiritur in adultis ad baptismum, cum nec Sacramentum accipientibus prosit, *nisi intrinsecus vera conversione mutentur*; auctore Augustino lib. IV. de Baptis. cap. 3. num. 4. Hæc autem non valere de pueris, qui solo originali peccato, non voluntatis propriæ irretiti sunt culpâ; manifestum arbitror ex capite sextodecimo.

Ad 2.

Nec aliam esse mentem Doctoris Angelici, infertur ex q. 87. art. 1. ad 2. ubi docet passionem pro Christo susceptam obtinere vim baptismi, & purgare ab omni culpa, *nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem*: nec aliter docet præcit. quæst. LXVI. art. 12. in Corp. ubi inter baptismum *flaminis*; & *sanguinis* hoc statuit discrimen quod in illo passio Christi operatur *per quamdam affectionem*, in isto autem *per imitationem operis*. Dirimit verò difficultatem; quod scribit ad Annibaldum in IV. dist. 4. art. 4. ubi cum tertio loco objecisset, „Baptismus sanguinis habet „efficaciam solum ex opere operante, „unde sine charitate non prodest. Sed „in pueris nihil habet efficaciam ex „opere operante, quia usum liberi ar„bitrii non habent. Ergo in his bap„tismus sanguinis non supplet vicem „baptismi: *cum, inquam, id objecisset,* „*respondit*: At tertium de baptismo „sanguinis dicendum, quod baptismus „sanguinis non habet supplere effectum „baptismi flaminis ex opere operan„te, sicut objiciebatur; sed ex imita„tione passionis Christi: unde de mar„tyribus dicitur, Apoc. VII. Laverunt „stolas suas in sanguine Agni.„

Ad 3.

Ad Cypriani & Bernardi testimonia dico, eum, qui properat ad martyrium, debere sese Ecclesiæ Sacramentis munire, si possit; quoniam, ut dictum est supra cum Augustino lib. IV. de Bapt. cap. XXI. n. 29. non est sincera pietas, animique conversio, „ubi contemnitur „Sacramentum, quod ministrorum „opere corporaliter adhibetur.„ Quod sequitur, hoc pacto diluitur: Sacramentum exhibetur *Christi nomine*, & constat *rebus ac verbis*; ideoque martyrium, in quo deest utrumque non est verum, propriumque Sacramentum.

Ad 4.

Ad postremum dico invictum esse argumentum, quod promitur ex Innocentium

centium cæde; tum quia inverisimile est omnes fuisse circumoisos, cum interfecti fuerint quotquot *erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infra*, Matt. II. 16. tum quia Ecclesia non eos tantum commendat tanquam regeneratos, sed etiam tanquam *in honorem Martyrum receptos*, eos appellans *primam Christi victimam, tenerum gregem immolatorum*, & frequenter de illis repetens: *Laverunt stolas suas in sanguine Agni*, Apoc. VII. 14.

# CAPUT XXIV.

## Notationes quædam in postremam de Martyrio propositionem.

## *SUMMARIUM.*

1. Martyrium quid?
2. Quotuplex martyrii causa.
3. De causa motiva.
4. De causa finali.
5. Dispositiones requisitæ in martyre.
6. Hæretici, & schismatici non possunt coronari martyrio.
7. Ecclesiæ diligentia discernentis Martyres veros à falsis.
8. Refellitur Dudwellus.
9. De Fuga persecutionum jam est actum, de gloria Martyrum satis agi nequit.

1. Martyrium quid?

SUpponunt quæ modo asserui *de baptismo sanguinis*, aliquam saltem de vero Martyrio notitiam, eamque servata brevitate, quam postulat liber ad extrema progrediens, tradere nonnullis notationibus excogitavi. Erit autem notatio prima de *Martyrii* vocabulo, atque etymologia. *Martyrium* Græce, Latine *testimonium* dici à verbo μαρτυρέω, *testis sum*, norunt omnes. Ubi legimus Mat. XXIV. *In testimonium omnibus gentibus*, Joan. I. 7. *Hic venit in testimonium*, aliisque in locis compluribus, habent ubique Græci εἰς μαρτύριον. Hinc *Martyr* proprie testem significat: unde Act. I. 8. habet Versio nostra, *Eritis mihi testes*, & Græca, ἔσεσθέ μοι μάρτυρες: atque Apocalypsis I. 5. illa, *Qui est testis fidelis*; hæc vero, ὁ μάρτυρ ὁ πιστὸς. Eam ob rem *Martyres* illos appellamus, qui propter testimonium Christi mortem oppetierunt. Præclare Augustinus serm. IX. in Psal. 118. num. 2. „ Testimo„ nia Græce martyria nuncupantur, quo „ verbo jam utimur pro Latino: unde „ illos, qui propter testimonium Christi „ diversis passionibus humilati sunt, & „ usque ad mortem pro veritate certa„ runt, non Testes, quod Latine utique „ possemus, sed Græce Martyres appel„ lamus. „ Nec aliter Ammianus lib. 27. Isidorus lib. 7. cap. 11. Du-Cangius in Glossario, Vossius in Etymologico, Du Mortier in Etymologia sacra, & alii. Cyprianus tamen Epist. XXXVII. pag. 115. *Martyres* vocat etiam Confessores morientes in carcere: & Epist. LII. ad Antonianum pag. 151. de Cornelio nondum martyrio ejus consummato inquit: „ Nonne inter Confesso„ res & Martyres deputandus, qui tan„ tum temporis sedit expectans corpo„ ris sui carnifices, & tyranni ferocien„ tis ultores?„ Ad omnem vero ambiguitatem tollendam, quidam distinguunt inter Confessores, & Martyres, ut *Confessores* sint, qui coram tyrannis confessi Christum, tormentis superstites obierint tranquillam mortem; ac *Martyres*, qui ad mortem usque cum suppliciis decertant. At modò *Confessores* eos dicimus, qui absque martyrio, singulari exercitatione virtutum Deum sunt confessi: Martyres verò alios *designatos* appellamus, quibus sententia mortis indicta est: *consummatos* alios, qui vitam in tormentis profundunt; alios *vindicatos*, quorum felix exitus discussus, & approbatus est ab Ecclesia; atque id luculenter tradit lib. I. de Servorum Dei beatificatione & Beatorum Canonizatione cap. 2. Scriptor nostri ævi doctrina, eruditione, dignitate ter maximus. Appellabantur olim *Martyres* etiam qui innoxii quacunque ex causa necabantur, ut Carolus cognomento simplex, Eduardus rex Angliæ, & Dagobertus rex Galliarum, apud illustrem Mabillonium Præf. 2. in sæculum III. Benedictinum num. 9. aliique plurimi apud Dufresne Tom. 2. pag. 471. A martyrum nomine etiam sacra ædes, ac templum constructum in Martyrum memo-

memoriam, necnon altare Martyrum impositum cineribus, dictum fuisse *Martyrium*, recte observatum est à Walfrido Strab. lib. de rebus Eccles. cap. 6. Altaria constructa supra martyrum tumolos commemorant Gesta Pontificum in Felice primo, Hieronymus adversum Vigilantium Tom. IV. pag. 284. Augustinus lib. XXII. de Civit. Dei cap. 10. Prudentius hymno X. alias IV. περὶ στεφάνων, sive de Passione S. Hyppoliti, aliique permulti: de quibus legi poterit vir eruditus Joan. Chrysost. Trombelli Abbas Congregationis Rhenanæ dissert. VII. de Cultu SS. cap. 37.

## II.

2. Quotuplex martyrii causa? 1. Persecutor.

Dixi quid sit *martyrium:* modò agam *de martyrii causis.* Ac prior causa martyrium inferens est persecutor; nemini quippe fas est semetipsum occidere. Nam Matth. X. 17. de Martyribus suis inquit Christus: *Tradent enim vos in Conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos; & ad præsides & reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus:* quibus in verbis martyribus *afflictiones*, tyrannis *affligendi potestatem* tribui scribit Chrysostomus Homil. XXXIV. pag. 325. Petro etiam Joan. ult. 18. ait Salvator: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis:* quæ expendens S. P. Augustinus Tract. LI. in Joan. num. 10. ait: *Satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.* Idem Augustinus lib. I. contra Gaudentium Donatist. cap. XXX. num. 34. refellit Circumcellionum spontaneam mortem scribens: *Non est hoc consilium, sed furor; non est sapientia, sed amentia.* Proximo cap. XXXI. expendit factum Raziæ, qui sese præcipitavit è muro, 2. Machab. XIV. 43. demonstratque hinc nullo pacto spontaneam mortem laudari, eoquod Razias non *habuit liberam fugam*; additque laudari, *quia fuit amator civitatis* non quod sancte se gesserit, animadvertens legi in sacra historia, accubuisse illum *viriliter*, ac *nobiliter*: quibus verbis laudamus *viros fortes hujus sæculi, non martyres Christi.* Etiam de Civit. Dei lib. I. cap. XXII. & seqq. probat occisionem voluntariam ad magnitudinem animi non pertinere, & Catoni Marcum Regulum præfert: ac Fœminas sanctas, quæ occiderunt se, ut devitarent pudicitiæ suæ insectatores, non alia ratione excusat, nisi quia *hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes; sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere.* Lege & Ambrosium lib. III. de Virg. cap. VII. num. 32. ac notas ibidem appositas. Nec inter Martyres vere connumerantur, qui aut martyrii desiderio flagrarunt, aut acerbissimum animi dolorem justa ex causa fuerunt experti; quamvis *martyres analogia quadam* dicantur, & juxta charitatis ardorem sint præmium à Domino consecuti. Deest quippe in iis exterior passio, quæ fidei exhibuerit *testimonium*; singularis nota & character martyrii, ut comprobat ipsum *martyrii* nomen. Eos etiam, qui inserviendo laborantibus pestilentia, illa inficiuntur & obeunt, ut constat ex Sancto Aloysio Gonzaga, Ecclesia martyribus non accenset, quoniam illos infecti non proprie necant in fidei odium immanitate sua, animique proposito; sed pestifero halitu afficiunt morte, quam causa naturalis infligit. Quare sententiam Theophili Raynaudi de martyrio *per pestem* oppugnarunt posteriores Theologi; nec defendi potest, nisi Fidei Persecutor servitio peste laborantium addiceret Christianum hominem, ut contagione attracta periret.

De variis pœnarum generibus, sive *instrumentis martyrii*, non opus est disseramus. Ea sub oculis statuerunt pictis quoque imaginibus Gallonius in libro de sanctorum Martyrum cruciatibus, Versteganus in Theatro crudelitatis hæreticorum, atque in picturis suis ad Romanum templum *Rotundum* S. Stephani, & ad Collegium Anglorum, Nicolaus Circinianus. Conspicuntur ibidem Martyres damnati ad bestias, consumpti flammis, saxis obruti, verubus, sudibusque transfixi, affectique suppliciis aliis teterrimis, quæ modò vix nomine nota sunt; *numellis*, id est, ligneis machinis, in quorum foramina immittebantur, ibique constringebantur pedes & colla: *trochleis*, ligneis scilicet tractorii generis; *uncis*, id est, hastis instructis retorto ferro: *ungulis*, scilicet, forcipibus excavatas habentibus extremas partes; *sartagine*, patella nempe, oleo, pice, ac sulphure plena: *scorpionibus*, nimirum virgis vulnera arcuata infligentibus: *plumbatis*, hoc est, flagellis, quorum loris, aut catenulis alligabantur plumbeæ glandes; & *equuleis*, sive machinis ad modum equi compactis, ubi varie

martyres, reique excruciabantur. Quæ vocabula, notioribus missis, in gratiam tyronum descriptionibus hisce posuimus. Qui in suppliciis moriuntur, sunt, ut diximus, martyres *consummati*: si supravixerint, ut Joannes Evangelista, Tecla, Felix Nolanus, & quos laudibus prosecutus est Cyprianus epist. LII. tanquam martyres non habentur, nisi certissime constet illos mortem divinitus evasisse, nec superatis tormentis excidisse à charitate & à gratia. Solet propterea Ecclesia in istiusmodi Martyribus virtutum potius præstantiam, earumque ad obitum usque perseverantiam inquirere, quam non expletam consummatamve passionem; servavitque hanc disciplinam adscribens Beatorum albo Josephum à Leonissa post *unci* cruciatus superstitem, ætate nostra, anno scilicet MDCCXXXVII. à Clemente XII. P. M. tali honore condecoratum.

3. Causa motiva.

Sequitur *causa motiva*, sive ad martyrium impellens, de qua Augustinus serm. 285. in Natali SS. Casti, & Aemilii, num. 2. & serm. 1. in Psal. XXXIV. num. 13. ait, *Martyres non facit pœna, sed causa;* quæ verba in proloquium transiere. Ac prior ex parte martyris causa est *fides*, sive Christianæ religionis universim, quam fidelis profiteatur coram persecutore pagano: sive unius duntaxat articuli quem propugnet contra hæreticos vir Catholicus. Nam Martyres, ut diximus, *testes* Christi sunt; de quibus ipse Dominus Lucæ XII. 8. „ Omnis, quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. „ Act. V. 41. de Apostolis legitur: „ Digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.„ Et Petrus Epist. cap. IV. 15. 16. ait: „ Nemo autem vestrum „ patiatur ut homicida, aut fur, aut „ maledicus, aut alienorum appetitor. „ Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto „ nomine. „ Hinc Augustinus in Psalm. III. num. 9. *Martyres perdiderunt animam suam*, inquit, *fidem ne amitterent.* Et Ecclesia universa, *Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.* Appellatur propterea Stephanus *Protomartyr*, quia, ut idem Augustinus ait serm. 314. num. 2. *Pro Christo primus sanguinem fudit.* Alia martyrii causa est, cujuscunque virtutis officium, quod Deus requirat, ideoque virtutem illam exercens, & pro ejus defensione tradens animam, factis testatur se verum Deum profiteri, ejusque cultum tenere. Quare Matt. v. 10. *Beati* dicuntur, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Ideo Ecclesia tanquam Martyrem veneratur S. Joannem Baptistam occisum, *Pro lege quidem veritatis, pro æquitate, pro justitia; sed non tamen pro illo nomine, quo Christiani sumus*, ait S. Pater in Ps. CXL. n. 26. Permulta exempla SS. Martyrum, qui propter virtutem aliquam occubuerunt, proferunt Cardinalis de Lauræa disput. XX. in 3. p. art. 7. & Sylvius in 2. q. 124. art. 5. plura, & exquisitiora BENEDICTUS XIV. lib. III. cap. 19. Atque ex his constat accensendum non esse martyribus illum, qui aut pro veritate, quæ ad fidem credendorum, agendorumque regulam non attinet, aut pro peculiari revelatione sibi facta, aut pro qualicunque dogmate nondum definito ab Ecclesia, oppeteret mortem. In primo enim casu religio, cultusque Dei non apparet: in reliquis deest Ecclesiæ auctoritas, quæ nobis unice exhibet normam fidei, ut ostendimus libro XXIII. cap. 2. Docuit propterea sapientissimus Pontifex eodem cap. n. 14. non fore martyrem, qui vitam pro illibata Virginis Conceptione profunderet: quod ex dictis infertur manifesta consecutione. Mirum, quanta hinc moliuntur, qui votum alicubi pro ea sententia propugnanda, effuso quoque sanguine, emissum aut defendunt, aut oppugnant. At Benedictus eos, qui hac de causa subirent mortem, optime negat futuros Martyres; de voto autem illo nihil pronuntiat. Consilium antem est mihi hanc imitari prudentiam, quod illa de Conceptione Virginis disceptatio non pertineat ante Ecclesiæ definitionem ad quæstionem Martyrii, aliosque invenerit aut magis pios, aut magis credulos tractatores. Quæ dixi de causa ex parte martyris, eadem dicenda videntur de causa martyrii ex parte persecutorum. Permoveri itaque hi debent aut odio fidei, aut patrocinio iniquitatis: ideoque tyranni non tantum pagani, idolorumque cultores, verum etiam iniqui Christiani, necnon sanguine conjuncti, esse possunt. Dictum à Domino Matt. X. 18. *Ad præsides, & ad reges ducemini propter me;* deinde versu 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium.* Priora verba à Patribus referuntur ad persecutores Gentiles; postrema vel ad seductores hæreticos,

*Fides.*

Vel alterius virtutis officium.

ticos, vel ad malos improbosque Christianos. Videsis Chrysostomum Hom. XXXIV. pag. 325. edit. Commel. Hieron. tom. IV. pag. 37. Augustinum in Psal. IX. num. 27. & lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 32. ubi S. Pater omnia persecutorum genera enumerat.

4. 3. Causa finalis *Dei gloria.*

Causa denique *finalis* est Dei gloria, ad quam referenda virtutum opera, diximus alio in loco. Aiebat de pseudomartyribus Augustinus Epist. 185. num. 8. *Insaniunt qui dividunt membra Christi, & exsufflant sacramenta Christi, & de persecutione gloriantur; & jactant fallaciter innocentiam suam, & quam non possunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam.* Neminem præterea latet quod de captantibus laudes hominum scriptum est Matth. VI. 5. *Receperunt mercedem suam.*

## III.

5. Dispositiones requisitæ in Martyre.

In proximo est, ut agam *de dispositionibus*, quæ requiruntur in Martyre. Harum prima est *aut baptismus, aut saltem baptismi votum*; de quo plura propositione 2. præcedentis capitis. Altera est *libera acceptatio mortis*; cum nemo mereri, & coronari possit invitus. Tertia est *Ecclesiæ unitas*: de qua Cyprianus lib. de Unit. Ecclesiæ pag. 401. sermonem de iis instituens, qui sunt extra Ecclesiam, *Tales*, inquit, *etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur*: & post pauca, *Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est*; ac rursus: *Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus sed desperationis interitus.* Similiter Augustinus præter verba paulo supra laudata ex Epist. 185. inquit Epistola alia, id est, 173. num. 6. *Foris autem ab Ecclesia constitutus, & separatus à compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.* Atque libro IV. de Baptismo cap. XVII. num. 24. recitata altera Cypriani scribentis ad Jubajanum sententia, *Neque baptisma hæretico prodest, quamvis Christum confessus extra Ecclesiam fuerit occisus*, subjicit Augustinus: *Hoc verissimum est; extra Ecclesiam quippe occisus charitatem non habuisse convincitur.* Accedit quod, sicut olim extra arcam Noe, ita modò extra Ecclesiam non datur salus. In martyre præterea requiritur *charitas*, non quidem *habitualis*, nec adeo vehemens, quæ secum trahat gratiam sanctificantem, sed quæ dicat *sincerum aliquem affectum erga Deum*, ut cum Nostratibus docet Sylvius 2. p. q. 124. art. 2. Inquit enim Apostolus 1. ad Corinth. XIII. 3. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: quibus allatis, S. Pater serm. XV. de verbis Apostoli: nunc 169. cap. 12. num. 15. ait: *Si ergo ille non potuit tanta perferre sine amore, nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro: quo amore? Non sit cupiditas, sed sit charitas:* paucisque interjectis, *Si in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, & verus eris martyr, in quo charitas coronatur.* Item sermone 138. num. 2. *Ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis fusionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest.* Similia citato libro IV. de Baptismo num. 24. Nec aliter docuit sanctus Thomas; nam. 2. p. q. 124. art. 2. demonstrat martyrium esse quidem *actum fortitudinis*, sed à charitate dirigi, atque *imperari*: ac 3. p. q. 66. art. 12. ad 2. *Effusio sanguinis*, inquit, *non habet rationem martyrii, si sit sine charitate.* Quantum tamen spectat ad Ecclesiæ judicium, ipsa vitæ profusio est maximum charitatis argumentum; cum nullam rem habeamus vitâ pretiosiorem, cujus contemptu manifestari possit dilectio Dei. Requiritur insuper in martyre, qui antea lapsus sit; *ut Deo per Sacramentum Pœnitentiæ reconcilietur*, si adsit copia Confessarii; sin autem, de patrato scelere conteratur, nec ullatenus sive lapsus sit, sive justus, Christi Sacramenta contemnat. Cujus rei petitur ratio ex supradictis; quoniam juxta Augustinum lib. IV. de Baptismo cap. 22. non est interioris hominis pietas, *ubi contemnitur Sacramentum.* Accedit ratio altera, quam insinuat Cyprianus Epist. LIV. pag. 172. quoniam *idoneus esse non potest ad martyrum, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit.* Consimilis est ratio subsequens S. Martyris: „ Quomodo po-„ test ad confessionem paratus & ido-„ neus inveniri, qui non prius pace „ accepta receperit Spiritum Patris,

„ qui corroborans filios suos ipse loqui-
„ tur, & confitetur in nobis? Has tamen dispositiones non esse necessarias in parvulis, qui vel recens nati, vel etiam in uteris matrum in odium fidei trucidantur, constat ex capite præcedenti.

## IV.

6. Hæretici & Schismatici non possunt coronari martyrio.

Martyrio coronari non posse *hæreticos & schismaticos*, infertur ex tertia conditione, scilicet, *unitate*, & ex iis, quæ præcedenti numero ex Cypriano & Augustino protulimus. Addimus modò cap. *Firmissimè*, de hæreticis 3. depromptum ex Fulgentio de Fide ad Petrum, cap. 39. pag. Rom. edit. 479. „Firmissime tene, & nullatenus „ dubites, omnem hæreticum vel schis- „ maticum, quamvis pro Christo san- „ guinem fundat, cum diabolo, & an- „ gelis ejus participandum, nisi ante „ finem hujus vitæ, Catholicæ fuerit, „ incorporatus Ecclesiæ. „ Quisquis ergo extra unitatem est, *occidi potest, coronari non potest*; inquit cit. pag. 172. Cyprianus. Nulla itaque habenda est ratio illorum martyrum, quos Donatistæ olim, deinde Anabaptistæ, cæterique hæreticorum enumeraverunt, nec promeretur martyrii laudem hæreticus, si pro aliqua veritate necetur; siquidem cum veritatem illam non profiteatur *ob auctoritatem Ecclesiæ*, ac proinde veram non habeat fidem, ut ostendi libro XXIII. 10. neque continet occisio illa *veræ fidei testimonium*. Aliquod tamen donum Dei agnoscit Augustinus lib. de Patient. cap. XXVII. num 24. in eo, „ quia ab Ecclesia se- „ paratus, non pro errore qui eum sepa- „ ravit, sed pro veritate Sacramenti, „ seu verbi, quæ apud eum remansit, „ timore pœnarum æternarum pœnas „ patitur temporales.„ At num. proximo distinguit S. Pater inter „ dona „ alia, quæ possunt accipere etiam filii „ concubinarum, quibus Judæi carna- „ les, & schismatici vel hæretici com- „ parantur. „ Atque donorum istorum „ discrepantiam accurate Augustinus exponit *hæreditate* Isaac, & *muneribus* ab Abramo collatis Ismaeli, Gen. XXI. 10. Hinc infert, patientiam illam *hominis separati* ab Ecclesia donum Dei quidem esse, sed donum absque charitate, & absque arrha sempiternæ retributionis; *donum* scilicet, inquit ille, *exhæredatorum*, *non hæredum*. Quare Augustiniana illa de dono patientiæ doctrina evertit potius, quàm statuat martyrium in hæresi vel schismate commorantium.

## V.

7. Ecclesiæ diligentia discernentis Martyres veros à falsis, probatur multis argumentis.

Adhibuit propterea quovis tempore Ecclesia maximam diligentiam ad veros à falsis martyribus discernendos, ut Mabillonius Præf. 2. in sæcul. v. Benedict. num. 93. Ruinartius Præf. in Acta Martyr. n. 71. aliique viri clarissimi commonstrarunt. Hujus diligentiæ principio argumentum sunt characteres, & notæ à priscis fidelibus insculptæ aut appositæ Martyrum tumulo, signum crucis, Christi nomen monogrammate expressum, palmæ, columba cum ramusculo olivæ, vitrea aut figlina vasa cum sanguine, instrumenta martyrii, aliaque plura; de quibus legendi Severanus, Bosius, Aringhus. Accedit cura Notariorum in consignandis, perveſtigandisque Actis Martyrum, jam à Clementis I. temporibus; scribente sectione IV. Anastasio: „Hic fecit septem regiones di- „ vidi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui „ gesta martyrum sollicite, & curiose „ unusquisque per regionem suam di- „ ligenter perquirerent. Similia in libro Pontificali ex vetustissimis monimentis concinnato, ut dissert. III. tom. 1. Antiq. Eccl. demonstrat Em. à Scheleſtrate, & in Examine ejusdem libri Joannes Ciampinus: eademque ibidem leguntur de Antero, & Fabiano. Præterea etiam Patres hanc in colligendis actis martyrum diligentiam commendaverunt. Cyprianus epist. 37. pag. 155. „Dies, *inquit*, „ quibus excedunt, annotate, ut com- „ memorationes eorum inter memo- „ rias martyrum celebrare possimus. Et Pontius Cypriani Diaconus apud Ruinart. pag. 179. „Majores nostri „ plebeis, & catechumenis martyrium „ consecutis tantum honoris pro mar- „ tyrii sui veneratione dederunt, ut „ de passionibus eorum multa, aut, „ prope dixerim, pene cuncta con- „ scripserint. „ Profert Bencinus in not. ad Clementem tom. 2. Anast. pag. 42. etiam Tertullianum scribentem de Corona milit. cap. 13. *Habes tuos census, tuos fastus; nihil tibi cum gaudiis sæculi.* At ibi, ni fallor, de libro vitæ, non de martyrum catalogis fit sermo. Insuper ad

ad memoriam martyrum servandam, consueverunt olim aliæ Ecclesiæ ad Romanam Acta transmittere: ut de Actis S. Benigni Discipuli Polycarpi demonstrat in absolutissimo, ac sæpè laudato Opere de Canon. SS. lib. I. cap. IV. num. 15. Prosper Cardinalis Lambertinus; & præcitata Præfat. 2. ad v. sæculum Bened. Joannes Mabillon ex Actis S. Virgilii Episcopi Tridentini, qui martyrium subiit Consulibus Aureliano, & Stilicone, id est, anno 400. Sunt ejusdem diligentiæ invictum argumentum, tum epistolæ encyclicæ, quibus una Ecclesia aliis suorum Martyrum gesta significabat; qualis est Epistola Ecclesiæ Smirnensis de Martyrio Polycarpi, apud Eusebium lib. IV. H.E. cap. 15. pag. edit. Valesii 135. & Epistola Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis de Martyrio S. Pothini, aliorumque complurium apud Ruinart pag. 52. tum etiam recitatio nominis Sanctorum Martyrum *ad altare*, prout ex *Ecclesiastica disciplina* fidelibus nota, tradit serm. 17. de verbis Apost. nunc 159. n. 1. præstantissimus Augustinus. Idem infertur ex sollicitudine, qua Ecclesia dedit operam, ne apocrypha Martyrum acta pro genuinis intruderentur. Degradatum enim in Asia à Joanne Apostolo presbyterum, qui commentus est acta quædam Pauli, innuit in lib. de Bapt. cap. 17. Tertullianus. Lucillam factiosam fœminam reprehensam à Cæciliano Archidiacono, quoniam ante Eucharistiam, *os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur:* (Martyris scilicet ab Ecclesia non vindicati) narrat lib. I. contra Parmenianum, num. 16. sanctus Optatus. Vagos, otiososque, *qui membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant*, carpit Augustinus de Opere Monach. cap. 28. num. 36. Gelasius in Romana Synodo an. 494. de apocryphis actis Martyrum ait, *Secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua aut minus apte, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Quinisexta, sive Trullana Synodus anno 692. can. 63. de confictis Martyrum historiis, *In Ecclesia*, inquit, *non publicari jubemus, sed eas igni tradi.* Vide in hunc canonem Christianum Lupum P. 2. pag. vet. edit. 978. S. Martinum Turonensem Episcopum, ut narrat Sulpicius Severus in ejus vita cap. 8. falsi cujusdam Martyris detexit larvam, cultumque prohibuit. Vide alia hujusmodi exempla apud Mabillonium, & Ruinartium prælaudatis in locis.

## V I.

Ex his consequitur haud immerito gloriari Ecclesiam de veracitate, ac immensa propemodum multitudine suorum Martyrum. Postquam temerario ausu hanc studuit evertere Henricus Dodwellus differt. XI. Cyprianica; hominis audaciam, erroremque castigarunt viri præclari, Pagius ad an. LXIV. num. 3. Ruinart Præf. in Acta Martyrum, Ludovicus Muratori Tom. 2. Anecdot. pag. 199. ubi vindicat Catalogum Martyrum, qui Romæ sub Gregorio Magno quiescebant, BENEDICTUS Papa XIV. lib. I. cap. IV. & lib. III. cap. 20. num. 10. Nos vero hæc pauca adversus Dodwellum proferimus. Principio legimus Apocalyp. VII. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:* quibus verbis designari Martyres, qui obtulerunt, ὑπὲρ τοῦ διδασκάλου τοῦ ἰδίου αἵματος ἔκυσιν, *pro Magistro sanguinis proprii effusionem*, non solum scribunt antiqui Interpretes, Andreas Cæsareensis, & Arethas, pag. post Oecum. 368. verum etiam constat ex vers. 13. & 14. ejusdem capitis VII. ubi habetur: *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt? Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Hinc fortasse Martyres olim sepeliebantur induti *colobiis*, vestibus scilicet candidissimis.

8. Refellitur Dodwellus diminuens numerum Martyrum,

Per quasdam animadversiones.

I. Ex scriptura.

Confirmant multitudinem sanctorum Martyrum Patres. Cyprianus lib. de Mortal. pag. 470. *Martyrum*, inquit, *innumerabilis populus ob certaminis, & passionis victoriam coronatus.* Similia repetit Epist. ad Fortunatum, pag. 522. Prudentius in lib. περὶ στεφάνων Hippolyti Passionem sic incipit:

2. Ex Patribus,

*Innumeros cineres sanctorum Romula in Urbe*
*Vidimus, ô Christi Valeriane sacer.*
*Incisos tumulis titulos, & singula quæris*
*Nomina? difficile est, ut replicare queam.*

*Tantos Justorum populos furor impius hausit,*
*Cum coleret patrios Troia Roma Deos.*

Hieronymus Algasiæ scribens, tom. IV. pag. 198. ait: *In novo Instrumento, in quo bonitas est atque clementia, innumerabiles extiterunt Martyres.* S. Paulinus Natali IX. pag. 604. ita cecinit:

*Vos quoque corporibus cæsis, & sanguine fuso*
*Occisum & vivum testati Martyres Agnum,*
*Omnes divinis à fontibus una propago,*
*Quos pius Abraham, sacer Isac, lenis Jacob*
*Progenuere Deo per non numerabile semen.*

Augustinus denique, cui posteriores omnes subscribunt, serm. 51. aliàs 63. de diversis num. 8. inquit: *Pro ista fide interfecta sunt millia Martyrum toto orbe terrarum:* & serm. 252. aliàs 5. de diversis, num. 8. *Unus dies passionis Martyrum si computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum.* Refellunt præterea Dodwellum Romanorum Imperatorum crudelissimæ persecutiones. Et quoniam contendit ille, perpaucos persecutos fuisse Ecclesiam, & paucissima esse Imperatorum edicta lata adversus Christianos; optime animadvertit Ruinartius, num. 24. & seq. in persecutionibus non tam numerum, quàm universitatem, immanitatemque spectandam esse, nec ex edictis tantum Imperatoriis, sed etiam ex Romanarum legum præscripto, atque ex arbitrio Præsidum innumeros Martyres fuisse necatos. His addimus caput LII. libri XVIII. Augustini de Civit. Dei ad confutationem Dodwelli aptissimum; & quod totum foret hic exscribendum, nisi singulorum manibus versaretur. Dodwellum denique refellunt antiqua Martyrologia; quibus perperam illum detrahere fidem, demonstrarunt Pagius ad annum 64. num. 6. & Ruinartius §. 2. Præfationis suæ: suppeditantque hujus rei palmaria argumenta admonitiones Florentinii præviæ ad Martyrologium Occidentalis Ecclesiæ.

## VII.

Postremo loco de fuga persecutionum, & de gloria Martyrum dicendum esset: at de illa satis egimus libro XXIII. cap. 8. De hac autem gloria, cum humanum excedat eloquium, disserere non valemus. De Martyribus quippe dicitur mystice in Apocalypsi II. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum.* III. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* VII. 15. *Sunt ante thronum Dei.* Huc animum intendens Tertullianus scripsit Scorp. 12. *Victori cuique promittit nunc arborem vitæ & mortis veniam secundæ: nunc latens manna cum calculo candido, & nomine ignoto: nunc ferreæ virgæ potestatem, & stellæ matutinæ claritatem; nunc albæ vestiri, nec deleri de libro vitæ, & columnam fieri in Dei templo: nunc residere cum Domino in throno ejus, quod aliquando Zebedæi filiis negabatur. Quinam isti tam beati victores, nisi proprie Martyres?* Adeat qui plura de Martyrio scire desiderat, eximios viros in his animadversionibus laudatos, atque illum præsertim, qui est super omnes laudes, quique cæteros perlegit, libravit, excussit, id est, BENEDICTUM XIV.

9. De fuga persecutionum jam actum; de gloria Martyrum satis agi & differi nequit.

CAPUT

# CAPUT XXV.

## Effectus Sacramenti Baptismatis recensentur.

## *SUMMARIUM.*

1. Præstantissimi sunt effectus baptismi, ùt gratia,
2. Prærogativæ singulares.
3. Aditus ad reliqua Sacramenta.
4. Remissio pœnæ.
5. Cur in baptizatis remaneat concupiscentia, mortis necessitas, & aliæ miseriæ?
6. Pluta, & majora confert baptismus, quàm contritio.
7. Tandem effectus baptismi est character.

1. Præstantissimi sunt Baptismi effectus, ùt *gratia*,

JAm verò sermo instituendus est de effectibus baptismi; quos inter principem tenet locum gratia sanctificans, delens vere ac propriè quamcunque peccati maculam. Id à nobis supra pag. 153. & sequentibus demonstratum est multiplici genere argumentorum, quæ non opus est repetamus. Ibi etiam solutæ sunt cavillationes hæreticorum, una duntaxat prætermissa, de concupiscentia permanente in renatis: quæ tamen objectio libro XIII. cap. 4. fuit excussa; ubi ostendimus concupiscentiam à reatu, & à peccati vinculo per gratiam baptismatis separari. Hanc quoque gratiam inhærentem esse adversus Novatores prolixe ostendimus libro XIX. cap. 2. Sufficit ergo, si de hoc priori effectu repetamus decretum Tridentinæ Synodi sess. v. num. 5. „Si „quis per Jesu Christi Domini nostri gra„tiam, quæ in baptismate confertur, „reatum originalis peccati remitti ne„gat, aut etiam asserit non tolli totum „id, quod veram & propriam peccati „rationem habet; sed illud dici tantum „radi, aut non imputari, anathema „sit. In renatis enim nihil odit Deus: „quia nihil est damnationis iis, qui ve„rè consepulti sunt cum Christo per „baptisma in mortem: qui non secun„dum carnem ambulant, sed veterem „hominem exuentes, & novum, qui „secundum Deum creatus est, induen„tes: innocentes, immaculati, puri, „innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt; „hæredes quidem Dei, cohæredes au„tem Christi, ita ut nihil prorsus eos „ab ingressu cœli remoretur. Manere „autem in baptizatis concupiscentiam, „vel fomitem, hæc sancta Synodus fa„tetur, & sentit: quæ cum ad agonem „relicta sit, nocere non consentienti„bus, sed viriliter per Jesu Christi gra„tiam repugnantibus, non valet, quini„mo qui legitime certaverit, corona„bitur.

Comitantur hanc baptismi gratiam singulares quædam prærogativæ: quarum prima est, quod homo carne antea genitus, natus mundo, filius iræ, & mancipium diaboli; dicitur, ac est regeneratus ac renovatus Spiritu sancto, ad Titum III. 3. natus ex Deo, Joan. I. 13. ex aqua & Spiritu sancto renatus, Joan. III. 5. Dei filius, ad Galat. III. 26. Dei hæres, & cohæres Christi, ad Rom. VIII. 17. Aspersus à conscientia mala, ad Heb. X. 22. ablutus, sanctificatus, justificatus, I. ad Corinth. VI. 11. membrum Christi, ac templum Spiritus sancti, Ibid. 15. 19. Quare Chrysostomus Hom. ad Neophytos ab Augustino libro I. contra Jul. cap. VI. num. 21. laudata & exscripta, *Benedictus*, inquit, „Deus, qui fecit mirabilia solus; „qui fecit universa, & convertit uni„versa. Ecce libertatis serenitate per„fruuntur qui tenebantur paulo ante „captivi, & cives Ecclesiæ sunt qui „fuerunt in peregrinationis errore, & „justitiæ in sorte versantur qui fuerunt „in confusione peccati. Non enim tan„tum sunt liberi, sed & sancti: non „tantum sancti, sed & justi: non solum „justi, sed & filii: non solum filii, sed „& hæredes: non solum hæredes, sed „& fratres Christi? nec tantum fratres „Christi, sed & cohæredes: non solum „cohæredes, sed & membra: non tan„tum membra, sed & templum: non „tantum templum, sed & organa spi„ritus. Vides quot sunt baptismatis „largitates: & nonnulli deputant cœ„lestem gratiam in peccatorum tantum „remissione consistere; nos autem ho„nores computavimus decem.„ Quibus verbis nihil dici poterat magnificentius ac præcitatis scripturis magis conforme. 2. *Prærogativæ singulares.*

Ex quo Baptismus nos Christo, *tanquam membra Capiti*, conjungat, sequitur per illum patere nobis ad Sacramenta 3. *Aditus* ad reliqua Sacramenta.

menta reliqua accessum, & quodam modo ex illo, tanquam ex incorporatione in Ecclesiam, ac novæ generationis primordiis, conferri nobis gratiam ad evitanda peccata; & si in ea prolabamur, expiari quidem per Pœnitentiam, sed hanc futuram fuisse inutilem, nisi baptismum ipsum, aut saltem votum ejus supponeret. Hinc cap. *Nulli est*, de Consecr. dist. IV. n. 131. quod Gratianus tribuit Chrysostomo, Fontaninus autem Chromatio, legimus, *tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, nec alienari ab illius Panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus absedat. Sacramenti quippe illius participatione non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est, invenit.* Augustinus lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 33. n. 38. in Epist. ad Bonifacium 50. nunc 185. num. 39. ait, *eodem lavacro regenerationis omnia prorsus mala regeneratorum mundari, atque propter ipsum lavacrum dimitti:* quod utique non ita accipiendum est, quasi Augustinus deneget, ut hæretici autumant, *sacramentum Pœnitentiæ*; sed ita, ut quemadmodum homini nato ex Adam non daretur per medicinam sanitas, nisi antea per generationem collata fuisset vita; ita *renato* nulla daretur remissio, nisi prius per spiritalem regenerationem resurrexisset cum Christo. Atque ideo S. Pater priori in loco addidit, *Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* & in altero pariter, *Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra.*

Remissio *pœnæ.*

Ad cumulum istum gratiarum consequitur cujusque pœnæ apud Deum luendæ remissio. *Morientes* (inquit de baptizatis Florentina Synodus in decreto pro Armeniis) *morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regna cœlorum, & Dei visionem perveniunt. Ita ut*, addit prælaudata Synodus Tridentina, *nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Augustinus item lib. 2. de peccat. meritis cap. 28. n. 46. *Si continuo*, inquit de baptizatis, *consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant.* Profert congruam, aptissimamque rationem S. Thomas q. LXIX. art. 2. quoniam cum baptismus sit Sacramentum regenerationis, ac mortis & resurrectionis Christi imitatio, baptizato applicatur per baptismum virtus passionis Christi plenius, quàm per quodlibet aliud Sacramentum. Insinuat rationem istam Catechismus Rom. de Bapt. num. 47. eamque probant communi consensione Scholastici. Animadvertendum est tantum, plenum hunc effectum baptismi non haberi ex solo ejusdem baptismi voto: quod tradit S. Thomas q. LXVIII. art. 2. ad 2. demonstratque luculenter Estius in IV. dist. 4. §. 19. Hujus sententiæ argumenta sunt, quod Scripturæ productæ supra cap. XXIII. prop. 2. debitum persolvendæ pœnæ minime excludant; quod Deus præsumatur id tantum supplere, quod necessarium est; & quod Ecclesia, ut supra diximus, consueverit preces offerre pro Catechumenis cum baptismi voto demortuis. Si quis tamen in illo baptismi desiderio, vehementi flagraret charitate; hunc protinus ad cœlestem patriam evolaturum, virtus ipsa charitatis demonstrat. Atque id affirmat etiam Innocentius III. cap. *Debitum*, in III. Decretalium, tit. XLII. num. 3. de quodam Judæo, qui in mortis articulo constitutus in aquam seipsum immersit: & de quo supra pag. 418.

5. Cur in Baptizatis remaneat concupiscentia, mortis necessitas, & aliæ miseriæ vitæ?

Remanent tamen in baptizatis concupiscentia ad agonem, moriendi necessitas, nec non aliæ vitæ hujus miseriæ, ut docet experientia, affirmatque Augustinus lib. 2. de Peccat. remiss. cap. 27. 28. 29. lib. VI. contra Julianum cap. 4. atque in aliis locis permultis. Legi poterunt quæ scripsimus de hujusmodi pœnis lib. XII. cap. 13. Hinc tamen inferri nequit, quod non deleatur in baptismo omnis culpa, & omnis reatus pœnæ subeundæ in altera vita; aut nobiscum non reconcilietur Deus, qui adhuc sinit nos post baptismum innumeris animi, corporisque jactari perturbationibus. Remittitur profectò pœna omnis, sed *propter futurum judicium*, inquit Augustinus cap. 66. Enchiridii: & *quantum ad exclusionem à gloria, non quantum ad necessitatem corporaliter moriendi*, ait q. LII. art. 5. ad 2. Doctor Angelicus. Cur verò Deus velit concupiscentiam, mortem corporis, & alia hujusmodi remanere in renatis, non unam rationem tradidit Augustinus. Factum id primò, ut potissimum intelligeremus ad alterum sæculum prodesse quod renascamur, hujus autem sæculi dispositionem propter vitium superbiæ hominis, per quod apostatavit à Deo, diversis

diversis malis peragi in jugo gravi super filios Adam à die exitus de ventre matris. Deinde, ut virtus gratiæ in infirmitate perficeretur, & circumferret homo testimonium peccati, memoriam pristinæ damnationis, & argumentum humilitatis. Præterea, ut relinqueretur animæ experimentum separationis à corpore, ac fidei robore superaretur mortis timor, quod in sanctis Martyribus maxime eminuit. Hæc iisdem plane verbis S. P. Aug. lib. III. contra Julianum cap. 6. lib. VI. Operis Imperfect. n. 29. & lib. XIII. de Civit. Dei cap. 4. Cæterum hæ quoque *pœnalitates* virtute baptismatis in resurrectione sunt auferendæ, quando, ut ait Apostolus 1. ad Corinth. XV. 54. *Mortale hoc induerit immortalitatem, & fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.*

6. Plura & majora confert baptismus, quàm contritio.

Si quis autem ob contritionem charitate perfectam ante susceptum baptismum consequeretur cum voto Sacramenti remissionem peccatorum; adhuc tamen per ipsum regenerationis lavacrum, quod nemo debet contemnere, plura perciperet emolumenta gratiarum, id est, characterem, incrementum gratiæ, plenam remissionem pœnæ in altera vita subeundæ, majorem conscientiæ tranquillitatem, cooptationem in visibilem Christi Ecclesiam, & jus ad Sacramenta cætera, quibus fideles in idem religionis nomen coadunati roborantur in fide, nutriuntur, sanantur, aliosque passionis Christi fructus uberrimos consequuntur. Atque hæc ex dictis hactenus arbitror satis obvia. Et quoniam gratia sanctificans, ut definit Tridentina Synodus sess. VI. cap. 7. minuitur, atque augetur, *secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*, quod & à nobis demonstratum est postremo capite libri XIX. nullum dubium est, quin, licèt *character*, necnon peccatorum remissio in omnibus baptizatis æqualis sit, modò gratiæ non ponant obicem, ipsa tamen *inhærens gratia* ob adultorum cooperationem, non sit in illis inæqualis, ac dispar: quod & de effectibus accidentariis baptismi, quos nempe divina virtus in baptismo miraculose operatur, jure, meritoque decernit q. LXIX. art. 8. magnus Aquinas.

7. Character.

*Characterem* quoque inter baptismi effecta nuper commemoravi: de quo, cum plura dixerim cap. 22. præcedentis libri tricesimi, necessum nequaquam est, ut iterum sermonem instituam. Innuam tantummodo, quantum studii adhibere debeamus, ne tanta cœlestium donorum copia in nobis magis magisque redarguat sceleros am vitam, ingratique animi vitium. Ac primò idem *character*, cum sit *nota Imperatoris nostri*, & signum Christianæ militiæ, nobis in fidelium castris, ac supremi Pastoris obedientia continere debet; ne tanquam desertores & apostatæ illum circumferamus *ad noxam criminis*, nec de nobis repetantur ea verba Augustini de Symbolo cap. VIII. num. 15. *Quomodo desertor habet characterem, ita & isti habent baptismum: habent, sed unde damnentur, non unde coronentur.* Hæc aliaque saluberrima monita ex *sigillo isto indelebili* potest quisque deprehendere, si attente præcitatum caput 22. perlegerit, & legenti inspiraverit Dominus charitatem. Laudata etiam gratiarum munera ostendunt quanto jure clamet Apostolus, ablutos nos esse, sanctificatos, justificatos, & vocatos in partem sortis sanctorum in lumine, cooptatos insuper in templum Dei, & consepultos cum Christo in mortem; ideoque nobis in luce ambulandum esse, & secundum hominem, qui à Deo creatus est in justitia & sanctitate, glorificandum & portandum Deum in corpore nostro, servandam denique spiritus unitatem, quoniam in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Atque hæc, aliaque hujus generis plurima ab iis, qui doctrinam Baptismi sint assecuti, legi in Apostolicis literis absque pietatis sensu non possunt.

# CAPUT ULTIMUM.

## De cæremoniis in solemni Baptismatis administratione servandis.

## *SUMMARIUM.*

1. Inter cæremonias baptismi quædam in desuetudinem abierunt.
2. Rectè modò adhibentur susceptores, seu Patrini.
3. Rectè baptizandis imponitur nomen Sancti alicujus.
4. 5. Rectè adhibentur abrenuntiationes, Exorcismi, & Exsufflationes
6. Item signum crucis, manûs impositio, sal, oleum, & saliva.
7. Denique unctio chrismatis.

1. Inter cæremonias baptismi quædam in desuetudinem abierunt.

ACturus postremo loco de cæremoniis solemnis Baptismi, illas primum, quas in præmissis dissertationibus explicavi, silentio arbitror prætermittendas. Quisquis ergo tempus, quo solemni olim ritu baptizabatur, inquirit; adeat caput hujus libri vicesimum primum; qui Catechumenorum exercitamenta, in præcedens caput vicesimum conjiciat oculos: qui sacri fontis benedictionem, & varia mersionum genera, perlegat caput quartum, ac sextum. Cæremonias etiam, quæ in desuetudinem abierunt, brevi oratione

1. complectar. Ac primò certum est traditam aliquando baptizatis *Eucharistiam*, adultis quidem sub utraque specie, parvulis autem sub specie vini, digito Sacerdotis intincto, & quibusdam infantulis admoto etiam calice. Meminerunt Eucharistiæ baptizatis infantibus datæ Tertullianus de Bapt. cap. ult. Ambros. de Initiandis cap. 8. Paulinus epist. 12. ad Severum, Augustinus disputans adversus Pelagianos multis in locis, Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. cap. 29. aliique plurimi. De Eucharistia parvulis administrata, recte definitum est sess. XXI. Synodi Tridentinæ, cap. 4. non damnandam esse antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit, cum sanctissimi illi Patres probabilem sui facti causam pro illius temporis conditione habuerint; nulla tamen necessitate parvulos illos usu rationis carentes obligari ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: *Siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati; adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

2. II. Deinde baptizatis *mel & lac* degustanda fuisse exhibita, constat ex Clem. Alexandr. lib. 1. Pedag. cap. 6. Tertull. de Corona Milit. cap. 3. Hieronymo adversus Luciferianos, necnon ex Ordine Rom. aliisque monimentis apud Vicecomitem, Casalium, Martenium. Additum etiam alicubi *vinum dulce*. Ad hunc, & ad præcedentem baptismi ritum videtur respexisse S. Agnes, ita tyrannum alloquens, ac baptismum & Eucharistiam sub ænigmate commonstrans: *Mel & lac ex ejus ore suscepi, & sanguis ejus ornavit genas meas.* Significabatur eo ritu divina misericordia, gratia regenerationis, legisque Evangelicæ suavitas: de quibus ajebat Petrus 1. Epist. cap. 11. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationale, sine dolo lac concupiscite;* atque hæc verba Dominica in Albis repetit Ecclesia ex vetustis ritibus Neophytorum. Legi poterunt præter tres eximios viros Antiquorum rituum scrutatores paulo supra laudatos, aliosque de divinis Officiis pertractantes, Albaspinæus lib. 11. antiq. Observat. cap. 36. & Lupus in dissert. de Actis S. Leonis IX. P. 111. pag. 871. antiq. edit.

III. Imponebatur baptizatorum capiti 3.
sertum; ut apparet ex Orat. XL. Nazianzeni in sanctum lavacrum, & ex Ordine Baptismi Æthiopum, qui Severo Alexandrino tribuitur. Animadverto hujus serti meminisse cap. 110. in Explicatione divin. Offic. Joannem Belethum Parisiensem Theologum, qui floruit juxta Caveum circa annum 1162. unde infertur perdurasse morem illum imponendi capitibus baptizatorum coronas, ad sæculum usque XII. Martenius profert lib. 1. art. XV. num. 7. ad demonstranda serta baptizatis imposita sarcophagum Neapolitanum, de quo Mabillonius in Itinere Italico pag. 73. At ibidem exprimuntur baptismus Regis, & Reginæ Longobardorum, & aquæ actualis immersio atque infusio, ut dixi supra pag. 350. impositio autem coronæ erat ritus baptismum consequens: unde in altero sarcophago ejusdem antiquitatis,

apud

apud Ciampinum tom. 2. Vet. Monum. cap. 9. nullum *coronæ* apparet indicium. Corona erat lætitiæ symbolum, Evangelicæ libertatis, & sacræ, regalisque initiationis; ob quam fideles appellantur, 1. Petri II. 9. *Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

4. IV. Dabantur quoque baptizatis ex Ord. Rom. & Albino Flacco, decem *siliquæ*. Erat autem *siliqua* pecunia minimi valoris, ex Isidoro lib. XVI. cap. 24. *vigesima pars solidi*, ex aliis pars decimoctava drachmæ. Eo ritu demonstrabatur, inquit Casalius, *apud Christianos res divinas non haberi venales*; sive potius servanda decem legis præcepta, juxta Evangelicam parabolam Lucæ XIX. 13. Tradebantur baptizatis & *calceamenta*, ob mortis imaginem, inquit Rupertus libro VII. cap. 1. cereæ denique Agni cœlestis imagines, sive in Christi, sive in gregis Christiani symbolum; siquidem *Agni* etiam Neophyti è sacro fonte emergentes dicuntur à Paulino Epist. XI. ad Severum eo versu; *Circumdatque rudes festis balatibus Agnos:* imo & Apostoli sub *Agnorum* typo cernuntur depicti in vetustis musivis Romanæ Urbis, sicut in Crypta Narniensi sanctus Cassius, & Fausta ejus conjux. At de his plura Panvinius, & Joseph Maria Suaresius. His itaque commemoratis, ad ceremonias Baptismi, quæ etiamnum obtinent, recensendas, vindicandasque progredior.

### De Susceptoribus parvulorum, id est, Patrinis.

2. Rectè adhibentur modò susceptores seu *Patrini*. Prob. ex ratione & consuetudine.

Itaque in Baptismate infantium eliguntur primò qui illos levent è sacro fonte, & qui *Susceptores* dicuntur, *Sponsores*, *Compatres*, *Patrini*, & à Græcis Ἀναδόχοι, ab ἀναδέχομαι, *excipio*. De his initio quæritur, num recte adhibeantur. Atque huic quæstioni respondemus affirmative; quoniam baptismus est *Sacramentum regenerationis*, ac decet eos, qui Christo gignuntur, instrui ac doceri: quam rationem tradit S. Thomas q. LXVII. art. 7. Addo parvulos fidem *per verba gestantium* profiteri, & Ecclesiam eis per fideles suos præstare *os maternum*, ut inquit S. Pater Augustinus Epist. 23. nunc 98. ad Bonifacium, lib. 1. de peccat. meritis cap. XIX. num. 25. & cap. XXV. n. 38. Meminit Sponsorum baptismi etiam Tertullianus lib. de Baptis. cap. 18. Vide quæ supra de Pædobaptismo produximus cap. XVI. S. Thomas cit. art. 7. Estius dist. 6. §. 3. Sylvius, aliique censent Patrinos adhiberi *ex traditione Apostolica*, ob testimonium Dionysii Areopagitæ id asserentis de Eccles. Hierarch. cap. 2. Idem nos affirmamus, sed alia ducti ratione; quia nimirum consuetudo hæc est ubique recepta, vetustissima, nec illius adinvenitur post tempora Apostolorum institutio. Id enim Apostolicæ traditionis argumentum esse, diximus libro XXIII. cap. quinto.

II. Vetus fuit circa Susceptores disciplina, ut *nec viri fœminas, nec fœminæ viros lavarent*, ut liquet ex canone 22. inter Nicænos Arabicos, tom. 2. Concil. pag. 298. atque ex lib. III. Const. Apost. pag. 288. ubi permulta annotavit Cotelerius. Verum spectabat id antiquam consuetudinem denudationis baptizandorum: de qua pertractavi in Appendice cap. 6. Circa numerum Compatrum statuit Tridentina Synodus sess. XXIV. cap. 2. *ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant.* Instituta Canonum habentur de Consecr. dist. IV. cap. *In Catechismo*, num. 100. & cap. *Non plures*, num. 101. Definitum id, ne inter multos contrahatur spiritualis cognatio, quæ est impedimentum Matrimonii, ut eo loci declarat Synodus Tridentina.

III. In Susceptoribus requiritur ex canone 3. Concilii Metensis, celebrati anno 888. *ut teneant professionem Christianæ fidei*: ex cap. *In Baptismate*, de Consecr. dist. IV. num. 102. & antiquo Rituali Lemovicensi, apud Marten. tom. 1. pag. 203. atque ex Concilio Mediolanensi III. an. 1579. necnon ex Rituali Romano, *ut sint sacro Chrismate confirmati.* Prohibentur ibidem, & in Concilio Antissiodorensi an. 578 cap. *Non licet*, de Consecr. dist. IV num. 103. *suscipere de baptismo filios, aut commatres habere*, Monachi & cujusvis Ordinis regulares.

IV. Ad quid teneantur Patrini, expressit Auctor sermonis inter Augustinianos de Tem. 163. nunc 168. Append. num. 3. scribens: *Quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse; & ideo semper illis solicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, à maledicto, vel perju-*

*perjurio linguam refrænent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non invideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, auguria non observent, &c.* Apparet, hinc esse depromptum caput, *Vos ante omnia*, de Consecr. dist. IV. num. 105. & non aliunde petitam Exhortationem Catechismi Rom. P. II. cap. 2. num. 28. hinc pariter derivatum canonem VII. Synodi Parisiensis ann. 829. Habet ergo præcitatus sermo, quamvis nunc inter spurios rejectus, suam adhuc auctoritatem.

De nomine baptizandis imponendo.

3. Rectè baptizandis imponitur Nomen sancti alicujus aut Martyris, præsertim novi Testamenti.

Imponendi baptizandis nomina consuetudo exorta est ex antiquo ritu Catechumenorum; qui, ut supra vidimus, ante baptismum *nomen suum dabant*. Nomen vero cuique hominum ob distinctionem personarum est imponendum; unde & in Adamo, ejusque filiis observatum id est à mundi incunabulis. Romani olim maribus nomen imponebant nono post nativitatem die, & fœmellis octavo. Interdum nomen initio datum immutabatur; quod & modò usu receptum est, in Romanis Pontificibus à Sergio II. sive potius à Joanne XII. electo anno 956. in Monachis alicui instituto addictis: plerumque etiam in mulieribus latinis transeuntibus ad connubia Græcorum, inter quas legimus Pyriscam, & Bertham post nuptias fuisse appellatas *Irenes*; & Agnetem conjugem Alexii Comneni, *Annam*: in Catechumenis denique, natis præsertim è paganis. II. De nomine baptizandis imponendo, servandum censemus Arabicum canonem XXX. tom. 2. Conc. pag. 299. *Fideles nomina Gentilium filiis suis non imponant.* Primò, quia *veteres filios suos vocabant Sanctorum nomine*, ut testatur Chrysostomus Hom. 12. in Epistolam 1. ad Corinth. pag. vet. Parisiens. edit. 432. ac primis Ecclesiæ sæculis communia fidelibus erant nomina Apostolorum, maxime *Petri, Pauli, ac Joannis*, auctore Dionysio Alex. apud Eusebium lib. VII. H. Ec. cap. 25. pag. edit. Vales. 275. Deinde, quia Sanctorum nomina deserviunt ad tutelam, atque ad virtutum exempla: notiora quoque sunt, quàm sint domestica & propria: unde Theodoretus serm. VIII. de Græc. affect. tom. IV. pag. 606. *Martyrum nomina*, inquit, *notiora sunt omnibus, quam familiarium. Quin & nascentibus filiis horum vocabula studemus imponere, securitatem inde ipsis, tutelamque comparantes.* Laudandus propterea est Carolus Thomas Cardinalis de Tournon, qui in celebri decreto dato Pudicherii an. 1704. jussit, ut baptizandis apud Sinas *imponatur nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti*, prætermissis nominibus illis Sinensibus, de quibus legendus Aloysius Maria Lucinus in defensione ejusdem decreti pag. secundæ Rom. edit. 86. III. Nomina Sanctorum veteris testamenti repudianda non sunt: quinque enim sub nomine *Moysis* celebrantur in Romano Martyrologio; *Danieles* sex; quatuor *Hieremiæ*, Propheta excepto; tres *Zachariæ*, præter Prophetam, ac Patrem Præcursoris; alterum quoque ab insigni rege, *Davidem*; *Samueles* item martyres duos. Quinque Ægyptios Martyres adjeciisse indita sibi à parentibus nomina, *Eliæ, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis, & Danielis nomen sibimet adscisentes*, scribit lib. VIII. cap. 22. Eusebius: extantque illorum Acta apud Ruinartium pag. 290. Hi sunt, quorum memoria in Martyrologio recolitur XIV. Kalendas Martias. Observatum tamen à Martenio tom. 1. pag. 74. ex Concilio Burdigalensi an. 1582. Novatores hæreticos *affectare nomina sanctorum Patrum veteris Testamenti;* sive quia sanctos debito honore non prosequuntur, ut inquit idem Martenius; sive, quod censeo probabilius, quia fidem solam deprædicant, Testamenta æquiparant, Romanamque Ecclesiam veteri Synagogæ postponunt. Æquum est igitur, ut baptizandis filiolis *nomina tribuamus Sanctorum virorum, qui virtutibus fulserunt, plurimaque apud Deum gratia valuerunt*, ut ait Chrysostomus hom. 2. in Gen. pag. 235. Sanctorumque novi testamenti nomina præferamus veteribus; non quidem in istorum contemptum, sed in hæreticorum hominum execrationem.

De Abrenuntiatione Satanæ, Exorcismis, et Exsufflationibus.

Hæc tria præsertim, *Abrenuntiationes, Exorcismos, & Exsufflationes* in administratione baptismi rejiciunt ac damnant heterodoxi. Attamen prorsus immerito. Quantum enim *ad Abrenuntiationem* attinet; de illa inquit Tertullianus de Corona cap. 3. *Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu con-*

4. Rectè adhibentur *Abrenuntiationes, Exorcismi & Exsufflationes.* Prob. 1. de Abrenuntiationibus.

*conteſtamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus.* Et de Spectaculis cap. 4. *Cum aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitentur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompæ, & angelis ejus ore noſtro conteſtamur.* Cyprianus Epiſt. VI. ad Rogatianum, pag. 38. *Sæculo*, ait, *renuntiaveramus, cum baptizati ſumus.* S. Baſilius de Spiritu ſancto cap. 27. pag. edit. Morelli 211. demonſtrat hanc eandem *abrenuntiationem* eſſe ex Apoſtolica traditione his vetbis: ἄλλα δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, ἀποτασσεσθαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; *Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare diabolo, ex qua Scriptura habemus?* Ambroſius de Myſteriis cap. 2. num. 5. ait: „Ingreſ„ſus es regenerationis ſacrarium, re„pete quid interrogatus ſis. Renun„tiaſti diabolo & operibus ejus, mun„do, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus:„ quem in locum annotarunt PP. S. Mauri, neminem fere Patrum hujus ceremoniæ non meminiſſe. Hieronymus Epiſt. 97. de Virginitate ſervanda, tom. IV. pag. 789. ita Demetriadem alloquitur: „Nunc autem, quia ſæculum re„liquiſti, & ſecundo poſt baptiſmum „gradu, iniſti pactum cum adverſario „tuo, dicens ei, Renuntio tibi, dia„bole, & ſæculo tuo, & pompæ tuæ, „& operibus tuis: ſerva fœdus, quod „pepegiſti.„ Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 34. num. 62. ex hac abrenuntiatione demonſtrat in parvulis originale peccatum, ſcribens: „Vellem aliquem iſtorum, qui contra„ria ſapiunt, mihi baptizandum par„vulum afferret. Quid in illo agit ex„orciſmus meus, ſi in familia diaboli „non tenetur; Ipſe certe mihi fuerat „reſponſurus pro eodem parvulo, quem „geſtaret, quia pro ſe ille reſpondere „non poſſet. Quomodo ergo dicturus „erat eum renuntiare diabolo, cujus „in eo nihil eſſet? „ Ac in libro de peccat. orig. cap. XL. num. 45. „Ex„cepto enim quod in peccatorum re„miſſionem non fallaci, ſed fideli my„ſterio baptizantur, etiam prius exor„cizatur in eis, & exſufflatur poteſtas „contraria: cui etiam verbis eorum, „à quibus portantur, ſe renuntiare re„ſpondent.„ Hanc denique ceremoniam confirmant Rituales libri à Martenio collecti libro 1. art. 17: & Eccleſiaſtica monumenta, ex quibus accepimus *Speratum*, unum Martyrum Scillitanorum dixiſſe Saturnino Proconſuli: „Tunc „deliberavimus nos à cultura Chriſti „non deſerere, quando baptiſmi gratia „renovati diabolo abrenuntiavimus, „&c.„ Vide Acta Ruinart. pag. 77. Tot vero, tantisque momentis, ſi quis reponat parvulos ratione non uti, nec percipere geſtantium verba, reſpondebimus cum Auguſtino in poſtremo Opere contra Julianum lib. 11. num. 224. „ Homo contentioſe, recole „quemadmodum in Eccleſia Chriſti, in „qua baptizatus es, baptismatis myſte„ria celebrentur; & invenies quod ab„renuntient & parvuli per ora geſtan„tium, ſicut credunt per ora geſtan„tium.„ Similia lib. 1. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. XIX. num. 25.

5. Prob. 2. De Exorcismis.

De exorcismis pariter, & exſufflationibus invicta produci poſſunt veterum teſtimonia. Ac primò nequit in dubium verti, quin Catechumeni quibusdam ante baptismum diebus *ad purgationem exorciſmi concurrent*, ut habetur cap. *Ante* XX. *dies*, de Conſecrat. diſt. IV. n. 55. Deinde, præter Catechumenos adultos, de quibus legi poterunt Martenius lib. 1. art. 6. num. 8. Vicecomes lib. 2. cap. 19. Caſalius cap. V. pag. 47. in omnibus baptizandis, etiam parvulis, adhiberi exſufflationes atque exorciſmos, tradiderunt eximii Patres Eccleſiæ. Etenim optatus lib. IV. num. 6. pag. 75. ait: „ Neminem „fugit, quod omnis homo qui naſcitur, „quamvis de parentibus Chriſtianis naſ„catur, ſine ſpiritu immundo eſſe non „poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare „lavacrum ab homine excludi & ſepa„rari. Hoc exorciſmus operatur, per „quem ſpiritus immundus depellitur, „& in loca deſerta fugatur.„ Hinc pariter S. P. Auguſtinus demonſtrat adverſus Pelagianos originale peccatum, ſcribens libro 1. contra Julianum cap. 4. num. 14. „Si verum eſt, quod au- Et exſufflationibus. „divimus, te infantulum baptizatum, „etiam tu, quamvis à tuis propriis pec„catis innocens, tamen quia ex Adam „carnaliter natus, contagium mortis „antiqua prima nativitate traxiſti, & „in iniquitatibus conceptus es, profe„cto exorcizatus & exſufflatus es, ut à „poteſtate erutus tenebrarum, trans„ferreris in regnum Chriſti:„ Et infra cap. V. num. 19. de Catholica Eccleſia inquit: *Ubique parvulos exorcizando & exſufflando de poteſtate eruit tenebrarum.* Docet ſimilia in Epiſt. 105. ad Sixtum, nunc 194. num. 43. de Peccat. Originali cap. 40. & in op. imperf. lib. 1. num. 50. 56. 57. 60. &c. Etiam Cæleſtinus ad Epiſcopos Galliæ cap. 12.

*Illud*, inquit, *quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.* Vide App. tom. x. Op. Aug. pag. 134. Accedit ratio, quam tradit S. Thomas q. LXXI. art. 2. atque ex præmissis Ecclesiæ documentis consequitur; Diabolum nempe hostem humani generis truculentissimum, & potestate præditum in filios Adæ originali noxa inquinatos, vi arcendum esse, *ne salutem hominis impediat.* Postremò Novatores refelluntur antesignanorum suorum confessione. Lutherus enim in Catechismo suo ita statuit: „Dicit Sacerdos audi„to N. nomine, Exi immunde spiritus, „& da locum Spiritui sancto. Dein„de signum Crucis figurat in fronte & „pectore dicens, Accipe signum sanctæ „Crucis in fronte, & pectore. Deinde „fusis Ecclesiæ nostræ precibus addit „Sacerdos, Adjuro te immunde Spiri„tus in nomine Patris & Filii & Spiritus „sancti, ut discedas atque recedas ab „hoc famulo Jesu Christi N. Amen.„ Idem extat in *Ordinatione* Ecclesiæ Witthembergensis impressa anno 1564. à Ducibus Brunswycense & Lunemburgense, nec aliter in *Confessione* Saxonum, seu Wimarienſi fol. Y. a. Hinc infert Lindanus in altera parte Apologiæ pag. 255. Anonymos Confessionis Augustanæ Patronos, dum impietatis & idololatriæ damnant exorcismos Romanæ Ecclesiæ, insimulare eodem pacto Saxones, Witthembergenses, ipsumque Lutherum. Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14. antiquam harum ceremoniarum institutionem nequaquam negat, ita se omnibus priscis Patribus temere & audacter opponens: „Quasi „res esset contemptibilis ex Christi præ„cepto aqua baptizari, inventa est be„nedictio, vel potius incantatio, quæ „veram aquæ consecrationem pollue„ret;„ ac recensitis exorcismis, exsufflationibus, aliisque ritibus, „Etsi „autem, *inquit*, me non latet quam „vetusta sit hujus farraginis origo, re„spuere tamen mihi, & piis omnibus „fas est quidquid ad Christi institutio„nem addere ausi sunt homines.„ Jacobus Vedrosius Minister Curiensis Rat. III. docum. 9. haud negat à veteribus exorcismos fuisse adhibitos recte ac provide; sed ait, usurpatos duntaxat tanquam umbras, quibus significaretur efficacia baptismi, recitatis versiculis.

*Sal, oleum, chrisma, cereus, cum veste, salvia,*
*Flatus, virtutes baptismatis ista figurant;*
*Hæc cum Patrinis non mutant esse, sed ornant.*

Quibus verbis suadent imperitis, nos exorcismos, aliosque ritus adhibere, tanquam ejusdem virtutis sint, ac ipse baptismus, cum tamen nos fateamur Ecclesiæ ceremonias *mysticas* esse; & licèt exorcismis tribuamus virtutem expellendi dæmonem, idque *per modum impetrationis*; non tamen asserimus illis inesse vim sanctificandi, & delendi maculas peccatorum: quam si hæretici in Sacramentis agnoscerent, illos quidem hujusmodi convitiorum, ineptiarumque puderet. Bullingerus denique Decade v. serm. 8. ceremoniarum istarum vetustatem agnoscens plura ex Augustino loca producit, de quibus vide Joannem Georgium in Conversione sua pag. 38. nec aliter Bucerus in deliberatione Lipsica an. 1539. apud Cassandrum in consultatione ad articulum 9. Confess. Augustanæ.

Quamquam verò agere hoc in loco de exorcismis extra baptismum, ratio hujus instituti non postulet; ex dictis tamen illorum usus comprobatur, in rebus etiam inanimatis, puta, *oleo, sale, aqua, &c.* Nam & in his insidias nobis struere nituntur dæmones. Quare Althelmus Schireburensis Episcopus in libro de laude Virginum cap. 21. Tom. XIII. Biblioth PP. pag. 9. de sancto Narcisso cecinit:

*Mox fortuna jubet Narcissus flumina lymphæ*
*Fidens in Dominum, sacros haurire ministros,*
*Et complere cavum cum glauco gurgite vitrum.*
*Funditur interea per cunctas unda lucernas,*
*Sic exorcizans lychnos benedixit aquosos.*

Commendant sane exorcismorum virtutem, antiquitatem, & usum quæ scribit Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 247. de Christo JESU: „Opitulatorem ipsum & Redempto„rem nominamus, cujus etiam nomi„nis

„nis potentiam dæmones tremunt & „reformidant, & hodie quoque illi per „nomen Jesu Christi crucifixi sub Pon„tio Pilato, qui Judææ procuratorem „egit, adjurati nobis parent.„ Similia pag. 302. edit. Sonnii. Lactantius quoque lib. IV. Instit. cap. 27. *Sciet*, inquit. *qui viderit, quatenus adjurati dæmones per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant.* Ac Julius Firmicus Maternus in libro de errore profanarum Religionum illudens idololatris ajebat: *Sic apud nos, Deos vestros, cum hominibus nocere cœperint, Religionis sermonis flagella castigant.* Hos vero ex multis laudavimus, quoniam adversus Christiani nominis hostes stilum exercentes narrabant rem adversariorum experimento compertam. Posset huc referri Exorcistarum munus: de quo Cyprianus Ep. LXXVI. ad Magnum, pag. 323. *Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana: & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus, &c.* necnon Paulinus Nat. IV. pag. 545. edit. Antuerp. scribens de S. Felice inter Clericos cooptato;

*. . . . . Primis Lector servivit in annis:*
*Inde gradum cepit, cui munus voce fideli*
*Adjurare malos, & sacris pellere verbis.*

At de exorcismis dictum satis.

6. Item benè adhibentur Signum I. Crucis.

DE SIGNO CRUCIS, MANUS IMPOSITIONE, SALE, OLEO CATECHUMENORUM, ET SALIVA.

Pluries Sacerdos parvulum *signo Crucis* communit: eo quippe signo receptos olim Catechumenos, dictum est supra. De eodem signo illustria occurrunt testimonia apud Basilium de Spiritu sancto præcit. cap. 27. Augustinum Conc. 3. in Psalm. XXX. de catechizandis rudib. cap, 20. aliisque in locis, (quorum aliqua mox proferam,) necnon apud omnes antiquos Patres. Constat autem ex superiori paragrapho, hujus ritus antiquitatem neque à Luthero, neque à Calvino, neque ab aliis hæreticis denegari. In fronte potissimum imprimitur signum salutare, *tanquam in sede pudoris*, ne in Christi nomine erubescamus.

2. Manus impositio.

II. Additur *manus impositio*; cujus ritus meminit S. Pater lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. ubi ait n. 42. „Nam & catechumenos secundum „quemdam modum suum per signum „Crucis, & orationem manus imposi„tionis puto sanctificari.„ Et Ivo Carnot. serm. inter Augustinianos 19. de Sanctis, nunc. 247. Ap. „Hujus „crucis mysterio rudes catechizantur, „eodem mysterio fons regenerationis „consecratur, ejusdem Crucis signo „per manus impositionem baptizati „dona gratiarum accipiunt.„

III. Sale non uti Græcos in baptismate, advertit eruditus Menardus in Sacram. Gregorii Tom. III. novæ edit. pag. 377. & licèt Joseph Vicecomes de Antiq. Bapt. ritibus lib. 2. cap. 42. laudet homiliam sextam Origenis in Ezechielem Prophetam; illam tamen fœtum esse hominis Latini, demonstrat aperte Lupus in expulsione XIII. Calumniæ Michaelis Cerularii P. 3. pag. 873. Antiquissimus est tamen ritus ingerendi salem in os baptizandorum, cum de illo, tanquam de cæremonia ætate majorum recepta, sermonem instituant Ordo Romanus, Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo; aliique omnes veterum rituum Illustratores. Ac nos ejusdem ritus hæc monimenta producimus. Extat in tertia Carthaginensi Synodo canon. V. „Placuit ut etiam per solemnissimos Pa„schales dies Sacramentum Catechu„menis non detur, nisi solitum sal.„ Habita fuit hæc Synodus Attico & Cæsario Cos. anno scilicet 397. Legendi de hoc canone Lupus citato in loco, & Albaspinæus lib. 2. observat. cap. 36. Præterea Ambrosius hunc tangens ritum, ita loquitur de Aqua baptismatis, lib. X. in Lucam num. 48. *Per te fœtor tabidæ carnis aboletur; & pereuntia situ viscera aspersо sale in multam servantur ætatem:* ubi recte notatum à PP. S. Mauri tom. I. pag. 1514. cæremoniam, de qua disserimus, longe tempora Ambrosii præcessisse, quod & observatum à Vicecomite lib. 2. de antiquis Rit. pag. 195. Insuper S. Pater Augustinus in primo Confession. cap. XI. num. 17. ait: *Signabar jam signo Crucis, & condiebar ejus sale:* quo in loco, cum enarretur quod peragi solet in Catechumenis, non debet *sal* accipi mystico tantum sensu, pro *sale sapientiæ*. Huc spectant quæ S. Pater scribit de Catech. rudib. cap. XXVI. num. 50. verba faciens de Catechumenorum initiatione, *Dicendum etiam quid significet & sermo ille, quem audivit, quid in illo*

3. Sal.

*illo condiat, cujus illa res similitudinem gerat.* Putant quoque PP. S. Mauri eo loci, id est, tom. VI. pag. 239. ubi legitur, *de Sacramento sane*. restituendum, *de Sacramento salis.* Isidorus lib. 2. de Offic. cap. 20. Ivo Carnotensis in serm. de Sacram. Neophyt. & Hugo Vict. lib. 1. de Sacram. cap. 18. non tantum meminerunt hujusce ritus, verum etiam hanc ejusdem rationem protulerunt: *Sal propterea Catechumenis datur in mysterio, ut nos esse sal terræ, id est, Dei sapientiam noscamus.* Neque vero quidquam refert, cæremoniam hanc non servari à Græcis; cum ritus pro locorum, temporumque conditione mutari possint, & in Ecclesia Romana aliarum magistra, cum perpetua successione Pontificum, etiam dogmata, & perantiqua disciplina perstiterint.

4. Oleum.

IV. *De oleo Catechumenorum*, quo baptizandi in pectore, & inter scapulas liniuntur, præter Isidorum, Magnum Senonensem, & antiquum Auctorem qq. ad Orthodox. inter opera Justini, p. 137. quos omnes laudavit Martenius lib. 1. art. 6. num. 15. hæc vetustiora momenta adinvenio. Auctor Constit. Apostolic. lib. III. cap. 17. pag. 288. *Baptismus*, inquit, *in mortem JEsu datur: & aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto, signum crucis pro cruce, Chrisma confirmatio est confessionis*, & lib. VII. cap. 22. pag. 368. *Unges autem prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, & tandem signabis unguento.* Cyrillus Jerosolymit. Catech. Mystag. 2. pag. 516. scribit: *Deinde vero jam exuti exorcizato oleo perunctí estis:* & infra, *Illud ergo exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ.* Ostendens vero hanc inunctionem præcessisse baptismum, sequitur: *Postea ducebamini ad sanctum divini baptismi lavacrum.* Chrysostomus Hom. VI. in Epist. ad Coloss. pag. 1358. de accedente ad baptismum, inquit, *Ungitur, sicut athletæ stadium ingressuri.* Ambrosius pariter lib. 1. de Sacram. cap. 2. n. 4. *Venimus ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid loquutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi levita, occurrit presbyter: unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus sæculi luctaturus.* Eadem fere lib. 2. cap. 7 num. 14. Augustinus adhiberi *oleum visibile* in signum invisibilis unctionis, scribit in Ps. XLIV. num. 19. De unctione Catechumeni ante baptismum inquit Tract. XLIV. in Joan. num. 2. *Inunctus est, nondum lotus.* Et post pauca: *Sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt; festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.* Denique Venantius Fortunatus lib. V. carmine 5. de Judæis conversis per Avitum Episcopum, ait:

*Hinc oleari ovium perfunditur unguine vellus,*
*Aspersuque sacro fit gregis alter odor.*

Ex his quoque percipiuntur hujus olei mysteria: ungitur siquidem baptizandus in pectore, *ne lateant in eo ullæ inimici reliquiæ*, atque inter scapulas, *ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* Ita Rabanus lib. 1. de Instit. Cleric. cap. 27. in can. 70. de Consecr. dist. IV. *Deinde à Sacerdote.*

5. Saliva.

V. Saliva non tangunt Græci baptizandorum nares, nec aures, ut ex silentio Patrum, & Euchologiorum observavit Menardus in Sacram. Gregorii Tom. 3. pag. 381. Lucinus quidem egregie vindicans Decretum Cardinalis de Tournon pro abolitione Rituum Sinensium, producit pag. 66. Euchologium Jacobi Goarii, in quo pag. 338. legitur: *Insuffla igitur, & exspue in illum.* Sed hæc sunt verba Sacerdotis Catechumenum alloquentis, ut ipse quoque exsufflando & exspuendo abrenunciationem à se factam Satanæ confirmet, atque a se adversarium expellet, illum insufflans & conspuens. Etenim exsufflationes olim ab ipsis quoque Catechumenis fiebant; ut docti viri observarunt ex cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia Dionysio Areopagitæ attributa; ubi pag. Platin. edit. 253. jubetur baptizandus manibus Occidentem versus protensis, *Satanam insufflare, atque insuper abrenuntiationis verba proferre.* Cæterum hujus ritus probationes habemus alias. Enimvero in illum intendens mentem Ambrosius lib. de Myst. cap. 1. num. 3. inquit: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite: quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus Ephetha, quod est adaperire.* Et lib. 1. de Sacram. cap. 1. n. 2. *Ergo quid egimus Sabbato? nempe apertionem: quæ mysteria celebrata*

*rata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos, & nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster JEsus Christus, cum ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures ejus, & os ejus; aures quia surdus erat; os, quia mutus; & ait, Epheta, &c.* Augustinus etiam præcitato Tract. XLIV. ad mysteria baptismi scite accommodat illuminationem cæci à nativitate, scribens: *Venit Dominus: quid fecit? Magnum mysterium commendavit. Expuit in terram; de saliva sua lutum fecit. Et inunxit oculos cæci, &c.* Neque enim apud nos ob alium finem oculi Catechumenorum liniuntur *saliva*, nisi ob mysticam spiritalis luminis significationem, ut diximus pag. 182. & habetur cap. *Postea tanguntur*, de Consecr. dist. IV. num. 68. Haud secus Rabanus Maurus præcitato cap. 27. Quantum ad Sinenses attinet; dispensatum quidem fuerat anno 1656. ne apud illos omnia adhiberentur *Sacramentalia*: sed ad eliminandum inolitum errorem, quod salvia sit res immundissima, nec religiosa esse queat ceremonia, quæ salviâ ipsâ peragitur, statuit Cardinalis de Tournon cap. 3. prælaudati decreti, *Ne in baptizandis tam pueris, quam adultis, cujuscunque sexus & conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, & signanter saliva, sal, & insufflatio, &c.* De hoc autem decreto vide quæ scripsimus lib. XXIII. cap. 9. in dissertatione de Sinensium Ritibus, tom. IV. pag. 307.

DE UNCTIONE CHRISMATIS, LINTEOLO ALBO ET CANDELA ACCENSA.

7. Denique unctio chrismatis.

Ceremoniæ prædictæ præcedunt omnes baptismum: quo peracto Sacerdos *sacro Chrismate* inungit verticem baptizati. Constat ex Apostolicis Constitut. paulo supra laudatis, unctionem Chrismatis factam fuisse post ablutionem. De hac unctione scribit Innocentius I. Epist. ad Decentium cap. 3. *Presbyteris, seu extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclitum* Habetur in cap. *Presbyteris*, de Consecr. dist. IV. n. 119. Etiam Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. num. 46. inquit de dono gratiæ, *Quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Similia tradunt alii Patres. Plurium tamen testimonia ambigua sunt; nec satis apparet, an loquantur de hac unctione, an de Sacramento Confirmationis. Istud enim statim post baptismum olim conferebatur, quando baptizabant Episcopi, ac, ut plurimum, in sabbato tantum Paschæ, vel Pentecostes. At cum presbyteris munus baptizandi demandatum fuit; ut omnes antiquæ complerentur ceremoniæ, inducta fuit hæc *verticalis inunctio*, à Sacramento Confirmationis distincta. In libro Pontificali legimus de Sylvestro: *Et hoc constituit, ut baptizatum leniret presbyter chrismate levatum de aqua.* Quem locum citant Ruppertus Abbas lib. V. de divinis off. cap. 16. Amalarius lib. I. cap. 27. aliique complures. Ergo Patres antiquiores Sylvestro, dum laudant unctionem Chrismatis factam baptizatis, accipi possunt de Confirmatione, posteriores autem Sylvestro ceremoniam istam commendant, præsertim illam tribuentes presbyteris baptizantibus, & asserentes fieri in vertice, non in fronte. Ad hunc modum loquitur Fortunatus præcitato carmine V.

*Abluitur Judæus, odor baptismate divo,*
*Et nova progenies reddita surgit aquis.*
*Vincens ambrosios suavi spiramine rores,*
*Vertice perfuso Chrismatis efflat odor;*

Intelligimus ex dictis, quare presbyter baptizans non debeat chrismate signare frontem; quod etiam prohibuit Gregorius epist. 9. libri III. ad Januarium Episcopum Calaritanum, cap. *Presbyteri baptizatos*, animadvertitque Theodulphus editus à Sirmondo, & à Menardo insertus notis in Sacrament. Gregorii, in libro *de Ordine baptismi*, num. 17. Cautum nempe id est, ut hæc inunctio secernatur à Sacramento Confirmationis. Hujus unctionis mysterium exponit Ivo Carnotensis serm. IV. de Sacram. scribens, Christianos illitos in capite chrismate post baptismum esse, *ut charitas, quæ per Spiritum sanctum datur semper abundet in corde secundum verbum illud*, Ecclesiastici IX. 8. *Oleum de capite tuo non deficiat.*

II. Post inunctionem verticis imponitur baptizato *linteolum candidum* loco vestis albæ, qua olim induebantur Neophyti, 2. Linteolum album.

phyti, sive *propter gratiam regenerationis*, ut in Officio de Sab. S. inquit Albinus Flaccus; sive ad commonstrandum, oportere, ut regeneratus perpetuo incedat in vitæ innocentia, animique candore, quemadmodum eruitur ex Catech. IV. Mystag. Cyrilli, atque ex verbis hanc ceremoniam comitantibus. De albo hoc indumento ait Ambrosius lib. de Myst. cap. 7. num. 34. *Accepisti post hæc vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum.* Augustinus serm. 223. aliàs 81. de diversis num. 1. inquit: „Infantes isti, quos cernitis exterius „dealbatos, interiusque mundatos, qui „candore vestium splendorem menti„um præfigurant, cum peccatorum suo„rum nocte premerentur, tenebræ fu„erunt. Nunc autem, quia mundati „sunt lavacro indulgentiæ, &c.„ Citari etiam solet sermo 157. de tempore, & liber quartus de Symbolo ad Catech. sed supposititii sunt ambo. Pervulgati sunt & versus Paulini Epist. 12. ad Severum pag. 145.

*Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos*
*Infantes, niveos corpore, corde, habitu.*

Laudatur item carmen de Resurrect. quod tribuitur Lactantio; sed est revera incerti auctoris. Mitto Victorem Vitensem, Venantium Fortunatum, Joannem Moschum, Theodulphum, aliosque collectos ab erudito viro Hugone Menardo, not. 326. in Sacrament. Gregorii.

III. Traditur præterea baptizato *candela accensa*, ex vetustissima consuetudine. Ritus hujus mysterium exponit Ivo Carnotensis serm. de Sacram. Neophyt. his verbis: „Ad ultimum datur „cereus ardens in manus baptizati, „quatenus implere doceatur illud Evan„gelii, Sic luceat lux vestra coram ho„minibus, &c.„ Plura de hoc ritu Vicecomes lib. V. cap. 21. ac sequentibus. Eundem ac præcedentem ritum complectitur Fortunatus prælaudato quinto carmine pag. edit. Mogunt. 124. 3. Candela accensa.

*Undique rapta manu lux cerea provocat astra,*
*Credas ut stellas ire trahendo comas.*
*Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor,*
*Ducitur & vario lumine picta dies.*

His ergo ceremoniis, quarum & antiquitatem vindicavi, & mysticas significationes ex probatissimis Auctoribus exposui, absolvitur Sacramenti Baptismatis solemnis administratio, ita Ministro baptizatum alloquente, *Vade in pace*, & *Dominus sit tecum*: atque istud quoque indicium est veteris ceremoniæ, qua olim baptizans pacem Neophytis apprecabatur, addito quibusdam in locis osculo, ut colligimus ex Epistola LIX. S. Cypriani ad Fidum, pag. 212. Iisdem verbis, quibus Sacerdos ritus Baptismi, nos librum istum absolvimus; haud ineptè quidem, cum ipsum perlegentibus nihil tam sanctum, ac tam utile precari possimus, quàm Spiritus sancti communicationem, charitatem, & pacem.

*Explicit Liber primus ac tricesimus.*

SEX-

# SEXTI VOLUMINIS PROPOSITIONES.


I. CUm sanguis & aqua, quæ ex aperto Christi latere prodigiosè exierunt, eximiam Sacramentorum Ecclesiæ virtutem signaverint; 5

II. De iisdem Sacramentis pertractaturi, nomen primò jure in Ecclesia retineri affirmamus. 7

III. Quod utique nomen, tametsi ad plura significanda soleat adhiberi; 9

IV. Propria tamen, ac speciali significatione usurpatur pro signo rei sacræ, ac præsertim gratiæ spiritalis atque invisibilis. 10

V. Optima propterea est definitio *Sacramenti* à Catholicis tradita; 11

VI. Sicut ex adverso falsæ sunt illæ omnes, quas proprio marte hæretici fabricarunt. 14

VII. An Sacramenta in statu Innocentiæ extiterint, necne, solidè non revincitur, nec demonstratur invicte: 16

VIII. Cum illo tamen statu nullam repugnantiam habuerunt, eoque persistente fuissent fortasse instituta. 18

IX. In lege autem naturæ tam pro parvulis aliquod gratiæ signaculum, *ibid.*

X. Quam pro adultis extitisse quædam Sacramenta, censemus: 21

XI. Ad circumcisionem quod attinet, eâ omnium primum usum Abrahamum certa argumenta demonstrant. 23

XII. Negari non potest, quin data fuerit in signum distinctivum seminis Abrahæ à reliquis mundi gentibus. 27

XIII. Sed halucinantur, qui hanc unam instituendæ circumcisionis causam agnoscunt; 28

XIV. Etenim institutam fuisse ad originale peccatum delendum, complures ante Augustini tempora tradiderunt: 30

XV. Postea id S. Pater asseruit, & valide sacris literis confirmavit; 31

XVI. Deinde Augustino Patres, qui subsecuti sunt, & illustriores Scholastici subscripsere; 35

XVII. Atque frustra hanc sententiam multi postmodum oppositis argumentis tentaverunt excutere. 37

XVIII. Vindicata verò Augustiniana sententia, septem legis gratiæ Sacramenta cum Ecclesia Catholica recipimus, aut propugnamus; 43

XIX. Quo in dogmate hæretici falsò, ac temere autumant, Augustinum duo tantum Sacramenta agnovisse. 47

XX. Septem hisce Sacramentis accensenda nequaquam est lotio pedum, quæ nec Sacramentum est, nec ad Sacramentum baptismi essentialiter pertinet. 53

XXI. Illa autem septem Sacramenta ad salutem necessaria sunt (quamvis non omnia necessaria sint singulis) habentque inter se congruum ordinem, ac suam quælibet dignitatem. 58

XXII. Eadem omnia Christus Jesus instituit *immediatè*; 60

XXIII. Licèt istud à Tridentina Synodo non sit tanquam fidei dogma, statutum ac definitum: 64

XXIV. Pura creatura non habet hujuscemodi institutionis auctoritatem. 65

XXV. Sacramenta rebus, tanquam *materia*, & verbis, tanquam *forma* perficiuntur: 67

XXVI. At non habent materia & forma Sacramentorum cum principiis rerum corporalium omninò æquabilem analogiam. 69

XXVII. Non est penes Ecclesiæ potestatem hanc materiam, formamque immutare. 71

XXVIII. Verba autem, quæ constituunt formam Sacramentorum, nec promissionis, nec concionis sunt, sed tantummodo consecrationis. 74

XXIX. In Sacramentis conficiendis nefas est uti materia, aut forma tantum probabili. 80
XXX. Si mutatio substantialis in materia & forma contingat, Sacramentum irritum erit & prorsus nullum. 82
XXXI. Secus si mutatio sit duntaxat accidentalis; etiamsi facta esset eo fine, ut induceretur aliqua hæresis. 83
XXXII. Fas est aliquando uti in Sacramentis forma *conditionali*, etsi hujus ante *VIII.* Christiani nominis sæculum non constet usum obtinuisse. 84
XXXIII. Homo tantum viator est ordinarius Sacramentorum Minister. 87
XXXIV. At extraordinaria potestate conficere possunt Sacramenta etiam Angeli sancti, & Beati in cœlo regnantes. 88
XXXV. Neque tamen singuli homines sunt idonei Ministri quorumlibet Sacramentorum. *ibid.*
XXXVI. Valet Sacramentum collatum ab improbo, sceleſtissimoque ministro, modò nihil eorum desit, quæ ad illius constitutionem sunt necessaria, id est, aut materia, aut forma, aut intentio. 93
XXXVII. Sacerdos tamen lethalis culpæ sibi conscius, impiè atque illicitè Sacramenta conficit ac ministrat; quod de aliis sacrorum ministris ordinariis, Diaconis præsertim, est asserendum; nec non probabiliter de verbi divini Concionatoribus. 100
XXXVIII. Itaque extra necessitatis casum Sacramenta ab impio Sacerdote peti non debent; 103
XXXIX. Quamquam in casu necessitatis licite à quocunque ministro, etiam excommunicato, & hæretico, recipiantur Baptismus, ac Pœnitentia. *ibid.*
XL. A Parocho autem, si nullus alius minister commodè possit haberi, fas est Sacramenta recipere, quantumvis ille sit improbus, & sceleroſus; 104
XLI. Et si justa adsit ratio, à ministris aliis, concubinariis etiam, atque excommunicatis à jure; dummodo sententiâ Judicis non constet inhiberi illis sacrorum Mysteriorum dispensationem. *ibid.*
XLII. Circa ministri intentionem rejicimus primo, ac damnamus sententiam hæreticorum, asserentium Sacramentum ratum & validum esse, quamvis irrisoriè & mimicè conferatur. 110
XLIII. Affirmamus quoque Sacramentum nullum & irritum fore, si minister habeat solùm intentionem peragendi ritum externum, geratque in animo latentem deliberationem non faciendi rem Sacram; etiamsi materiam adhibeat & formam proferat, neque contraria illa deliberatio externâ aliquâ irrisione se prodat: 117
XLIV. Quam utique sententiam nostram neque argumenta Catharini, neque eorum, qui illius ediderunt vindicias, neque alia quælibet possunt labefactare, aut revincere. 126
XLV. Non illam tamen intentionem necessariam existimamus, qua minister Sacramentorum intendat effectum, eaque credat sacra revera esse atque utilia; sed fatemur sufficere si id proponat facere, quod fieri solet in Christi Ecclesia, licet ejusdem Ecclesiæ, sacrorumque Mysteriorum notitiâ perspicuâ careat. 137
XLVI. *Actualem* intentionem plurimum commendamus: *virtualem* sufficere asserimus; *habitualem*, ut communiter solet accipi, insufficientem esse tenemus. *ibid.*
XLVII. Intentio item *interpretativa*, quatenus à virtuali distinguitur, nequaquam sufficit. 138
XLVIII. De intentione autem *conditionata* servatis quibusdam regulis judicium est proferendum. 139
XLIX. Pro solis hominibus *viatoribus* Sacramenta, juxta præsentem rerum ordinem, sunt instituta. 140
L. In adultis ad Sacramenti characterem recipiendum intentio aliqua, saltem *interpretativa*, necessaria est; *ibid.*
LI. Ac præter intentionem, quædam aliæ in ipsis adultis dispositiones requiruntur, ut Sacramenti percipiant fructum. 143
LII. Effectus Sacramentorum præcipuus est Gratia: de qua Catholicorum sententiam hæretici improbe, falso, ac fraudulenter traducunt. 144
LIII. Ut perspicue veritatem catholicam propugnemus, asserimus primò, non esse Sacramentorum omnium, tam veteris, quàm novæ legis eandem vim, atque efficientiam; 147
LIV. Affirmamus deinde vetera Sacramenta *per se* contulisse duntaxat emundationem & sanctitatem legalem, gratiam verò sanctificantem *per accidens* tantum, & ob fidem suscipientium: 148
LV. Quare Sacramenta illa conferebant gratiam *ex opere operantis*; si excipias Circumcisionem, 150
LVI. De qua non una est sententia Scholasticorum. *ibid.*

LVII.

LVII. Verum Sacramenta novæ legis ex merito passionis Christi justificandi vim habent. 152
LVIII. Atque *ex opere operato* producunt gratiam. 153
LIX. Num ita gratiam contulerit circumcisio, in utramque partem, ut dixi nuper, disceptatur, ac plura sunt argumenta hinc inde prducta. 156
LX. Est pariter inter adiaphoras quæstio de modo, quo Sacramenta producant gratiam: & nos propugnamus esse illa causam gratiæ *physicam* quidem, sed *indirectam*. 160
LXI. De hac gratia, quam Sacramenta producunt, quæstiones aliæ facile expediuntur. 165
LXII. Alter Sacramentorum effectus est *character*, quem imprimunt tria Sacramenta, quæ iterari non possunt, Baptismus scilicet, Confirmatio, & Ordo. 167
LXIII. Character iste animæ revera inhæret, atque est immutabilis. 169
LXIV. Potest tamen citra fidei periculum negari, Sacramentalem hunc characterem esse rem distinctam ab anima. 170
LXV. Servandæ sunt in Sacramentorum administratione ceremoniæ, quas Ecclesia rectè prudenterque præscripsit; 176
LXVI. Et quas institutas esse defendimus ob mysticam præsertim, & symbolicam significationem. 178
LXVII. Nequeunt eædem ceremoniæ contemni, aut pro libitu omitti, aut in alias mutari per quemcunque Ecclesiarum Pastorem. 179
LXVIII. Refutantur Novatores oppositum sentientes. 180
LXIX. Temere ipsi damnant sacras vestes, quibus utimur in solemni Sacramentorum administratione, 182
LXX. Psalmodiam item, & cantica Ecclesiastica, *ibid.*
LXXI. Candelas insuper, & cereos ad officiorum divinorum condecentiam accensos, 184
LXXII. Item thuris usum, *ibid.*
LXXIII. Lustralem pariter aquam. 185
LXXIV. Præterea sacrorum cinerum. 186
LXXV. Nec non palmarum, cereique Paschalis benedictionem; 187
LXXVI. Cereas quoque imagines, quas dicimus *Agnus Dei*, *ibid.*
LXXVII. Atque benedictionem candelarum in festo Purificationis B. M. V. 188
LXXVIII. His itaque præmissis de Sacramentis in genere, & de *Sacramentalibus*, quæ perperam oppugnant hæretici; de Baptismo disputationem instituentes, illius tradimus etymologiam, atque definitionem. 191
LXXIX. Negamus Baptismi nomine significari institutionem atque doctrinam; 193
LXXX. Ac Baptismum nostrum cum lustrationibus Gentium, & Judæorum mersionibus affinitatem habere aliquam. 196
LXXXI. Etiam baptismus Joannis, quamvis institutus divino instinctu, & Mosaicis mersionibus excellentior, 199
LXXXII. Multiplici tamen titulo discrepabat à baptismate Redemptoris: 200
LXXXIII. Iste enim valet *per se* ad ablutionem culpæ, cum baptismus Joannis non conferret remissionem peccatorum, nisi ratione pœnitentiæ, fideique suscipientium. 201
LXXXIV. Probabilius est baptismum à Christo fuisse institutum ante passionem; & quidem dum baptizatus est in Jordane. 210
LXXXV. Sed præceptum suscipiendi ipsum baptismum, *saltem generaliter*, non obstrinxit ante Evangelicæ legis promulgationem. 216
LXXXVI. Aqua duntaxat naturalis est *materia* Sacramenti Baptismatis. 218
LXXXVII. Eadem verò aqua, non recenti usu, sed vetustissimo, ac derivato à Patrum traditione, in Romana Ecclesia solemniter benedicitur, & consecratur. 222
LXXXVIII. Non valet baptismus in aqua ex rosis, aliisque floribus vi subjecti ignis expressa. 225
LXXXIX. Si aqua sacri Fontis haberi queat, nefas est in baptismo adhibere communem, atque profanam. 226
XC. Quid verò dicendum est de modo ablutionis? Obtinuit à prioribus Ecclesiæ sæculis consuetudo baptizandi per immersionem, & quidem trinam. 227
XCI. Non fuit tamen ad sæculum usque *xiii.* trina mersio ita communiter recepta; ut probatus aliquando non fuerit baptismus, aut infusione, aut unica mersione collatus. 228
XCII. At quocunque ritu conferatur, sive immersione, sive infusione, sive aspersione, baptismus validus est; & Ecclesia Romana, quæ præscribit immersionem, aut infusionem, imperitè nulloque jure à Marco Ephesio, aliisque Græculis reprehenditur. 231

XCIII. Quonam modo olim baptizati mergerentur, Appendix ad Præmissum Theorema demonstrat. 233
XCIV. Debet nunc unusquisque servare Ecclesiæ, in qua degit, consuetudinem; 235
XCV. Ita tamen, ut saltem caput salutiferis undis perfundat; & si aliam corporis partem infans emittat ex utero, immineatque vitæ periculum, illum sub conditione baptizet. *ibid.*
XCVI. Tenet verò baptismus, etiamsi in illius admjnistratione mors datâ operâ baptizato inferatur. 236
XCVII. Legitima est, antiquissima, & omnino certa verborum formula, sub qua baptizant Latini. 237
XCVIII. Illa, qua utuntur Græci, *enuntiativa* est, valida & ipsa, nec ab ea, qua utuntur Latini, substantialiter discrepat. 238
XCIX. Verùm complures sunt baptismi formulæ confictæ ab hæreticis, & quæ tollunt Sacramenti veritatem. 239
C. Requiritur ad validitatem baptismi verbum, quo actus baptizantis exprimitur; 243
CI. Neque baptismus valet absque expressa Sanctæ Trinitatis invocatione. 244
CII. Etiam Apostoli nonnisi cum expressa hac invocatione baptizaverunt: 247
CIII. Tametsi oppositum sentientes nulla debeant censoria nota perstringi. 256
CIV. De singulis *formæ* verbis per distinctas quæstiones disserimus. 257
CV. Baptizandi solemni ritu potestas Episcopis principaliter competit: deinde Presbyteris id commissum, non tamen absque Episcoporum auctoritate. 261
CVI. Diaconi nonnisi ex delegatione possunt baptismum solemniter administrare. 263
CVII. In casu autem necessitatis quilibet homo, etiam laicus, potest absque solemni ritu baptismum conferre: 265
CVIII. Et, si desit alius minister, etiam fœmina. 267
CIX. Quæ in praxi possunt hac in re difficultatem aliquam excitare, distinctè singula expediuntur. 268
CX. Consueverunt permulti hæreticorum baptismum repetere. 272
CXI. Hæreticos quoque rebaptizandos nonnulli vererum tradiderunt, inter quos connumerantur Agrippinus, ejusque gentilitius Tertullianus. 274
CXII. Idem docuerunt Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & S. Cyprianus Antistes Carthaginensis: quorum de hoc argumento Epistolas tanquam genuinas recipimus. 275
CXIII. Obstitit his Stephanus Romanæ Ecclesiæ Præsul sanctissimus; à quo non fuit approbatum baptisma omnium promiscue hæreticorum, sed collatum duntaxat in nomine Trinitatis. 290
CXIV. Ea tamen Stephanus usus est moderatione, ut neque Cyprianum, neque Firmilianum intorto anathemate à sui communione sejunxerit. 293
CXV. Num Cyprianus, aut Firmilianus à sententia resilierint, nobis est penitus imcompertum. 295
CXVI. Multa sunt nihilominus, quæ istorum, ac præsertim S. Martyris Cypriani excusant errorem. 297
CXVII. Ex quo Martyr ille præclarissimus decreto sancti Stephani sit obluctatus, nequit inde labefactari Romanorum Pontificum in rebus fidei vel morum judicium irreformabile. 298
CXVIII. Sunt inter Patres quidam alii, quorum de Rebaptismo sententia est obscura admodum & ambigua: ac primus est Dionysius Alexandrinus: 303
CXIX. Hunc, & magnum Basilium nos rebaptizantibus accensemus. *ibid.*
CXX. Secus judicamus de Athanasio, de Optato Milevitano, & de Cyrillo Jerosolymorum Episcopo. 305
CXXI. Plenarium Concilium, de quo Augustinus contra Donatistas affirmat ad ejus auctoritatem & robur perductam fuisse antiquam unius Baptismatis consuetudinem, videtur esse Nicænum primum, quamquam non istud solum innuere vult Præsul sapientissimus. 306
CXXII. At multæ aliæ Ecclesiasticæ definitiones, præter Nicænum canonem *xix.* probarunt hæreticorum baptisma, verbis Evangelicis consecratum. 311
CXXIII. Legibus quoque Augustorum proscriptus est Rebaptismus. 312
CXXIV. Persistit itaque inconcussum, firmissimumque dogma Catholicum, de valore baptismi dati ab hæreticis in nomine Trinitatis. *ibid.*
CXXV. Imo & tenet baptismus à pagano sub eadem forma collatus. 317
CXXVI. Repetendus idcirco idem baptismus nunquam est, nisi datus fuerit vitiata forma; & si res ambigua sit admodum, iterari debet apposita conditione. 318

CXXVII. Licitum, & congruum est infantes ante usum rationis sacro regenerari baptismate: 321
CXXVIII. Non tamen salva æquitate idem fiet pueris infidelium, parentibus reluctantibus, si casus nonnullos excipias. 328
CXXIX. Dum pueri maternis in uteris clauduntur, nihil eis prodest ablutio matris, aut signum aliquod extrinsecus applicatum: 334
CXXX. Neque ante aperitionem uteri possunt iidem pueri ex aqua, & Spiritu sancto renasci; 335
CXXXI. In ipso denique puerperio, licèt per siphunculum possent aquâ perfundi, baptizandi non sunt, nisi aliquam corporis sui partem foras emiserint. 337
